Fra[illegible] Ly: Gmer[illegible]

1704

STEPH. BLANCARDI
P. & M. D.

OPERA
MEDICA, THEORETICA, PRACTICA ET CHIRURGICA,

Quæ omnia variis obſervationibus, experimentis, tam ex corporibus valetudinariis, cadaveribus, quam ex Mechanicis,

Illuſtrantur & Elucidantur,

Cum figuris æneis accuratiſſimis.

TOMUS SECUNDUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { JORDANUM LUGTMANS
CORNELIUM BOUTESTEIN. } 1701.

Cic. de Div. L. ſec.

Medicus morbum ingraveſcentem ratione providet, Inſidias Imperator, Tempeſtates Gubernator.

Hippocr. de veteri Medicina.

Medicina autem jam ab antiquo exiſtit, & principium & via inventa, per quam inventa & multa & probe habentia comperta ſunt, per multum adeo tempus & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat.

Idem de Flatibus.

Medicus oculis perluſtrat ſingula pericula, contrectat etiam nulla voluptate, & ex alieno malo proprias ſibi demetit moleſtias.



STEPH. BLANCARDUS
LECTORIBUS
Ἐυχάιρειν.

DEdimus in superiore tomo, omnia quæ ad *Medicinam Theoreticam* ſpectare poterant, & quoniam ſcientia illa valde claudicaret, ſi ſola ratione (quæ in nobis ſæpe labilis eſt) incederet, ſummè neceſſarium duxi, *Praxin Medicam & Chirurgicam*, experientiâ & exemplis innitentem adjungere, ut tota Ars tanquam duobus cruribus ſuffulciretur incederetque, & recta rationis face totam Praxin dilucidaret. Duo enim præcipui Medicinæ cardines ſunt, Ratio nempe & Obſervatio. Septem Olympiadum obſervatione à teneris fere, hæc omnia vidi, perluſtravi, annotavi, & vivis exemplis Praxin didici. Quinque Luſtris ipſe Medicinam excolui, idque non ſolum Amſtelodami, ſed maximè per totam Germaniam ſuperiorem, ibique de morbis maximè intricatis, omne remedium reſpuentibus & difficillimis quotidie Epiſtolari modo conſulor. Quippe nemo Practica ſcribere capax eſt, quin prius, ut citò, tutò & jucunde egros curet, alioſque inſtruat, ipſe ſummam Experientiam, & ἐμπειρίαν habeat, neceſſe ſit. Hoc modo erui ex Democriti puteo perplurima, quæ alias Cimmeriis tenebris ſepulta fuiſſent. Aperto uſus ſcribendi calamo, removendo, quæ dicenda umbris & ambagibus obſcurarent. Medicina non tam ingenii humani partus eſt, quam temporis filia: Neceſſitas eam invenit, ſed Experientia perfecit.

A diebus Hippocraticis Medicina ſtetit, ſi non retroiverit, ſaltem nihil profecit, donec inventâ ſanguinis periodo, Fundamenta ab *Henrico Regio*, aliiſque ad normam Carteſianam, notabilem ſenſere mutationem, aſt Praxis manebat eadem, quæ rationi minime quadrabat: donec tandem *Ettmullerus*

lerus

lerus, *Cranen*, aliique Praxi viam aperuerunt, glaciemque primi resciderunt, ita ut *Medicina Practica* & *Chirurgica* sanguinis circuitui, & rationi in Institutionibus exhibitæ, planè respondeat. Et quoniam inventis facile additur, Praxin nostram secundum Hypothesin supra datam exactè struximus, ita ut invicem ἀκριβῶς respondeant, neque ullo in casu contradictionem admittant. Ars nostra floribus fructibusque proferendis est comparata; quæ magis magisque crescit ac vegetior fit.

Visus sum mihi operæ pretium facturus, si rem cognitione non indignam publici juris facerem. Itaque nihil habui antiquius, quam planioribus verbis Medicinam, ejusque cognitionem non modo scripto prodere, verum etiam aptis iconibus repræsentare. Pythagoras Samius dictitabat anteferendas esse Sirenibus Musas, significare volens simplicem veritatis orationem præstare comptis ac phaleratis sermonibus: nimirum Sirenibus assimilavit ille orationis structuram lenociniis verborum fucatam, ut Musis nudam orationem, nullo artis mangonio Medicatam. Vale, & levidense munus benigna fronte metire, & ab æmulorum morsibus tutare.

STEPH.

Steph. Blancardi
PRAXIS MEDICA,
Verioribus fundamentis superstructa.

I. Caput.

DE DEGLUTITIONE LÆSA; OESOPHAGI ET VENTRICULI LÆSIONE; APPETITU IMMINUTO ET TARDO; NAUSEA; VOMITU; FLATIBUS; RUCTIBUS; PICA, MALACIA; FASTIDIO; CARDIALGIA; DYSPEPSIA ACIDA ET NIDOROSA; ARDORE VENTRICULI; FAME BOVINA ET CANINA; SINGULTU; VENTRICULI INFLAMMATIONE; SITI DEPRAVATA &c. CUM CURATIONUM ADJECTIONE.



Actis huc usque firmissimis Medicinæ Theoreticæ fundamentis, firma quoque Praxis ei superstruatur oportet: à Ventriculi itaque morbis initium auspicabimur. Quid itaque morbi sint, & unde originem habeant, in Praxi non latè docebo, quoniam illos satis superque in *Institutionibus* nostris explicuimus.

Primo ergo explicandum de *œsaphago*, atque is læditur in motu suo à Paralysi musculorum, fauces constituentium; vel à resolutione fibrarum œsophagi motricium, atque tunc ne guttula quidem liquoris transmitti potest licet nec dolor nec tumor, nec ulla urgeat angustia. Deinde læditur ab inflammatione vel ipsius, vel partium vicinarum, ita ut nec solida nec liquida deglutiri queant, quemadmodum anginosis evenire solet. Vel excrescentia quævis viam obobstruit alimentariam. Gorcomi cum eram anno 1677. Vocatus fui à quodam domino, nomine *T. Vink* cui in œsopbagi initio erat steatoma. Is tandem cibum solidum capere nequibat, sed tantum juscula ex carne in quibus caro pultis in modum in mortario erat contrita & comminuta: tandem accrescente tumore suffocatus obiit: Aperto cadavere, inventum est steatoma œsophagum obstruens. Impeditur quoque œsophagi motus ab inflammatis tonsillis, uvula, aspera arteria. Abolentur etiam in convulsionibus Epilepticis, Hystericis dictis spasmis: in quibus quasi frustum aliquod videtur œsophagum obstruere. Deglutitio quoque deficit deficiente salivâ, præsertim in febribus continuis ardentibus. Huc accedunt boli magni,

Marginal notes: œsophagi & — œsophagi steatoma.

magni, & non ritè masticati, aut spinæ, aciculæ, ossicula, &c ei inhærentia.

Stomachi læsio. Cibos etiam Stomachus sive sinister ventriculi orificium non admittit, quando spasmo aut convulsionibus læditur; vel si inflammationem, tumorem, paralysin, ulcerationem, excoriationem, &c. patitur, tunc cibos admittere recusat; quod etiam à flatibus, jam jam erupturis, contingit. Quando cogimur edere, quæ summè fastidimus & aversamur, sæpe convulsivo motu iterum sursum moveri coguntur.

Aliquando fauces ita angustantur, ut tantum liquida transire possint; & aliquando contra solida admittuntur, quando œsophagus satis patet, & a liquidis irritatur. Ulceratis quoque à Mercurio faucibus, masticatis etiam descensus denegatur.

Quo læsio major, eo mortis periculum majus: nam fame æger perire cogitur. Ejus paralysis non tantum periculosa, sed raro restituitur: & lethifera si acutis superveniat: in vulneribus non bonum: ut & ejus inflammatio. Scirrhus, cancer, excrescentiæ, steatomata ad mortem usque perdurant, & ægri non sine suffocatione moriuntur: œsophagus cartilaginosus, (eum memini in sene vidisse,) ob motus defectum, mortem prænunciat. Si quid inhæreat ut bolus magnus, spinæ, ossicula, spongià balenæ, affixa sunt deorsum trudenda, vel eximenda.

Si adsit paralysis, utere decoctis ex Salviâ, majoranâ, nasturtio, &c. accende fumum ex betonicâ, salviâ, roremarino & Majoranâ; vel tabaco ipso, si æger ferre potest. Vel fiat mixtura ex aquâ antiparalyticâ cum aquâ melissæ.

Tumores vix restitui possunt, quia pars nec medicamentis, nec instrumentis, nec manu tractari potest. Si ab hystericâ suffocatione, omnia succedunt ritè convulsione restitata: quod aliquando odore Tincturæ assæ fœtidæ feliciter succedit. Vel

Rec. Aquæ Melissæ, *uncias quatuor.*
Tincturæ assæ fœtidæ, *drachmas duas.*
Castorei, *drachmam unam.*
Misce.

Detur cochleatim, & simul odor naribus attrahatur: tunc convulsio illa, ut plurimum, in totum cessat.

Morbi ventriculi unde. Plurima Symptomata a succo ventriculari dependent, qui pro variâ κράσει & dispositione ventriculum varie afficit. Is succus in sano statu ferè insipidus instar salivæ est plurimis particulis activis & fermentescentibus quibus cibi comminuuntur, constans: itaque in valetudinario statu succus iste vel est pituitosus, vel nimis acris, cujus gradus plurimi sunt. Pituita enim est tenuis, vel crassa, cui particulæ nullæ acres sed blandè irritativæ adsunt; hinc pro majori aut minori admixtione, oritur APPETITUS vel planè PROSTRATUS, vel IMMINUTUS. Sic ob fermentum nimis debile cibi tardè vel difficile digeruntur: è contra, si succi pituitosi in ventriculo particulas valde pungentes & nimium acres sibi habeant admixtas, oritur pro ratione acredinis, nisus ad vomitum sive NAUSEA,

Appetitus imminutus & tardus

vel

vel VOMITUS ipse; hoc est quod fibræ pylori fortiter contrahantur, qui motus à pyloro progreditur ad stomachum, unde fibræ ventriculi inversim sollicitantur, quarum motu, clauso pyloro, omne quod in utre ventriculari continetur, egeritur: hoc etiam convulsivo motu fellis vesicula contrahitur & bilis abunde elutriatur, atque sic compressione musculorum abdominis evomitur bilis, & non raro ex pancreate, & glandulis ventriculi succus admodum acidus. Sic in nonnullis febribus succus ventricularis admodum irritativus est, & *Vomitus* oboritur, à vermibus ventriculi fibras rodentibus non raro *Nauseæ diuturna* & *Lipothymiæ* oriuntur, ut & *Vermium Vomitus.* Sic, si per pylorum transitus fuerit denegatus, sive ex materiâ tophaceâ, vel à glandulis ibi in immensuml usque excretis, materia ventriculo contenta, fit acris, tandem irritativa, hinc *Vomitus*: idem de intestinis obstructis dicendum ut in Ileo, Colica &c. sic postquam fœminæ conceperunt, sæpe vomunt, quia ob seminale viri fermentum succus ventriculis plane invertitur. Nausea. Vomitus.

Si cartilago ensiformis quavis de causa versus interiora flectatur, ventriculus comprimitur, hinc dolor, inappetentia ciborum, vomitus, virium dejectio &c. Et hoc potissimum infantibus accidit, præsertim si brachiis aliarum pectore & ventre incumbant. Sed cucurbitulis cœcis & magnas aperturas habentibus facile restitui solent, si nimirum vi et subitò removeantur. deinde locus est providendus Emplastro, ex pice, Mastiche, olibano, & quibusdam astringentibus parato: Præter hoc etiam ob nervorum intercostalium consensum *Vomitus* fit; affecto enim utero, Tubis Fallopianis, ovariis, &c. Idque à semine virili, haut ita difficile ventriculi fribræ contrahuntur, unde *Nausea* & *Vomitus.*

Vomitus sæpe est symptoma symptomatis ut vulgo dicitur, nempe per nervorum & membranarum cohærentiam seu consensum, ut in dolore Nephritico, morbo lienari, viscerum inflammationibus, cerebri vulneribus &c. eadem quoque symptomata navigantes sæpe experiuntur, ob motum nempe spirituum anomalum.

Infantes & pueri nimium voraces, modumque non tenentes, nimiisque cibis sæpe indulgentes, ventriculum gravant, ac ventriculares fibræ irritantur, & ad vomitum ciendum invitantur. Sic si illæ, quæ infantes lactant nimio acido & cibis dyspeptis vescuntur, infantibus lac in juniori ventriculo vel statim acorem contrahit; hinc lactis coagulationes, & coaguli vomitus una cum sero acidissimo: Quod si evomere nequeant, facile in Tabem incidunt; Hinc dicuntur *Quel-balgen*, quia molestiam pariunt matribus ejulando, atque multum devorando.

Vel lac est nimis pingue, quod ob debile ventriculi fermentum ferri nequit, quando infantes nimium agitantur vel ventre pleno incumbunt gestantium brachio, sique diu circumferantur sursum deorsumque movendo, &c. Tunc succus infantium nervosus in anomalias invitatur. Porro ob gravedinem mucum devorant & deglutiunt, cujus particulis irritativis ventriculi fibræ ad vomitum stimulantur. Idem fit dentientibus, tum enim nervosum & membranosum systema afficitur.

Puellula quindecim feré mensium cecidit ex trabe in plateam, postea continuó

Ventriculus putridus.

nuò fere flebat: corrioiebatur febre continua fortè a doloribus ventriculi & intestinorum. Aperui cadaver, præsente discipulorum & adspectantium coronâ. Inflata admodum ac rubicundi cololoris inveniebam intestina; ventriculus, lacte materno acidissimo, fœtido ac in particulas caseosas concreto, turgebat. Cætera abdomine contenta, sana. Sed ventriculus licet haud discoloratus, adeo mollis erat ac putridus, ut levi styli contactu perforaretur.

Si onjicere liceat, non essem in eâ opinione, puellulam illam à lpsu fuisse læsam, sed illam ab alteratione & acida sanguinis prædispositione in febrem incidisse. Quid efficiat alteratio, norunt omnes: nempe convulsivi motus in cerebro & corde excitati, sanguinis reliquorumque succorum motus impediunt: hinc primo frigus, deinde cruoris incalescentia, quæ febris est. Puto enim omne frigus, quo cum febres incipiunt à cerebri & cordis convulsionibus oriri; omnia quippe symptomata, ut alias lattius explicuimus, id indicare possunt.

Ut ad rem redeamus: inueni ventriculum quasi putridum; procul omni dubio à materiâ contentâ acidissimâ. Hinc liquet, Matres & nutriees lactantes pessimè facere, si acidis vescantur: revera quo magis de acido participet lac maternum &c. eo pejus infantes habent, præsertim juniores. Acidum itaque contentum corrosit ventriculi tunicas. à convulsivis motibus intestina inflata fuerunt; & quia hinc & inde inflammationibus obsessa erant, rubicundo colore tingebantur. Nam ubi inflammatio, ibi sanguinis subsistentia, vel potius tardior motus. Non mirum ergo infantem ab hisce torminibus continuò lachrymas fudisse ac tandem obiisse, cum partes hæ supra modum sensibiles sint, ex meris ferè membranis constantes.

Post Emeticum sumtum mors.

Miles febrim tertianam diuturnam fere per totam æstatem passus, à circumforaneo, quamvis à febre liber, antimoniatum emeticum sumpsit, sed nil præter vomendi conatus insecuti, adeo ut post paucas horas de medio sublatus sit.

Cum intima cadaveris perscrutarentur, mirum, ventriculus in dextra parte thoracis collocatus erat. Unicus duntaxat idque sinistro in latere adfuit pulmo.

Hujus male locati ventriculi causa non aliunde quam ab emetico petenda: nam à vehementi conatu iucidit Æger, ut ita dicam, in speciem iliacæ passionis, nam ut intestina inuicem inuolvuntur, cur etiam id ventriculo accidere non posset: non dubito quin ventriculus ante illud assumptum in abdomine locatus fuerit. Ita sæpe medici saniores malé audiunt, quando chymica propinant, cum omnis culpa à circumforaneis audacibus dependeat.

Quando stomochus ad vomitum propensionem habet, tunc ei levi vomitorio est succurrendum: tunc temporis enim indicatur multum pituitæ ventriculo inesse. Princeps ille Bavariæ 1699 non obiisset si emeticum fuisset propinatum: post enim obitum plurima pituita tenaci scatebat.

Sanguinis vomitus.

A nonnullis sanguis merus vomitur, quod aliquando menstruis denegatis aut suspensis evenire solet. Hoc fit si arteriæ rumpantur, vel quando vasa brevia obstructa sunt, nam vasa dicta, in iis, qui post sanguinis vomitum

tum denati & aperti fuerunt, inventa fuerunt turgida, expansa & sanguine distenta, quia major sanguinis quantitas advehebatur, quam per illa vasa potuerat revehi: accedit hepatis obstructio, quod omnem sanguinem ex vena portæ debebat recipere, quod propter obstructionem tam facile fieri nequibat.

Quoad *Prognosin.* Si vomitus aliquando eveniat, salutaris est, nam saburra tunc eluitur, & multi morbi præveniuntur. Si sponte eueniat in principio febrium, aliis ve in morbis, vel in declinatione, aut gravidis, vino aliquando madidis, &c. non adeo noxii; per se enim cessant. Malignis in morbis, si materia evomatur livida, atque fœtens, mali sunt ominis. Vermium vomitus quandoque à Lipothymiis &c. liberat; malum é contra est, si in morborum principio vermium eveniat vomitus. Si in morbis extremis fiat stercorum vomitus, lethale. Vomitus cruentus continuus nihil boni indicat. Si à colico dolore, nephritide, &c cessat, si morbus tollatur. in viscerum inflammationibus, ut & cerebri vulneribus, bonus non est nuncius: Si in illis subito cessat, intestinorum sphacelus est.

Si succus ventriculi viscidus particulas activas sibi habeat admixtas, FLATUS generantur & RUCTUS, nam tunc illud viscidum expanditur, & in bullas inflatur, quibus disruptis aër iis inclusus, per os emittitur; atque hoc verum esse constat, si pituitosi potum carminativum, aut semina anisi, carei &c assumant, ilicò *Flatus* oriuntur, quibus per œsophagum evocatis, *Ructus* appellantur; Hinc sæpe *Dyspepsiæ*, & *Ventriculi Gravativi* sensus, quia nimirum *Flatus*, propter cibum extensum excerni nequeunt, ventriculi parietes distenduntur. Si *Flatus* sursum atque deorsum emittuntur, CHOLERA SICCA apellari solet; ast si in ventriculo flatus maneant conclusi, non tantum spirandi difficultas, sed & ventriculi dolor, Lipothymia, syncope &c superveniunt. Ventriculus aliquando in tantum tumorem extenditur, ut totum abdomen distendat, intestinaque operiat: atque fœminæ pro gravidis habeantur. Sic si cum chylo aër iste flatulentus ascendat, etiam membra inflantur. Si flatus emittantur ilicò levamen sentiunt. Sed quare omnes ab eodem cibo non inflantur? quia in diversis diversum est fermentum, aliud bene digerens, aliud cum viscositate acidum, facile fermentescens, inque bullas sese elevans. Flatus & Ructus.

Ructus & flatus significant cruditates & visciditates succi seu fermenti ventricularis; & disponit aliquando ad Tympanitidem, imo ob metum lymphaticorum rupturæ, ad Ascitem: in convalescentibus ventriculi inflatio morbum recidivum significat.

Itaque vitanda sunt ea omnia, à quibus experimur flatus produci, præsertim cruda: deinde quicquid acidum & viscosum est leni purgatione aliquoties repetitâ eliminandum: denique acidum est temperandum, & viscidum est incidendum, ventriculus quoque roborandus, vinis Medicatis, & volatilibus oleosis in sequentibus descriptis. Deglutiat aliquando aliquot piperis grana, aut voret zingiberis conditi frustum.

Omnis ætas & sexus tentatur morbo, qui dicitur PICA vel MALACIA: eâ tantum differentiâ, quod *Pica* contingat omnibus, sed *Malacia* prægnantibus Pica vel Malacia.

tibus solis; estque Appetitus perversus, in quo estui insolita appetuntur, ut creta, carbones, fistulæ tabacariæ, pix, arena, corium, sal, urina, cespites, aqua fœtida, limus turbidus, variaque alia. Prægnantes non tantum ea sæpe appetunt, sed etium illa quæ estui non sunt aliena, & si iis non dentur, sæpe fœtus læditur vel abortiunt. Liquet fermentum acidum in ventriculo esse hujusmodi rebus dissolvendis aptum, cujus titillatione imaginatio regitur ad hoc aut illud appetendum; præsertim si semel gustaverint, ac deinde sibi assuescant: tunc illis illa commestio adeo est assueta, ut οἰνοπόταις vinum & φιλοκάπνοις Tabacum. Hisce accedit incredibilis fere Historia *Nic Tulpii* alicujus fœminæ prægnantis, mille quadringentos Haleces comedentis, idque sine sanitatis dispendio.

Prognosis: morbus iste per se quidem odeo noxius quandoque non est, sed si appetitui aliquando non satisfiat, læditer fœtus: & si menstrua sint suppressa, in Apepsiam, Hydropem, cachexiam, chlorosin incidunt: adjunguntur non raro lipothymia, Syncope, cardialgiæ, &c. Quarto post gestationem mense sæpe cessat, quia saburra peccans vomitionibus crebris est exantlata: Vel si continuetur, Mater ipsa & fœtus sæpe læduntur.

In *uratione* respiciendum ad ea quæ appetuntur, num acida, num alcalina. Semper enim contrario modo incedendum. In non gravidis vomitio est instituenda. Si à mensibus suppressis, promoveri debent, quibus revocatis appetitus ille perversus cessat. Vinum roborans & generosum non raro picam pellit. Conveniunt hic tincturæ stomachales aliaque ex sale volatili oleoso constantia, quæ descripsimus. Porro acidum concentrantia sunt præscribenda si causa sit alcali; sin contra, blandè acida sunt adhibenda: quæ etiam, exceptâ vomitione, etiam gravidis conveniunt.

Alimentorum fastidium.

FASTIDIUM est ciborum quædam aversatio, præsertim eorum, qui ventriculo nocere possunt. Estque *ingenitum*, quod parentes ab hoc vel illo cibo abhorruere. unde ventriculi fermenta & spiritus animales eodem modo innato coguntur imaginationem ita movere, ac in parentibus, atque sic multi oriuntur morbi hæreditarii. Vel *præcessit aliquod rei nocumentum*: ut, si vescatur quis quotidie brassicâ, ovis, piscibus, &c. Postea erunt fastidio: vel *Morbi*, præsertim febres, adsunt, tunc enim carnes, panem, cerevisiam lupulatam, &c. fastidiunt.

Hoc in casu si malum sit ingenitum, raro medicamentis restauratur: sed si à nocumento, sæpe restituitur vinis & Tincturis stomachicis, ut & elixire proprietatis. Sin à morbo, eo sublato, fastidium evanescet.

Cardialgia, seu Ventriculi dolor.

Si Pituita sit acida ac tenax plicis ventriculi adhæreat, aut obstructio sit in glandulis quibusdam ventriculi; aut aliquid aliud in ventriculo hæreat excibis minus dentibus comminutis, ut porci corium, fila lanea, aut lintea, pili, vermes; vel si adsint scirrhosæ glandulæ, indurationes, tophi, &c; fixus dolor sæpe, è cordis regione, oritur, qui male CARDIALGIA vocatur, sed potius *ventriculi* vel *stomachi dolor* dici meretur. Vide de causis ulterius nostras *Institutiones*.

Si à flatibus eructatis ilico levamen sentitur; tunc malum facile expellitur. Si symptomata adsint gravissima, ut Lipothymiæ, Hysterica passio, motus Epilep-

Epileptici, cephalalgia, uentriculi, pancreatis &c ulcera, ſcirrhi, mœrores & triſtitiæ diuturnæ &c. malum eſt ſiniſtrum. Si à vermibus rodentibus, malum, iis expulſis, ceſſabit.

Si cibi in ventriculo, ob elutum à potu fermentum, corrumpantur, NIDORES eructantur, ac ſi eſſent à putridis ovis, vel inſtar aquæ Aquis granenſis. Quidam cibi facile in ventriculo aceſcunt, tunc quaſi ARDOR IN VENTRICULO excitatur, (nobis DE SODE) hoc ſæpe fit à fructibus horariis, à fabis & piſis præſertim acido condimento appoſitis. In ventriculo tunc ſentitur quaſi quædam corroſio, præſertim ſi tabacum ſuperſugatur, aut vinum Rhenanum ſuperbibatur. Vapores è ventriculo elevati inſtar flammæ eructantur hinc non mirum quoſdam flammas eructaſſe, & ejusmodi flamma eſſe conſumptos, quod factum *Bolſwardiæ*, in Friſia 1681, menſe Julio: Vide quoque hiſtorias ſimiles apud magnum *T. Bartholinum* in centuriis, & C. *Piſonem*: Similem obſervationem mihi ſcripſit *Joan. Lud Hanneman* D. & P. P. S. R. I. A. N. C. *collega*, *dictus Neſtor St Sec.* His verbis:

Dyſpepſia nidoroſa & acida

Ventriculi ardor. & flamma.

Quidam, inquit, Ruſticus in pago *Baldebuctel* prope *Fridrichſtadium* in Holſatia vino aduſto ſe impleverat, & inclinans cum capite in pulvinar, locus, cui os ejus fuerat applicatum, quaſi flamma erat ambuſtus & potator mortuus repertus.

Cauſa iſtius flammæ videtur fuiſſe ſpiritus vini, quod omnibus exemplis teſtatur, nam qui ita affecti erant, non niſi poſt immodicum ſpiritus iſtius hauſtum; flammam experti fuerunt: Hujus rei rationem dedimus in deſcriptione vitrioli ſulphuris & alibi: ſpiritui quoque nitri, vitrioli, &c ſi admiſceas vini ſpiritum, ac vitrum claudas, brevi in fruſta diſſiliet, quia nempe incaleſcit, & majus ſpatium requirit.

Ex læſa chylificatione, morborum cohors eſt expectanda, ut *morbi chronici*, *Phthiſis*, *Scorbutus*, *febres*, *colica paſſio*, *convulſiones*, *morbi cutanei*, *Arthritis*, *obſtructiones viſcerum*, &c.

Qui itaque nimio laborant acido, vitent acida, & omnia facile acorem contrahentia, ut ſunt fabæ, piſa, braſſica, caſeus, lac, & ipſe panis, quia minimo acido in fermentum tranſit, qua de cauſa acidum augetur. Fiat vomitus arte; vel aliquando purgantia dato ex Elixire proprietatis ſine acido: Hiera picra &c. ut acidi cauſa evacuetur ſive ſurſum ſive deorſum: deinde acidum temperantia ſunt quotidie bis terve aſſumenda ex coralliis, oculis cancri, chalybe, teſtaceis &c. cereviſiæ inſtilletur liquor tartari per deliquium, roboretur quoque ſtomachicis Tincturis ventriculus, ex ſemine fœniculi, aniſi, carui, cardomomi, pipere, zingibere, ſaſſaphras. menthâ, cinamomo, Acoro, Galangâ & ſimilibus poſtea deſcribendis. Si cauſa originem ex ebriet ate habeat, ſorbeatur potus Theæ aut Coffeæ, & ſtomachus poſtea roboretur fruſtulo zingiberis conditi.

In *dyſpepſia nidoroſa* eodem modo, ut ſupra, procedendum.

In *ventriculi ardore*, uſurpanda ſunt Alcalina quibus acidum illud rodens effervescens obtunditur. nempe ex oculis cancri, coralliis, matre perlarum &c. Et tunc ſtatim ceſſat.

FAMES

Fames canina & Bovina.

FAMES CANINA vel BOVINA, Κυνόρεξις & Βουλιμία etiam à succo ventriculi potenter acido fit, idque volatili & penetrante, nimisque rodente; Si Vomitus ob motus convulsivos adsit, *Canina* appellatur *fames*; ast si Lipothymiæ, *Bovina Fames* ei nomen est, nam hic nervi stomachi roduntur, qui cum cardiacis nervis communionem habet: atque gradibus tantum differunt: voraces sunt illi admodum, quoniam cibis semper rosionem temperare & subjugare coguntur.

Hic morbus non est quidem mali eventus, nisi quartanæ, hydropi, aliisque chonicis morbis superveniens; cibi enim tunc malé digeruntur, unde chylus crudus, & exinde funesta symptomata. Sic nihil quidem mali portendunt post febres, nisi cibi admodum larga quantitate devorentur, atque tunc facile recidivas patiuntur. Si brevi non sistatur cachexia, Hydrops, lienteria, marcores, aliique morbi lethales sunt expectandi.

Anorexis in principio & statu alicujus morbi non est mali ominis, modo in morbi declinatione appetitus redeat: ast, si in declinatione prosternatur, morbus vel est recidivus, vel est signum alterius morbi insequentis: idque præsertim post febres. Cessante colico dolore, nephritide, &c. Appetitus redit: Sic cessante tristitiâ, gaudio &c. idem restituitur. Nervorum & membranarum ventriculi paralysis ut & calculi in stomacho malum. Paralysis enim difficulter restituitur, & calculi intra membranas hærentes non facile franguntur, aut dissolvuntur. Si pituita viscida abundet, vomitorio restituitur. si post suppressos menses, aut chlorosin, ingravidationem, &c. exactâ curatione, appetitus redit.

Si itaquè à materia ventriculo contenta, vomitoria usu veniant, aut purgantia aliquoties repetita, ut saburra eliminetur. Pituitam incidentia sunt usurpanda. Si fibræ ventriculi sint resoluti à potu nimio &c., roborantia conveniunt. Sunt qui acidis appetitum restaurare satagunt, sed tunc plus cibi ingeritur, quam à fermentis dissolvi potest, unde plus nocent quam prosunt; ex iis enim tunc chylus crudus paratur, atque hinc denuo malorum cohors.

Si *Appetitus* fuerit à nimia pituita *prostratus*, & Remediis incidentibus restitui non possit, ad *Emetica* descendendum est, nempe ex.

Vomitoria.

Croco Metallorum; *Vitro*, *Sulphure*, Floribus, & *Regulo Antimonii*; *Tartaro Emetico*; *Crystallis Lunæ & veneris*; *Vitriolo cæruleo & albo*; *Turbith minerali*; *Hercule Bovii*; *succo Asari*, *aut Gratiolæ*; *Gutta Gamba &c.*

Peracta vomitione, omnis saburra contenta solvitur & foras elutriatur. Postea viscositates sunt attenuandæ Medicamentis Attenuantibus, Incidentibus, & motum ordinarium adducentibus. Ut Ex. gr. sunt.

Pituitam incidentia.

Radices Acori, Aristolochiæ, Galangæ, Gentianæ, Helenii, Raphani Rusticani & Hortensis, Zedoariæ, zingiberis, Ostrutii, &c.

Cortices. Aurantiarum, Citriorum, Limonum, Cinamoni, Macis, &c.

Lignum Aloes, Colubrinum &c.

Folia Abrotani, Absinthii utriusque, Apii, Cardui benedicti, cochleariæ, Menthæ crispæ, Nasturtii aquatici, Nicotianæ, Origani Hispanici, Phellan-

Phellandrii, Rorismarini, Rutæ, Sabinæ, Salviæ, Theæ.

Flores Chamæmeli Romani, Croci, Lavendulæ, Rorismarini, Salviæ, Schœnanthi &c.

Semina Ammeos, Amomi, Anethi, Anisi, Apii, Cardamomi utriusque, Coriandri, Cubebe Cumini, Dauci utriusque, Fœniculi, grana paradysi, nasturtii, nigellæ, Petroselini, Phellandrii, Sinapi &c.

Fructus juniperi, Lauri, carpobalsami, caryophylli, nux Moschata, piper.

Vina spirituosa, vinum adustum.

Gummi Caphora, Mastiche, Myrrha, Opopanax, Sagapenum, Galbanum, Ammoniacum.

Castoreum, Salia volatilia animalium, Millepedes, Sperma ceti, Zibethum, Ambra Grysea, &c.

Ne eadem Medicamenta ad nauseam centies repetantur mappam Emeticorum in Tyronum gratiam apponere volui, ex hisce posterioribus variæ compositiones oriri possunt, ut

ELIXIR VOLATILE OLEOSUM.

Recipe Acori,
Angelicæ,
Galangæ,
Gentianæ,
Ostrutii,
Zedoariæ, *ana unciam unam.*
Corticum cinamomi, *uncias quatuor.*
Citri, *uncias duas.*
Schœnanthi, *unciam semis.*
Macis,
Caryophyllorum,
Croci,
Myrrhæ, *ana uncias duas.*
Spiritus salis Armoniaci, *unciam unam.*
Vini, *uncias octoginta.*

Post digestionem & filtrationem debitam detur jejuno stomacho cochleatim Ast si velis destillationi exponere, uncias octo insuper spiritus salis armoniaci adde : tunc destillatum in vino aliove liquore guttatim propina. Vel compone tibi aliquod *sal volatile oleosum, ut*

SAL VOLATILE OLEOSUM.

Recipe Olei caryophyllorum, *uncias duas.* Sal Volatile oleosum.
Macis destillati, *unciam unam.*
Cinamomi, *drachmas duas.*
Salis tartari,

Armoniaci, *ana libram unam.*

Omnibus bene mixtis affunde

Spiritus vini Optimi, *libras quatuor.*

Hanc mixturam organis vitreis destilla.

Aliud Sal Volatile Oleosum.

Recipe Salis Armoniaci,
Tartari, *ana uncias octo.*
Rad. Galangæ,
Contrajervæ,
Cort. Citri,
Ligni Sassaphras, *ana uncias duas.*
Colubrini,
Guajaci,
Cinamomi acuti,
Macis,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Coriandri,
Cardamomi minoris,
Cubebe, *ana unciam unam.*
Succini crudi, *unciam unam & semis.*
Spir. Vini, *quantum sufficit.*

Post aliquot dierum macerationem vitris ordinariis, idque more solito destilla.

Simili quoque modo salia oleosa cujuscunque generis destillari possunt: ut
Sal volatile Anisatum,
Juniperinum,
Arantiorum,
Citreum;
Rorismarini,
Succini,
Sabinæ, &c.

Sub volatilium classe habentur etiam *Spiritus salis Armoniaci, Urinæ, Vini. Flores salis Armoniaci; Tinctura Assæ fœtidæ; Gummi Ammoniaci, Millepedum. Elixir citri, Vitæ nostrum, Proprietatis sine acido, Spiritus Carminativus Sylvii, Cochleariæ,* &c.

Sola *radice Raphani Hispanici* ejusmodi homines sanavi: vel *decoctione seminis sinapi.* Si alvus sit astricta lubricetur, sumendo singulis diebus pilulam ex *Aloë, chalybe,* & *Gummi ammoniaco.* Hic quoque convenit *Tinctura chalybis Tartarisata*: vel

Recipe Pulv. Chalybis;
Tartari vitriolati, *ana drachmas duas.*
Olei Caryophyllorum, *guttas duas.*

Cremo-

Cremoris tartar, *unciam semis.*
Misce fiant pulveres decem.

Singulis diebus unus sumatur; conveniunt imprimis in hominibus calidi succi. vel

Recipe Extracti cardui benedicti, *drachmas duas.*
Helenii, *semiunciam.*
Oculorum cancri, *drachmas duas.*
Zingiberis, *drachmas sex.*
Chalybis præparati, *drachmas tres.*
Elixeris proprietatis sine acido, *quantum sufficit.*

Sumatur singulis diebus idque jejuno stomacho nucis avellanæ quantitate. vel

Accipe Rad. Helenii,
Angelicæ, *ana unciam semis.*
Acori, *drachmas duas.*
Herb. Melissæ,
Menthæ, ana *manipulum unum.* Vinum Medicatum.
Cort. Arantiorum,
Sem. Carei,
Aloes,
Caryophyllorum, *ana drachmas duas.*
Vini albi Generosi, *libras quatuor.*
Misce fiat Vinum Medicatum.

Mane de hoc vino cochlear unum aut alterum sumendum. vel

Recipe Rad. Enulæ campanæ,
Acori,
Galangæ minoris, *ana drachmam unam.*
Ligni aloes,
Mastiches,
Caryophyllorum,
Cinamomi, *ana drachmam unam.*
Elixiris Proprietatis, *drachmam unam.*
Sacchari albi, *uncias tres.*
Misce fiant Tabellæ.

Dosis ad drachmas tres. vel sume *Tincturam nostram Mastichinam*, cujus descriptio hæc est.

Tinctura Mastichina Nostra.

Recipe Mastiches, *unciam unam*
Croci,
Aloes,

Myrrhæ,
Spir. cornu cervi, *ana unciam semis.*
Vini, *uncias sexdecim.*
Misce fiat Tinctura.

Sumantur quoque nonnunquam *Hieræ* picræ *drachmæ tres.*

Diæta constet ex cibis Eupeptis : & inter edendum nonnihil vini sumatur. Quidam interim Emplastrum quoddam stomachale applicant. ut

Emplastrum stomachale.

Recipe Absinthii latifolii,
Menthæ crispæ,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ, *ana drachmas duas.*
Mastiches, *unciam semis.*
Olei Absinthii per infusionem, *sesquiunciam.*
Resinæ,
Ceræ flavæ, *ana quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum.

Vomitus curatio.

Zingiber Conditum, uti & condituram Indicam, quæ *Aciar* vocatur, optimi usus esse novi.

Porro si proni ad Vomitum simus, etiam iisdem uti debemus vomitoriis supra præscriptis, ut & ejusmodi incidentibus oleosis : si vomitio fuerit modica, medicamenta sunt negligenda; nam hoc modo saburra ventriculi satis exinanitur. In Capitis vulneribus Lethalis esse solet, si nimius fuerit : sit ut sit, sive de quacunque causa oriatur, si modum excedat, succurrendum est anodynis, ut ventriculi convulsio sistatur : Exempli gratia, si detur *opii præparati* granum unum vel duo. Vel *Theriacæ* drachma cum *olei macis stillatitii* guttis sex. Vel *Mithridatii*, *confectionis Hyacinthorum*, ana drachma semis, cum tribus guttis *Elixiris Proprietatis.* vel

Recipe Spir. Menthæ, *unciam unam.*
Aquæ cinamomi, *unciam semis.*
Theriacæ, *drachmam unam.*
Laudani opiati, *grana tria.*
Misce detur cochleatim.

Illini potest *Oleo Menthæ* aut *Macis.* In prægnantibus sisti non debet, nisi præter modum vomatur. *Inter navigandum* vomitus nec præcaveri potest nec sisti : præcavetur dormiendo & quiete ; & sanatur quamprimum appuleris terram : ejusmodi vomitus convenit pituitosis, nam utilis est.

Cibi sint faciles digestioni, ac virium refectioni : quibus θώρηξις intermisceri oportet. Cibi condiantur aromatis, Porro, alliorumque ac ceparum genere. Zingiber conditum, vel Enula campana condita conveniet, uti & Elixiria stomachica : Sinapi præparatum cum cibis sumatur. Pulvis calcinatorum lapidum grosso modo tusorum, & assumptorum, sæpe multum pituitæ secum educit : hinc nonnulli limaturam cupri & chalybis sumunt.

Infantes

Infantes etam sunt succurendi Medicamentis convenientibus. Matres vel quæ lactant, ut lac corrigatur, etiam medicamenta sumant oportet. Ex. gr.

Recipe Sem. Cardamomi,
Rad. Galangæ, *ana unciam unam.*
Caryophyllornm, *unciam semis.*
Croci, *drachmas duas.*
Menthæ, *Manipulum unum.*
Spir. vini anisati, *uncias quadraginta.*
Misce fiat Tinctura
Singulis diebus sumatur cochlear. vel

Medicamenta in vomitu nimio.

Sume Tincturæ croci, *drachmas duas.*
Spiritus Menthæ, *uncias duas.*
Cornu cervi rectificati, *drachmam unam.*
Vini anisati, *uncias quinque.*
Misce
Usus & dosis est ut supra.

Menthæ Manipulus in *lacte dulci* coquatur, vel *Semen anisi*, cujus decoctio sæpius singulis diebus bibatur : alias *spiritus anisi* cum *croco*.

Quamvis infantes hoc modo quidem restituuntur, nihilominus tamen, ut acidum fermentum in ventriculo temperetur, & pituitæ productio inhibeatur, cum lacte sunt pulveres dandi ex *oculis cancri* cum *croco*. Reliquiæ enim istius acidi redintegrant sæpe vomitum denovo : sequens quoque pulvis non erit inconveniens.

Recipe Mastiches,
Pyrethri,
Corallorum rubrorum, *ana drachmas duas.*
Misce fiat pulvis tenuissimus.
Dosis ad grana decem & plura, pro ætate, bis singulis diebus vel ter. vel

Accipe Aquæ Menthæ, *uncias duas.*
Tinct. Macis, *unciam semis.*
Spir. salis armoniaci, *Guttas sex.*
Misce.
Singulis diebus cochlear sumendum, sed infantibus aut pueris guttæ viginti ad sexaginta.

Convenit quoque *lac crocatum*, imo & *Aqua Menthæ* cum *croco*. Sic gutta una aut altera *Olei Macis*, *Menthæ*, *Aurantiorum*, *citriorum*, &c. pulti admisceri possunt, vel Vino Hispanico.

Si illa non juvant, confugiendum est ad *semen papaveris album*, quod pulti admiscetur, vel ei incoquitur; vel quarta papaveris capitis pars vel dimidia coqui cum lacte potest. Vel nonnihil *Diascordii* sumant : vel

Recipe Vini Hiſpanici, *uncias tres.*
Aquæ Menthæ, *uncias duas.*
Laudani Opiati, *Granum ſemis.*
Miſce.

Ex hac mixtura ſingulis bihoriis ſumant ſemicochlearis quantitatem.
Ventriculi regio inungatur oleo Menthæ & nucis Moſchatæ, ut

Sume Olei Menthæ per infuſionem, *unciam ſemis.*
Ejuſdem ſtillatitii, *guttas decem.*
Macis expreſſi, *drachmam ſemis.*
Caphoræ, *drachmam unam.*
Miſce.

Hoc Linimento calefacto ventriculi regio inungatur.

Sanguinis Vomitus. Aliquando poſt vaſorum ſanguineorum Ῥῆξιν aut Διάβρωσιν &c. *ſanguis evomitur*, quod ſæpe fit iis, quarum Menſtrua non procedunt, quæ tunc quâ datâ portâ erumpunt, nunc per ventriculum, per nares; nunc per oculos, papillas, gingivas, &c. Cauſa ſit unde ſit, (rationes tam exactè in Praxi non inquiremus, cum ex *Inſtitutionibus noſtris* peti debeant & cauſam ſupra aliquomodo enodavimus.) Siſtendus tamen eſt ille ſanguis, ne patiens brevi deliquium patiatur. Sanguinis eruptiones ſive ſint in ventriculo, ſive in œſophago, ſunt compeſcendæ, & fermentum nimis acre obtundendum, ſuffocandum. Sumat ergo ſequentia.

Cape Caphoræ, *ſcrupulum unum.*
Laudani opiati, *granum unum.*
Succi catechu,
Terræ Sigillatæ,
Lapidis Hæmatitidis, *ana ſcrupulos duos.*
Vini rubri aſtringentis, *uncias tres.*
Miſce.

Hæc Mixtura detur cochleatim. Vel fiat decoctio ex Roſis Rubris, & ſumatur cum corallis rubris.

Curatio Cardialgiæ. In *cardialgia* ſive ventriculi dolore curatio primo acidum temperantibus & balſamicis inchoanda ut ex ſequentibus patet.

Accipe Oculorum cancri,
Chalybis præparati, *ana drachmas duas.*
Olei Macis ſtillatitii, *guttas decem.*
Miſce.

Hoc pulvere acredo temperabitur, & quicquid pituitoſum movebitur.
Summè utile erit Laxantibus uti, ut pituita tenax in plicis ventriculi, glanduloſiſque acinis inhærens ſenſim elutrietur. ut,

Recipe Aloes,
Myrrhæ,

Croci,

Croci,
Magisterii chalybis,
Caphoræ, *ana partes æquales*.
Spir. vini *quantum sufficit*.

Ut extrahatur Tinctura. Ea singulis diebus aliquoties cum vino assumatur guttatim. Vel

Recipe Aquæ Vitæ Mathioli, *uncias duas*.
Cinamomi, *uncias tres*.
Vini Hispanici, *uncias sex*.
Elixiris proprietatis sine acido, *unciam semis*.
Misce.

Ventriculi regioni Emplastra imponi possunt, ex Emplastro de Baccis Lauri, de Cumino; oleo nucis Moschatæ expresso & destillato, Caryophyllorum, Rutæ, Anethi, &c. imo si dolor non est tolerandus, foveatur cum Musco navali, aut funibus carptis & spiritu vini, si molestia oriatur ex cibis dyspeptis, illi vitandi, nonnihil vini aut Spiritus vini bibatur post cœnam aut prandium. In Maximo dolore confugiendum est ad opiata, *Theriacam*, *Mithridatium*, *Diascordium*, *Philonium Romanum*, *Laudanum*.

In vicinis meis habitabat uxor cujusdam sartoris *Christiani Nieuroda*, quæ continuo vomere conabatur, cum cardialgia & lipothymiis crebris; rebar vel adesse saburram pituitosam, vel vermes in ventriculo, præscripsi Emeticum; quo sumpto vomuit vermem septem aut octo pedes longum, & postea se bene habuit. Vide figuras apud *Sennertum*, *Beverovicium*, *Tulpium*, aliosque. Vermis fasciatus vomitu ejectus.

Opiatum. Sed si omnia pertinaciter medicamentis non obediant, vomitoriis materria fixa est evocanda.

In *Ardore ventriculi* ad acidum temperantia est eundum; sumantur *Creta*, *oculi cancri*, *corallia*, *Margaritæ*, *Testæ*, *conchæ*, *& chalybeata*, &c. illa omnia facile acidum illud rodens domant: materia porro laxante ex *Hierâ picrâ* facile expelli potest. Haustu vini Malvatici vel similis vini sæpe cessat. Curatio ardoris ventriculi.

Dyspepsia nidorosa & *acida* profligatur leni vomitorio, aut levi cathartico ex *Aloë*, aut *Elixire proprietatis*, cum adjectione acidum temperantium; vel *Hierapicra* cum *coralliis*, &c. Potus Theæ aut Coffeæ eluet saburram ex ventriculo, si strenuè superbibatur. Cura dyspepsiæ.

Fames canina & *Bovina* requirit summe acidum temperantia: ut *Martialia*, & *Petrosa*. Uti & *vina* bonæ notæ, θώρηξις γὰρ λιμὸν λύει. Item *Vomitoria* sunt sæpè adhibenda, & *Laxantia* lenia, ut materia acida foras eliminetur. Et Famis auctæ.
Inter saturantia haberi possunt *Opium*, *Testæ ac oculi cancri*, *Testæ ovorum*, *Conchæ*, *Mater perlarum*, *cornu cervi ustum*, *Bolus omnis generis*, *Chalybs*, *Corallum*, &c. ut. Saturantia.

Recipe Vitrioli Martis,
Concharum,
Oculi cancri,

Coralli

Coralli rubri,
Antimonii diaphoretici,
Cinnabaris nativæ, *ana drachmam unam.*
Opii, *grana sex.*
Misce fiat pulvis.

Dosis est ad scrupulum unum.

Vitellus ovi ad duritiem coctus acidum potenter domat. Assumant cibos dyspeptos. Fiant tincturæ ex Mentha, salvia, absinthio cum vino generoso; addendo narcotica ex Theriaca, Philonio romano &c.

Temperatis crassis acidisque corrosivis humoribus, materia est leniter expurganda: ante acidi domationem si velis purgare, gravia symptomata sunt expectanda. Si per vomitum expellas, imminet cholera; si κάτω expurges, intestina exulcerari possunt: atque sic Dysenteria ante fores est.

Alvus laxari potest Electuario Hieræ picræ, aut pilulis Hieræ simplicis, &c.

Singultus curatio. Per se sæpe SINGULTUS cessat, præsertim à risu nimio; post majora & sicca frusta deglutita, &c. sed sæpe lethale est in febribus, vulneribus, nimiis evacuationibus, ileo, Hernia, nephritide, &c. itaque si periculum adsit, singultus est, quantum fieri potest, compescendus, idque nervosum succum moderantibus, ut *opio*, & *oleosis*, ac *temperantibus*: dato mixturam ex sequentibus præparatam: Ex. gr.

Recipe Aquæ Menthæ.
Vitæ Matthioli, *ana uncias duas.*
Laudani opiati, *grana duo.*
Oculi cancri, *drachmam semissem.*
Misce.

Detur per vices cochleatim.

Illinatur quoque regio ventriculi *oleo Menthæ*, & *Macis*, & sacculus cum arenâ calidâ imponatur: sternutatorium quoque sumat, ut hoc motu & alter pereat. Medium quoque corpus cingulo cingatur, ut diaphragma & musculi abdominis compescantur à motu illo violento. Infantibus lacti cocto admisceatur nonnihil *Seminis Anisi*, aut *Aquæ Menthæ*, vel gutta *Olei Macis*, imo & *Crocus*; & si in ventriculo abundet acidum, *Oculos* adde *cancri*. Sic supra stomachum illinitio fiat ut supra.

Inflammatio ventriculi. E regione ventriculi sæpe adest dolor magnus, ardor ingens, pungens, tensivus aut pulsans: sæpe adest sanguinis vomitus, aut dejectio: sitis intolerabilis, adest febris in quâ externa frigent, & interna uruntur: atque sic ex loco judicandum num INFLAMMATIO sit VENTRICULI, num INTESTINORUM, illud symptoma non est absque mortis discrimine; sæpe enim ulcus fieri potest, totum ventriculum perforans, atque sic excrementa in abdominis cavitatem delabuntur: præter causas generales etiam inflammari potest ab ingestis, nempe ab acribus & rodentibus; item à pungentibus, ut ab aciculis, spinis, ossiculis &c. deglutitis.

Si alvus sit adstricta, Enemate solvatur emolliente. Si dolor intolerabilis sit

fit & vires ferant, venæ sectio instituatur. Catharctica lenia exhiberi possunt, non fortia, nempe ex *Prunis*, *Passulis Corinthiacis*, *Cassia*, *Manna* &c. Bibat æger calide sequentem potionem.

Recipe Rad. Scorzoneræ, *uncias duas.*
Cornu cervi raspati, *unciam unam.*
Flor. papaveris Erratici, *Manipulum unum.*
Coquantur ex aquâ ad uncias viginti, colaturæ adde
Spir. Cornu cervi, *Guttas decem.*
Tinct. Cinamomi *uncias duas.*
Miscc fiat Potio.

Hoc decocto utatur. Sic Potus Theæ aut Coffeæ creberrimè sanguinem intrat, omnemque acrimoniam per diuresin præcipitat, inflammationemque lenit, ac febrim diminuit. Si dolor fuerit intolerabilis, ad opii sacram anchoram confugiendum. Externè applica fotum ex unciis decem *spiritus vini* & semuncia *caphuræ*. Vel impone arenam calidam, vel aliud quid calefactum, calore enim resolvi debet inflammatio. *Sudorifera* lenia uti & *Acidum concentrantia* sunt propinanda, ex *Cinnabari nativa*, *Antimonio diaphoretico*, *oculis cancri*, *Albo græco*, &c.

Si resolvi non possit, sed æger pus evomat, pus tunc vel evomiturvel cum excrementis alvinis deponitur: itaque detergentia sunt propinanda. Clysteribus additur nonnihil *Myrrhæ* cum *Terebinthina* & *ovi vitello*. Assumatur *Hydromel vulnerarium*, ex. gr.

Accipe Herb. Agrimoniæ,
Virgæ Aureæ,
Veronicæ,
Betonicæ, *ana manipulum unum.*
Rad. Rubiæ Tinctorum.
Limaturæ chalybis, *ana uncias duas.*
Coquantur ex Hydromelle ad uncias triginta; colaturæ admisce.
Tincturæ croci, *guttas viginti.*
Misc fiat potio.

vel.

Sume Terræ sigillatæ, *unciam unam.*
Caphoræ, *scrupulum unum.*
Balsami copaibæ, *drachmas duas.*
Aloës,
Myrrhæ,
Croci, *ana grana decem.*
Vini Hispanici, *quantum sufficit.*
Miscc fiat conditum.

Interim ad consolidandum adde Radicum symphyti majoris nonnihil, & Basami sulphuris,

Diæta sit ex Eupeptis cibis : ex Oryza, lacte dulci, biscocto, percis, Lucio, Trocta seu Trutta, carne juniori, atque recenti, &c. vinum & cerevisia sint mollia.

Sitis læsa. LÆSA quid sit SITIS in *Institutionibus* antea docuimus. Si quis habeat sitim intolerabilem & inextinguibilem, cum lingua arida, ore glutinoso, exsucco, æstu corporis insigni, neque æger de siti molesta conqueratur, delirium adest, ideoque pessimum, cessat judicum, & functiones animales. In febribus ardentibus sitis perparca significat succorum separationem inæqualiter fieri, & per consequens Medici judicium est ambiguum. In Hydropicis sitis potu non extinguitur, sed potius intenditur.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Maximè sitim sedant aquosa, præsertim acidis admixta, sed quia illa non amo, ad alia blandiora fugiendum: imprimis ab aquâ frigidâ in nostris regionibus est temperandum, quia inde non tantum varia symptomata sunt expectanda, sed ipsa mors; calidè potius sorbeatur potus coffeæ, Theæ, salviæ &c. vel serum dulce, aut decoctum ex scorzonera, vel radicibus chinæ, & salsæ parillæ : si vero æger mavult acidum potum, in aquam coctam exprime malum Chinense vel Aurantium, vel coquantur in aqua crystalli tartari; adde nonnihil salis nitri cerevisiæ Neomagensi, vulgo Mol. Lingat frustulum mali Chinensis. Colluatur sæpe os aqua pura sale nitri impraegnata, vino. Vinum aqua cocta dilutum, sitim non tantum profligat, sed & diaphoresin promovet.

Sitis depravata. Eodem modo ut pica, etiam depravata aliquando sitis est, quando ægri appetunt Acetum, succum limonum, aquam salsam; cajus causa depravata saliva est, cujus titillatione papillæ nerveæ afficiuntur, unde phantasia appetendi depravata, eodem modo ac in pica. Cujus curatio eodem modo procedere oportet, ac in pica præscripta.

à Veneno interempti Anatome. *Theologus quidam nocturno tempore ingentibus doloribus circa umbilici regionem torqnetnr, medicamentis frustra sumptis, à veneno, quod ex improvisio sumpserat, obiit.*

INspecto cadavere, erat abdomen cum genitalibns admodum inflatum, ventriculus & intestina variis in locis perforata, adeo ut contenta in abdomen effluxerint.

Qui novit venena corrodere, facile percipiet, unde dolores isti ingentes, & ventriculi intestinorumque erosio & perforatio.

Cuidam succrevit humilis ac latus tumor, insidens firmiter lateri tracheæ, paulo supra jugulum. Hinc respiratio & deglutitio impediebantur, ita ut ne gutta liquoris petransire poterat. tandem emaciato corpore, morti sucubuit.

à Gulæ carcinomate mors. DEnudata post obitum cute, ad instar carcinomatis, colore plumbeo, & radicibus undiquaque diffusus tumor, præsertim circa gulam, intus adeo concreverat, ut vix aciculæ majoris glandem admittebat.

Laboravit cancro glandulæ alicujus ad tracheæ latus communiter residentis:

tis : sæpe glandulæ immensum usque excrescunt, quæ partes vicinas præmunt, ut hic. Si enim trachea & œsophagus liberum habuissent aëris transitum nec deglutitio, nec respiratio læsa fuissent. Cancer gangræna est alicujus glanduæ.

Quidam consistentis ætatis, habitu corporis squallido strigosoque præditus, alvum habens astrictiorem, urinasque saturatè, more scorbuticorum & febricitantium, rubentes; Ructibus ventriculi, sputatione cruentâ, sanguinolentiâ gingivarum per annos aliquot afficitur, interne aliquoties alvi fluxu sanguinolento, semel etiam febri continua, præeunte tumore in inguine, tandemque anno superiori, intumescentia ventris atque pedum hydropica superingruente, prehenditur: postea symptomatibus magis recrudescentibus, quamvis, post medicamentorum usum se bene sensisset, brumali tempore subito vomitu cruento, cum dejectionibus nigris, picis instar correptus, perque triduum continuante, tandem é vivis ereptus. Cadaveris inspectio post vomitum sanguinis cum dejectionibus nigris.

Abdomine demortui aperto, erant Ventriculus & Intestina inflata, nec non nigricantia, interius atramento, quasi sutorio, oblita: Renes & Pulmones se bene habebant: jecur totum scirrhosum ac tuberosum interius atque exterius erat, nec quicquam vasorum aut sanguinis exhibebat. Lien vero triplo major, quam ordinario esse solet, optime sanus conspiciebatur, texturam jecoris colore saturatè rubeo, nec non substantia carnosar eferens: Mesenterium satis glandulosum ac tuberosum atque crassum occurrebat, vasisque mesentericis planè evanescentibus.

Ob sanguinem depravatum succi in ventriculum & intestina debito modo instillari non potuerunt, unde pravus chylus, quo corpus nutriri haud potuit quam ob causam macies inducta est.

Alvus fuit astricta, non tantum ob causam superiorem, sed quod ob corruptum hepar bilis admixtio cum chylo & fæcibus denegata sit: cum, porro particulæ bilem coustituentes in sanguine remanere debuerint, cumque eo diutissime circulum absolventes, tincturam urinæ adduxerunt solito saturiorem.

Ventriculus & intestina flatu turgebant ob convulsiones, quibus expandebantur; cum interim aliquando relaxabantur, aër antea inclusus vi exprimebatur, unde ructus.

Sputatio erat cruenta, ob gingivas à scorbutica saliva exesas.

Ob hepar scirrhosum & induratum, sanguis ejus texturam pervadere nequivit, unde sanguinis stagnatio, quare versus mesenterium & lienem turgens, non tantum vascula splenica immensum usque dilatavit, sed & ob compressionem advenientis sanguinis in intestina effusus est, unde dejectio cruenta & nigra.

Ver literatus triginta duorum circiter annorum, qui postquam ante annos aliquot Cachexia hydropica, ad scorbutum inclinante laborasset; restitutus mediocriter tandem cum diu gravitatem hypochondriorum sensisset, in vomitum sanguinis incidit, cum dejectionibus nigris, vesperi summis anxietatibus, & virium Sanguinis Vomitus ejusque dejectiones.

 jactura

jactura supervenientibus : subsequentibus diebus vomitiones ejusmodi cum nigris dejectionibus reiterantur, cum lapsu virium gravissimo. Postea medicamentorum auxilio ad pristinam sanitatem redire visus est. Verum vix semestre complebatur, & ecce, recidivam patitur. portiones sanguinis coagulatas primum, post etiam sanguinem purum evomens, cum dejectionibus atramentum dilutum referentibus, viribus tandem exhaustis vitæ spiritum exhalavit.

CUM Abdomen apperiretur, jecur scirrhosum & lividum, lien satis magnus & sanguinei coloris : Vasa stomachum cingentia, sanguine turgida. Intestina potissimum lata, cum ileo, succo nigricante, attramenti instar, oblita conspiciebantur, quo deterso, vasa intestinalia succum ejusmodi sanguine permixtum effundebant.

Novimus quod omnis abdominis sanguis per portæ truncum hepar subire debeat, quo obstructo, quid fit? nisi cruoris regurgitatio, adeo ut ob affluxum arterialis sanguinis iste venalis ita in venis prematur, ut ῥήξει facta, foras in ventriculum & intestina erumpat, hinc vomitus cruentus, & excrementa alvi nigerrima. Ob sanguinis quoque stagnationem, lien solito major apparebat; jam perfacile divinandum est unde in hypochondriis gravitas, partim nempe ab obstructo Hepate, partim à splene sanguine turgido.

II. Caput.

DE DIARRHOEA; DYSENTERIA; TENESMO; FLUXU HEPATICO DICTO; CHOLERA; LIENTERIA; COELIACA PASSIONE; ILEO; ALVO ASTRICTA; VERMIBUS; INTESTINORUM ET ANI INFLAMMATIONE, &c.

Diarrhoea. DIARRHOEA immodica vires nimium prosternit, sed si modum non excedat salubris sæpe est; nisi Phthisicis, gruvidis aliisque morbis acutis aliquando periculosa est. Pro materiâ, quæ excernitur, aliquatenus differt, sæpe enim est biliosa, pituitosa, serosa, &c. Ex succis acribus sæpe oritur, vel ex frigore contracto & similibus. *Sublata causa, facile tolletur effectus.* Omnes illi fluxus alvini gradibus ab invicem tantum differunt, prout succi intestinales sint acres aut mites : Ex fœtore excrementotum satis liquet acidum peccare, imo & ex medicamentis acidum temperantibus, sudoriferis, &c

Ut curetur, solent primo levia cathartica præscribere, præsertim quæ etiam astringnnt, ut sunt *Rhabarbarum* & *Myrobalana*. Ex.gr.

Recipe Rhei electi, *drachmam unam.*
Myrobalanorum citrinorum, *scrupulos duos.*
Santali citrini:
Cinamomi acuti, *ana scrupulum unum.*
Misce fiat Pulvis. Vel.
Sume Rhabarbari tosti, *drachmam unam.*
Nucis Moschatæ, *Scrupulum semis.*

Misce

Misce fiat pulvis.

Multum si adfuerit visciditatis, aut humoris tenuis, tunc

Accipe Rhei Electi, *scrupulos duos.*
Pulv. Jalappæ,
Cinamomi, *ana grana decem.*
Spir. vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat tinctura.

Solent præscribere Rhabarbarum quia simul purgat & adstringit; Sed novi, omnes milites Montepessuli, qui Rhabarbarum sumpserant, obiisse. Malo itaque acidum concentrantibus, diureticis, roborantibus & sudoriferis uti, diuretica & sudorifera hic valde prosunt ex eo, quod urina & sudoris materia in alvi fluxibus aliquo modo suspenditur, & magis ad intestina ruit, quam ad partes urinæ & sudoris secretioni destinatas. Porro acrimonia temperari debet, ne dolor intestina invadat. Et quia in ejusmodi fluxibus vires languescunt utimur quoque spiritibus reficientibus.

Enemata ex Lacte chalybeato prosunt. Abdomen *oleo Menthæ*, *Macis destillato*, &c. illinatur: Acidum absorbentia, ut dixi, hic præprimis magni usus sunt, uti & quæ ex *Opio* præparantur. Ex. Gr.

Recipe Vini rubri (vulgo *vin tint*) *uncias tres.*
Aq. cinamomi, *unciam unam.*
Diascordii,
Mastiches, *ana drachmam unam.*
Maceris pulv. *scrupulos quatuor.*
Misce. detur cochleatim. vel,

Cape Spiritus Menthæ.
Aquæ Cinamomi, *ana uncias duas.*
Olei Macis, *guttas sex.*
Laudani Opiati, *grana tria.*
Cornu cervi usti, *drachmam unam.*
Misce. Detur cochleatim. Vel,

Recipe Oculi cancri, *unciam semis.*
Thuris, *Drachmas duas.*
Caphoræ, *Drachmam unam.*
Misce fiant pulveres numero octo.
Singulis diebus duo sumendi vel tres. Vel,

Recipe Mivæ cydoniorum, *uncias duas.*
Corallorum rubrorum,
Lapidis Hæmatitis,
Chalybis præp. *ana drachmas duas.*
Tincturæ catechu, *quantum sufficit.*

Misce fiat conditum.

De quo ter de die quantitas magnitudine nucis moschatæ sumatur. Vel,

Recipe Cretæ albæ, vel.
Terræ, ex quibus tubuli tabacarii conficiuntur,
Santali citrini, *ana unciam semis.*
Thuris,
Masticheş, *ana drachmam unam.*
Sacchari albi, *uncias duas,*
Misce fiant tabellæ.

Dosis ad drachmas duas.

Patiens cubitum iturus, vinum calidè bibat cum vitellis ovi, cinamomo & nuce Moschatâ. Pultes ex lacte & farinâ, hordeo mundato, aut oryzâ sumat. Acida & salsa, uti & cruda, angue pejus vitanda.

Quidam Scorbuticus post diutinam diarrhœam tandem obiit.

A diarrhæa denati anatome.

IN Hepatis gibba parte atheroma rotundum & amplum se exhibuit, idque proxime posticam Diaphragmatis regionem, juxta venam cavam, pugni magnitudinem fere æquans, ac pondere fere unciarum sex: materia continens partim erat fluida & gelatinæ instar pellucida, partim crassa albi pultis in modum. Hepar solito majus, vasa sanguinea intestinorum valde turgebant, & varicum instar dilatata.

Istud *Atheroma* in gibba parte factum, portæ venam ita compressit, ut sanguis Hepar ingressurus, regurgitare cogeretur, hinc contra valvulas ita comprimebatur, ut vascula varicosa viderentur: interim Humores à glandulis intestinalibus sequestrandi, majori copia emanabant, quam solet; ob compressionem enim vasorum, vi quasi, ex sanguine exprimebantur; qui ob acrimoniam, quam ex mora contraxerant, diarrhœam induxerunt.

Hepar erat solito majus, quia ob compressionem sanguis ex portæ vena in cavam versus cor redire non potuit: quâ viâ præclusâ, vasa Hepar perreptantia magis distendebantur, unde & totius molis distensio.

Puellula quædam bono corporis habitu prædita, enormi corripitur Diarrhœa, postea nonnihil remittens, & tandem cum vomitibus recrudescens. Fuit in dextro hypochondrio durities, aderant sitis, pervigiliæ, dolor capitis, stercora alba, & virium prostratio. Denique Epileptica obiit.

Alia.

A Cervice ad dorsi finem spina erat nigra. Ventriculus aliquo modo nigricans & putridus, humorem continens viridem: jecur scirrhosum. Folliculus fellis nigricante bile turgidus. Cerebrum ingens aquæ innatans.

Videtur fuisse species alicujus febris malignæ, cui cætera symptomata concomitavere.

DYSENTERIA major fluxuum alvinorum gradus est; in eâ enim excernitur sanguis, purulenta materia, & aliquando glandulæ intestinorum cum torminibus & intestinorum dolore, non sine febri & siti. Estque potiu' Febris symptoma, quam ipse morbus. Hic etiam acre & rodens aliquos

acidum

acidum peccare videtur, cujus ope inteſtinorum interior tunica corroditur, & tenella vaſcula ſanguifera aperiuntur, atque ſic primo prodit ſanguis: deinde abraſâ tunicâ gignitur pus, quod cum abraſis particulis excernitur. Acris redditur ſanguis ſive ab aëre arſenicali, aut à veneno aſſumpto, *Arſenico* ſcil. *Sublimato*, *Auripigmento*, aut nimiâ quantitate quorumlibet Purgantium.

Malum ſi hæret in tenuibus inteſtinis, longè pejus eſt quam in craſſis & carnoſioribus. Si habeat vomitum & febrim comitem periculoſior, quam ſine. ſi maligna ſit & contagioſa, non ſine periculo eſt: vomitus cum ſingultu jugi ſi adjungatur, derterrimum ſignificat ſtatum, cum & ipſe ſtomachus affectus ſit. Stercora colore viridi, nigro aut vario cum fœtore intolerabili, deterrima; ſi ſuperveniat ructus, aut flatus per podicem emittantur, bonum eſt, tunc enim ſucci digeſtivi & fermenteſcentes in priſtinum reducuntur ſtatum: ſed mors in propinquis eſt, ſi convulſiones & deliria appareant. Si veluti carunculæ deponantur, θανάσιμον, & eo magis quando dolores ſubitò ceſſant, quod, ut in Ileo, lethale: tunc enim gangræna aut ſphacelus adeſt, & certe moriuntur: In morbi principio vomitus bilioſus, periculo non vacat, nihil enim bilis tunc relinquitur, qua ſuccorum acrimonia obtundatur. Variolis, aut febribus malignis ſuperveniens, peſſimum eſt. Si febris ſuperveniat, aut ſi adfuerit, intendatur, non bonum, indicans inflammationem adeſſe, præſertim ſi interna urantur, & externa frigeant: Inſtante morte abſque pulſu algidi jacent, quamvis de partium interiorum intenuſſimo æſtu conquerantur. Si Lienteria ſuperveniat, peſſimum, tunc enim nihil ſucci nutritii aſcendit, & vires non reſtaurantur. Sic advenientes Aphthæ, ut & ſingultus, peſſima ſigna. Ut plurimum abortiunt, ſi gravidæ incurrant dyſenteriam: aſt ſi debito tempore fœtum enitantur, non raro liberantur, nam tum per lochia quidquid peccat, excernitur, Aphthæ exeunte morbo advenientes, mortem imminentem ut plurimum denuntiant. Sic manuum & pedum frigore ſuperveniente, in maximo erit æger periculo.

Poſt veneris exercitium conſtipatur alvus, ergo diſentericis putatur eſſe remedium. Si podex hiet, in Lienteria, paralyſis adeſt; ſin vero arctè claudatur, tumor cum inflammatione præſens eſt, quod ſignum eſt mortiferum. Ex dyſenteriâ pueri & ſenes facile pereunt: inteſtina enim puerorum ſunt admodum tenella, corruptioni & ſpaſmis maximè obonoxia, & ut ſenes, vires ferre non poſſunt hoſtem ſi ob conſumptionem & eroſionem tunicæ glanduloſæ inteſtina callo obducantur, chylus per vaſcula lactea aſcendere nequit, hinc atrophia, & maraſmus. Si ſanguis ſincerus ne minimo quidem muco admiſtus ſingulis ejiciatur conatibus, corroſionem majorem aliquot vaſorum, quæ inteſtina perreptant denotat; ægroque interitum minatur.

Itaque illud acre evacuandum eſt & temperandum, febriſque eſt jugulanda. Levia primo purgantia præſcribi ſolent, quæ ſimul conſtringunt. Ex. gr.

Recipe Rhei toſti, *drachmam unam.*
Myrobalanorum citrinorum, *drachmam ſemis.*
Cornu cervi uſti, *ſcrupulos duos.*

Miſce

Misce fiat pulvis. vel,

Accipe Rhei tosti,
Mechoacannæ, *ana drachmam semissem.*
Mivæ cydoniorum, *quantum sufficit.*
Misce fiat Bolus. vel.

Recipe Myrobalanorum chebulorum.
citrinorum, *ana sesquiunciam.*
Passularum majorum, *uncias duas.*
Coque ex aquâ chalybeatâ ad consumptionem
medietatis, colaturæ adde
Cinamomi tusi, *drachmas duas.*
Misce.

Simul purgat & astringit. Verum hæc cum omni prudentiâ sunt præscribenda, ut supra innuimus. Omnia *Acidum Temperantia* longè meliora sunt, quia hisce causa tollitur, de quibus statim. Interim enematum usus non est negligendus. Ex.gr.

Recipe Lactis recentis, *nucias decem.*
Terebinthinæ, *uncias decem.*
Vitellorum ovorum, *Numero tria.*
Misce fiat Clyster. vel,

Recipe Cerevisiæ recentis, *uncias decem.*
Myrrhæ,
Thuris,
Mastiches, *ana sesquidrachmam.*
Boli Armenæ, *drachmam unam.*
Misce fiat Clyster.

Cape Glutinis vulgaris, *unciam semis.*
Terebinthinæ, *drachmam semis.*
Plumbi crudi, cum aqua in pulverem tusi, *drachmas tres.*
Amyli, *drachmas duas.*
Lactis Chalybeati, *uncias decem.*
Misce fiat Enema.

Balsamum Peruvianum cum vitello ovi clysteribus admixtnm, multum utilitatis adfert. Negligenda sudorifera non sunt, ex *scorzonerâ*, *cornu cervino raspato*, *Radicibns contrayervæ*, *croco*, &c. danda quoque sunt, quæ astringunt, confortant, & acidum temperant. Cavendum ne stringentia nimis maturè dentur: quia tunc saburra acris in sanguine manet, unde Mors, vel Mania, Apoplexia, Pleuritis, sanguinis vomitus, scabies, &c. expectantur. Præscribe ergo sequeintia, ut

Sume

Sume Oculor. cancri,
Coralli rubri, *ana drachmas tres.*
Olei macis stillati, *guttas decem.*
Misce fiant Pulveres octo.
De quibus duo vel tres singulis diebus sumantur. vel,

Recipe Mastiches,
Cornu cervi usti, *ana unciam.*
Balsami peruviani, *guttas sex.*
Misce fiat pulvis.
Dosis eadem est ut supra.
Cum vitello ovi Balsamum Peruvianum sumere licet. vel,

Recipe Spiritus Menthæ,
Tinct. cinamomi, *ana uncias duas.*
Oculor. cancri, *drachmas duas.*
Antimonii diaphoretici, *scrupulos duos.*
Diascordii, *sesqui drachmam.*
Olei macis, *guttas sex.*
Misce detur cochleatim. vel,

Sume Radicum consolidæ majoris, *unciam unam.*
Folior. Hyperici,
Hederæ terrestris, *ana Manipulum unum.*
Cornu cervi raspati, *sesquiunciam.*
Coque ex aqua chalybeata, ad uncias viginti. Colaturæ adde
Tinct. cinamomi nostræ, *unciam unam.*
Catechu, *uncias duas.*
Misce fiat potio, quotidie calidè sorbenda. vel,

Cape Tinct. Hyperici, *uncias quatuor.*
Aq. Menthæ,
Cinamomi, *ana unciam unam.*
Laudani opiati, *grana duo.*
Misce. sumatur cochleatim. vel,

Recipe Pulv. Consolidæ majoris, *uncias duas.*
Diascordii, *drachmas duas.*
Antimonii diaphoretici,
Cornu cervi usti, *ana sesqui drachmam.*
Mastiches, *drachmas duas.*
Terræ Vitrioli dulcis,
Nucis Moschatæ, *ana scrupulos duos.*
Vini (nomine *vin tint*) *quantum sufficit.*

Misce fiat conditum.

Dosis bis vel ter de die, ad magnitudinem nucis moschatæ. vel

Recipe Laudani Opiati, *grana decem.*
Croci Martis,
Salis saturni, *ana grana sex.*
Misce fiant pilulæ numero viginti.

Dosis est pilula una nonnunquam sumenda. vel,

Recipe Oculorum cancri,
Masticheś,
Bals. sulphuris terebinthinati.
Scoriæ ferri,
Antimonii diaphoretici, *ana drachmas duas.*
Balsami peruviani, *guttas decem.*
Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Misce fiant tabellæ.

Quidam carnem infumatam in patellâ leni igne exsiccant, contusam cum vino rubello astringente assumunt.

TINCTURA CINAMOMI NOSTRA.

Recipe Cinamomi acuti, *uncias quatuor.*
Nucis Moschatæ, *unciam unam.*
Olei Macis destillati, *guttas viginti.*
Spiritus vini, *uncias duodecim.*
Misce fiat tinctura.

Quæ cochleatim cum vel sine vehiculo assumi potest. Pro rerum exigentia aliquot *Opii* præparati grana admisceri possunt.

OPIUM PRÆPARATUM.

Recipe Opii exsiccati, *quantum placet.*

Extrahatur Tinctura cum spiritu vini tartarisato, quæ in consistentiam massæ pilularum est evaporanda: plerique *Castoreum*, *Crocum*, similiaque addunt, sed quid utilitatis in tam exigua *dosi* afferant, non video. Ideoque *olea stillatitia Cinamomi Caryophyllorum* &c. magis convenirent: uti & *Moschus*, *Ambra Grisea*, &c. cujus grani quantitas plus valet, quam octo *croci* vel *Castorei*.

TINCTURA HYPERICI.

Accipe Florum hyperici recens siccatorum, *unciam unam*,
Solidaginis saracenicæ, *unciam semis.*
Radicum chelidonii Majoris, *drachmas duas.*

Spi-

Spiritus vini, *uncias duodecim.*
Tincturam extractam filtra, & ad usum repone.

TINCTURA CATECHU.

Recipe Catechu, *uncias duas.*
Spiritus vini, *uncias duodecim.*
Extrahatur Tinctura.

Abdomini imponi potest arena calida vel aliquod Emplastrum roborans & confortans ex Theriacâ, & *oleo ex radicibus cinamomi*, *Caphoræ dicto cum oleo maceris* expresso. Cibi cum cinamomo condiantur & nuce moschata. Inter cibos habeatur ᾠόγαλα cum cinamomo, lac oryzatum, vinum calidum vel cerevisia cum aromatibus. Sæpe curatur amylo ex lacte cocto, vel papyro alba cum lacte elixa.

Hortulanus diuturna Dysenteria denatus, aperiebatur.

Intestina erant admodum inflata, interiorque tunica penitus abrasa. Hepar sublividum. Vesicula fellis viscosa, imo pultacea ac crassa bile distenta ac turgida.

Deficiente in corpore nostro bile, quæ suo alcali omnem aciditatem amovet, humores acidi & acres certissimè in sanguine abundare debent. Hinc sanguis coagulatur, & recens chylus acorem contrahit. Jam facile causam invenimus, cur hepar hujus cadaveris fuerit sublividum; sanguis enim illud viscus petransiens, nimia aciditate fuit sphacelatus, unde color plumbeus. Porro ex sanguine ita coagulato ac viscido nihil bilis potuit sequestrari, nisi humor crassus, lentus vel pultaceus. Dysenterici anatome.

Acidi porro humores, qui à glandulis intestinorum segregantur, non modo convulsiones, unde eorum inflatio; sed & corrodendo continuam fæcum egerendi necessitatem pariunt. Nam *Dysenteria* nihil aliud *est*, *quam frequens humoris acris & acidi cum dolore egestio, cui & febris cum siti adjungitur*. In hujusmodi morbis chylus adeo acidus evasit, ut sanguini jungi & misceri non possit, eodem ferè modo ac lac secretum nunquam ita exactè uniri potest, sed semper ab invicem caseus & serum secedent, illudque mulierculæ culinariæ ob servant, cum crassamentum lactis serosi subsidere & fundum petere videant. Ista casei & seri secretio, cur quoque chylo nostro non esset applicanda? caseus in hoc affectu sanguinem reddit tenacem, crassum & viscidum: serum acidum ad intestina ruens, ibi convulsiones & corrosiones excitat, unde dolores & frequens egestio. Sanguis coagulatus tandem, ob motum particularum acidarum & alcalicarum incalescit, febrimque adfert, & salivæ inopiam, qua sitis excitatur.

Juvenis decimum quintum annum agens, nomine *Corn. Brouwer* incidit in Diarrhœam, quæ tres quatuorve septimanas continuavit. Medicus in Medelam ei adstringentia quædem præscripsit. Desistente Diarrhœâ, delirus factus, & simul cæcus: Mense tertio post hæc primo lumen conspiciebat, & cæcitas sensim evanuit: sed brevi post iterum subito in cæcitatem incidit: tunc os frontis cauterio fuit ustum, sed sine successu, & annis à Diarrhœa demortui anatome. Cæcitas post Diarrham.

annis 24 post illud tempus cæcus mansit: sed quod notandum, illum tempore bienni bis vidisse, & bis cæcum fuisse.

Aphonia post dysenteriam. Alium novi qui post Dysenteriam loquelam amiserat, sed setaceo restitutus.

Inhibitæ dysenteriæ symptomata. Fœmina agens annum sexagesimum, *Dysenteria* laborans, ex consilio fœminæ vicinæ, ad fluxum inhibendum, panem album calidum & recens clibano seu furno exemptum, cum olivarum oleo devorabat; hoc modo fluxus aliquantisper obediebat: quid fiebat? in omnibus totius corporis membris non exiguus dolor oriebatur, præsertim in articulis cum pustulis & prutitu.

Hoc factum, quia acres humores, qui in intestinis elutriabantur, in sanguine manebant, membranasque vellicabant, unde dolor. Deinde, quia diaphoresis, ut decet, non respondebat, particulæ acres in cute subsistebant, pustulas, pruritumque concitabant.

Ut itaque fluxus humorum acrium versus intestina revocaretur, ope Rhabarbari purgata est: deinde bis aut ter sudavit, & tandem acidum temperantia sumpsit.

Dysenteriæ curatio ab arcenico. Post assumptum *Arsenicum*, &c. in dysenteriam lethalem quandoque labimur: assumpto Arsenico, corroditur ventriculus & intestina; præcedunt primo convulsiones, & Inflammationes, deinde gangræna & Sphacelus. Si nimis sero non fuerit, statim Emetica danda, præsertim pinguia ex oleo aut butyro liquido, ut acumen particularum corrodentinm obtundatur: vomitu largiter peracto, ægerse ad lectum componat, & haustum sudoriferum sumat, ex *Theriaca*, *Opio*, *Acidum & acre domantibus & expellentibus*, &c. ne scilicet sanguis accessu veneni coaguletur, & ut motus intestinus cum motu progressivo servetur. Superbibat continuò lac dulce calidum, vel potius cremorem lactis dulcem & recentem. Erosis ventriculo & intestinis nullum invenietur Antidotum.

Hypercatharsis. Sæpe à purgantibus nimis acribus inducitur Ὑπερκάθαρσις sive SUPERPURGATIO, hoc est, Purgatio modum excedens & ad animi deliquium: in hoc casu fluxus nimius non tantum compescendus, sed vires exhaustæ sunt reficiendæ, Exempli gratia.

Recipe Tinct. Cinamomi,
Aq. Menthæ,
Melissæ, *ana unciam unam & semis.*
Tinct. Catechu, *uncias duas.*
Laudani Opiati, *grana tria.*
Olei Macis stillati, *guttas sex.*
Misce detur cochleatim.

Si deficiant vires, acetum naribus admove, & nonnihil vini præsertim rhenani bibatur. Post refectionem dato cibum sorbilem ex lacte cum ovis, & cinamomo, aut Jusculum carnis; aut simile quid. Illinatur abdomen oleis calorem adferentibus, & penetrantibus.

In-

In Cholera non tantum inteſtina ſollicitantur ad evacuationem nimiam, ſed etiam ventriculus; in quâ humores acres & bilioſi ἄνω καὶ κάτω ejiciuntur, non ſine magnâ anxietate & ſubitâ virium proſtratione. Abdomen ſæpe intumeſcit, adſunt murmura, dolores, morſus, ſitis, cum calore & anxietate: parvus nonnunquam pulſus eſt & inæqualis; ſudor frigidus erumpit; adſunt convulſiones, Lipothymiæ, Frigus partium extremarum cum febri aliiſque ſymptomatis.

Cauſa eſt quædam acrimonia ſucci inteſtinalis, & ventriculi, cujus cauſa ſæpe externa eſt ut ex venenis aſſumptis, ut ſtatim dictum, vel ex fructibus citò in ventriculo, &c. corrumpentibus, ex malis, pomis, prunis, malis perſicis, uvis, muſto, &c. vel ab aquâ nimis frigidè epotâ, aut ex balneatoine nimium frigidâ, aliâve frigidâ cauſâ: vel ab aere venenato & arſenicali: irritantur itaque ventriculus & inteſtina, à ſuccis illis acribus convulſionem nimiam inducentibus, atque hoc motu vehementi etiam elutriatur bilis, hinc excrementa bile ſunt tincta: quamvis in cauſâ non ſit, nam per accidens tantum emulgetur. Magnæ durationis iſtud ſymptoma non eſt, quia ſæpe ægri brevi temporis ſpatio è vitâ tolluntur, nam omnes partes fluidæ & ſolidæ conturbantur.

Acceſſus iſte vehemens eſt compeſcendus, deinde ſanguis, omneſque ſucci ſunt temperandi. Primo Clyſteres ſunt injiciendi, ut Curatio.

Recipe Cereviſiæ recentis, *uncias decem.*
Caphoræ, *drachmam ſemis.*
Vitellorum ovorum, *numero duo.*
Opii, *grana decem.*
Miſce fiat clyſter. vel

Recipe Juris pinguium, *uncias decem.*
Diaſcordii, *drachmas duas.*
Olei raparum, *unciam unam.*
M. fiat clyſter. vel,

Recipe Terræ catechu, *drachmas duas.*
Lactis dulcis, *uncias decem.*
Cretæ albæ, *unciam ſemis.*
Miſce fiat Enema. vel,

Sume Decocti capitum papaveris, *uncias duodecim.*
Amyli, *unciam unam.*
Miſce fiat clyſter.

Vel ſequens Mixtura cochleatim dari poteſt:

Sume Aquæ Menthæ,
Fœniculi,
Vitæ Matthioli, *ana unciam unam.*
Theriacæ veteris, *drachmas duas.*

Tinct. Catechu, *unciam unam.*
Cretæ albæ, *drachmam unam.*
Misce. vel

Recipe Mithridatii, *scrupulos duos.*
Requiei Nicolai, *scrupulum unum.*
Olei Macis stillatitii, *guttas sex.*
Misce fiat Bolus.

Si hisce nihil promoveatur, dato *Laudanum opiatum* ad grana tria. Illinatur quoque alvus oleis penetrantibus: accessu cessante, præscribe acidum temperantia, ut reliquiæ nempe mortificentur ex chalybeatis & Petrosis, cum croco, macere & similibus. Potus Theæ aut salviæ, aut Origani Hispanici juvat, uti & quies. Bibat nonnunquam vinum nigrum, (*Vin Tint*) sic levis sudatio etiam non nocebit. Supra ventriculum applicari possunt penetrantia, ex spiritu vini, caphora, cum pane recenti & adhuc calenti. Vel applicetur fotus ex mentha, absinthio, macere, caphora &c.

Cholera sicca.

Alia CHOLERA dicitur SICCA, quando sursum & deorsum flatus erumpunt: quæ originem habet à pituitâ inflatâ, quæ levi purgatione est expellenda: deinde carminantia sunt danda, ex corticibus Arantiorum, Semine coriandri, Anisi, carei & similibus.

Lienteria & cœliaca passio.

LIENTERIA & COELIACA PASSIO idem est symptoma, gradibus tantum differens. In prima cibi egeruntur, ut sunt assumpti, absque ullâ sensibili mutatione. In alterâ vero cibi vel plane mutati sunt, vel ex parte, ast absque chyli ascensione per podicem excernuntur.

Causa lienteriæ consistit in defectu succi ventricularis intestinalis, vel obstructione glandularum ventriculi & intestinorum, à viscidis nempe humoribus. In *cœliaca* quidem *passione*, chylus ob succi fermentativi præsentiam in totum vel ex parte mutatur, verum post longam inediam, dysenteriam, glandularum mesenterii obstructiones, &c. oscula vasorum chyliferorum concrescunt, vel cicatrice obducta sunt, atque sic omnis chylus una cum crassamentis egeritur; sic bilis defectu chylo fluiditas denegatur. Atque sic gradibus sæpe malum vel majus est vel minus. Hoc modo corpus chylo frustratur; hinc extenuatur tabe, vel Hydropicum redditur. Exempla docent, quod post diutinam Lienteriam inducta est Tabes vel Atrophia, nam quia nutritio non rectè procedit, vires vacillant; & quid quid sanguini inest succi facescit in cachexiam, idque præsertim si post graves morbos sequitur: ex ea quoque hydrops expectandus. Vide de prognosi quædam, ubi de dysenteriæ cura agitur.

In hisce pituita ejicienda, obstructiones reserandæ, fermenta restituenda: vel concretis vasculis lacteis, vix ulla spes super est. da primo purgationem ex *Rhabarbaro*, *Aloe*, vel *Hiera picra* &c. utere deinde sequente condito: Ex. Gr.

Recipe

Recipe Oculorum cancri, *unciam semis.*
Aloes,
Myrrhæ,
Croci, *ana scrupulum unum.*
Aquæ vitæ, *quantum sufficit.*
Misce fiat conditum vel,
Accipe Absinthii Romani,
Menthæ,
Mivæ cydoniorum, *ana drachmas sex.*
Terræ sigillatæ, *drachmas duas.*
Spiritus Menthæ, *quantum sufficit.*
Misce fiat Conditum.
Alterutrius conditi detur matutino tempore ad unciam semissem. vel,

Sume Oculor. Cancri, *drachmas duas.*
Antimonii diaphoretici, *drachmam Semissem.*
Carallorum rubrorum,
Cinamomi, *ana drachmam unam.*
Misce fiant pulveres quatuor.
Singulis diebus unus sumendus.

Comedantur nonnunquam quædam condita, v.g. Corticum Arantiorum, zingiberis, Nucis Moschatæ &c.

Vel absorbeatur *vinum calidum* cum tribus vel quatuor *ovorum vitellis, saccharo & cinamomo.* Ventriculo vel abdomini Emplastrum applicetur, ex *Cerato santalino*, aut *Cerato stomachico Galeni.* vel,

Sume Aloes,
Mastiches,
Myrrhæ,
Galangæ,
Spicæ Indicæ, *ana drachmas duas;*
Empl. de Meliloto, *uncias duas.*
Croci,
Olei carei stillati, *ana drachmam semissem.*
Macis expressi, *drachmam unam.*
Misce fiat Emplastrum.

Interdum Enema injicere licebit. *Diæta* sit ex cibis Eupeptis, cum haustu vini rubri Hoglandici. Cibi parcé sumendi: neque sorbillum potus Theæ nocebit.

Anatome post dysenteriam & fluxum chylosum.

Juvenis quidam quindecim circiter annos natus dysenteriâ eaque longâ & molestissimâ afflictus, morbo tandem superato, in alium ducebatur, chylosum nempe fluxum cum marasmo; per biennium prope cum perseverassent hæc omnia, mortem tandem obiit; aperto cadavere & intestinis lustratis illa multis in locis callosa reperiebantur.

Fluxus Hepaticus, improprie dictus, in quo serum sanguineum

Fluxus Hepaticus. excernitur, loturæ carnium non absimile, ac sæpe cum grumis sanguinis coagulati.

Causa videtur consistere in sero sanguinis acri, quod ex glandulosis intestinorum acinis exstillat; cujus acrimoniâ vascula intestinorum sanguifera erodunt, ex cujus aperturis sanguis extillatur, atque sic serum deponitur cruentum: si nimiâ copiâ sanguis exstilletur, sæpe in grumos coalescit, atque hac facie excernuntur: vide *Institutiones nostras*.

Atque hoc modo ægri non parum debilitantur, hinc si accedat febris, aut morbus & à longo tempore duraverit, non sine periculo est; disponit enim ad Tabem, Hydropem, cachexiam. & quia præsupponitur semper aliquod Vitium in corpore latere, difficulter curatur.

Curatio est instituenda uti in Dysenteria: Hisce accedunt *sudorifera* & *Diuretica* quæ acidum temperant: item roborantia & calida, ac simul vasa erosa consolidantia. Vitanda sunt acida, salsa & omnia acria.

Tenesmus. Loco solum TENESMUS à cæteris differt. Estque continuus desidendi nisus, in quo nihil aliud excernitur, quam pauca viscida, sanguinolenta aut purulenta materia. Contingit tantum in intestino recto: in eo sæpe viscida pituitosa hærent, quæque ad sedem sollicitant.

Causæ quoque esse possunt in eo, vel partibus vicinis inflammatio & ulcus: item intestinorum vel vesicæ calculi: aut piscium spinæ inhærentes, quibus accedunt officula, volva pomorum, Ascarides, sese in eo continuò moventes uti & Hæmorrhoides internæ, partus instans &c. Periculo caret, nisi vasa erodantur majora, quorum continuus fluxus, si Medicamentis sisti non possit, admodum debilitat, imo & mortem sæpe accelerat; gangræna aut Sphacelus imminet, aut anus ab excrescentiis concrescit. Expectandus est Ani prolapsus, vel ulcus sordidum vel fistula. Utero gerenti superveniens, ut plurimum abortus est expectandus, non tantum abortiet; sed vitæ est periculum.

Curatio ferè eadem est ac in *Dysenteria*, sed quia symptoma illud in fine intestinorum existit, hinc linimentis, ac Suppositoriis facilius cura institui potest. Sic ulcera mundanda Melle Rosato & Myrrhâ, vel Tincturâ catechu cum penicillo ex linteo carpto. Porro si consolidari debeat, adde Balsamum sulphuris, Peruvianum aut Copaibæ. Si hæreant spinæ, officula &c. digitus unus aut alter est intrudendus, ut eorum ope inhærentia extrahantur. In vesicæ calculo nullum datur remedium, quam Lithotomia. Conveniunt clysmata emollientientia, mundificantia, consolidantia & si ascarides adsint, Enemata constent ex amaris, absinthio, colocynthide, aloe, semine santonici; quibus adde mercurium dulcem &c. ex calculo, partu instanti cessabit, causa sublata. Aqud Indos orientales frequens quidem Tenesmus, sed crudelior existit; hinc ob nimium æstum (ut mihi relatum) sese fluviis committunt.

Alvus astricta. Quid sit ALVUS ADSTRICTA omnibus notum, quando nempe fæces alvinæ nimium tardè ac non nisi cum difficultate egeruntur.

Causa consistit in penuriâ spirituum ac succorum, ut in paralysi intestinorum, & motu peristaltico abolito aut imminuto. Item in nimiâ à potu abstinentiâ;

ſtinentiâ, & ciborum ſiccorum aſſumptione: porro in obſtructione glandularum inteſtinalium quæ ab humoribus viſcidis obſtruuntur: ſic multi ſucci conſumuntur per nimiam διαφόρησιν: item in defectu bilis: in Excreſcentiis in inteſtinis, convulſionibus, vulneribus, inflammationibus, ileo: item poſt aſtringentium aſſumptionem, &c. *S*i in colo diu morentur, cellularum inteſtinalium formam adipiſcuntur, ideoque ab *Hippocrate* Σκύβαλα dicuntur. Si nulla adſit inflammatio, excreſcentia, paralyſis, &c facilis erit cura; aſt ſi nimis diu in inteſtinis remorentur, nimiumque indurentur, non niſi difficulter reſtituuntur.

Nonnulli de *Lumborum dolore queruntur* uti & de difficili & gravi inceſſu, præſertim fœminæ, ſi alvo conſtipata laborent. *Dolor* iſte aliunde non habet originem quam ab inteſtino colo fæcibus onuſto, quod quoniam contiguitatem habet cum lumborum membranis, illæ elongantur, earumque fibræ nimium extenduntur, hinc gravis eſt dolor, hinc Nephritis aliquando fruſtra non ſuſpecta eſt. Ab hoc inteſtino gravi Muſculi lumbares & nervi ad crura euntes comprimuntur, unde difficilis inceſſus, ſæpe cum ſtupore, nonnunquam cum vehementi dolore; quia ob compreſſionem, ſucci circulum non abſolvunt, ergo ſtagnant, & corrumpuntur, tendineſque ac membranæ convelluntur.

Si raro contingat, periculo vacat: Sæpe adjunguntur immanes capitis dolores, lipothymiæ, oculi rubicundi. In colico dolore, ſi enemate ſæpius repetito malum non ceſſet, malum, ſed pejus in volvulo. Si à paralyſi inteſtinorum, & ſi contrahantur, novi mortem fuiſſe inſecutam in quodam natatore.

Alvus ergo laxanda Lenientibus, Laxantibus, Aperientibus, & aliquando purgantibus: ſed purgantia raro aſſumenda. Si hiſce nihil prodeſſe poſſimus, ſuppoſitoria ſunt applicanda ex melle, ſale, &c. vel Enemata purgantia & Excernenda indurata diſſolvenda, quod injectione olei ſæpe ſuccedit. Laxato ventre ſumat aliquando guttas aliquot *Elixiris proprietatis*, vel Vinum Medicatum ſorbeat ex *Senis*, *Jalappâ*, *Polypodio*, *Semine carei*, *Aniſi*, *Scyllâ*. &c. Cibum aſſumat qui facile digeritur, inter olera ſunt Malva & beta, rapæ, Lacticinia, Carnium Juſcula, cichorea, Lupuli ſummitates, pruna: ſi perparcè potus ſumatur, largius bibatur, ſit tenuis cereviſia, recens, dulcis: Amara enim, diaphoreſin præter modum auget, & alvum ſtipat. Pilulæ etiam ex Gummi Ammoniaco, Martis Vitriolo, oculis cancri, Aloë, &c. quotidie ſumantur.

VERMIBUS infantes maximè moleſtantur, præſertim poſt ablactationem quando cibis dyſpeptis utuntur: Verum adultior ætas, poſt aſſumpta largiori copiâ ſaccharata & fructus horarios non raro quoque vermibus laborat. Rotundi in inteſtinis tenuibus creſcunt, uti & in ventriculo: ſed *Aſcarides* omnium minimi in inteſtino recto. In maſſam convolutam ſæpe cohærent, inteſtinaque quaſi obſtruunt, eaque expandunt, unde aliquando durities, & ventris intumeſcentia, ita ut externè induratum hepar vel ſplen repræſentetur. Talis apparitio à circumforaneis **een Rysstoek** vocatur.

De *cauſis* productionis hic nihil dicam, de quibus antea in *Inſtitutionibus*.

Continuò nares pruriunt, hinc digito sæpe scalpuntur; & livore oculorum ambitus depinguntur; quia sanguis ob crassitiem arteriolas narium & oculorum vix pertransire potest, ideo livorem adfert, verum quia sibi pungentes quoque particulas admixtas habet, prurigo oritur. Prurigo ista verum non est semper signum pathognomonicum, nam post crapulam nonnunquam nares pruriunt, hinc scalpendo sæpe oritur narium Hæmorrhagia; & non raro circulos lividos circum oculos habebit circumfusos. Ob lumbricos sentiuntur sæpe ventris dolores, ac motus in intestinis: interdum sæpe excernuntur, quod signum est certissimum. Verum quia illa signa semper non adsunt, ex prioribus peti debent. Aliquando ora fœtent, ac multum salivæ excernitur, quia chylus cum sanguine non exactè miscetur; hinc facile ductibus salivalibus elabitur: & quia in sanguine corrumpitur, ideo fœtet. Porro ob corruptum chylum, instar lactis ebutyrati, urina lactescet; quoniam ex chylo corrupto, & acri spiritus animales satis volatiles non producuntur; hinc inter dormiendum terrore afficiuntur, ac de rebus horribilibus insomniant, quia cerebri fibrillæ ob particulas heterogeneas diversimodè commoventur. Ob succum in ventriculo acrem ac vellicantem, πολύφαγι sunt, & insatiabili fame sæpe torquentur. Sic quia chylus corrumpitur, non pinguescunt, sed macie extenuantur. Tympani in modum sæpe abdomen intumescit, ob nimiam pituitam inflatam & lumbricorum nodos convolutos; item ob obstructiones in mesenterio, hepate, liene &c, præsertim si alvus adsit adstricta. Raro à febri planè liberi sunt, sed levem experiuntur erraticam.

Diu aliquando absque detrimento lumbricos alunt, quia chyli corruptio gradibus differre potest. *Ascarides* motu continuo non quidem magnopere lædunt, sed molestiam pruriginosam recto intestino inferunt; raro commordent. Lumbricis latis & longis rarissimè pueri infestantur: Ast si ejusmodi alant, miserrimi sunt, nam difficile ejiciuntur, imo ad aliquot annos molestiam pariunt. Quo pauciores ac juniores, eo cura celerior: contrarium, si adsit febris, aliaque symptomata, eo tardius cura instituitur, quia sanguis nimium corruptus est. In febribus continuis, ardentibus & periculosis, si excernantur, lethale sæpe signum observavi.

Ne infantes aut paulo adultiores in vermes incidant, præcavendum, imo curandum ut potius interdum aliquod Anthelminticum sumant. Ex. gratia, si puppa ex *cornu cervino raspato* cum *rhabarbaro* in *hydromelle* suspendatur: vel grana aliquot *Mercurii dulcis* cum *corallina* assumant aliquando oportet. Porro *Curatio* consistit in necandis vermibus, & ut acidi & pituitæ accretio caveatur, & quod in corpore est expellatur. Inter vulgaria nihil vulgarius quam *semen santonici*, aut *semen Tanaceti*: huic *allium* accedit: ambo illa ex sale constant volatili aromatico, quo pituita inciditur & acidum domatur, quorum essentia vermes moriuntur. Inter Mineralia habentur præsertim *Mercurius dulcis*, *Cinnabaris nativa*, *præcipitatum album*; &c. præparatio sit ut sit, omnis curatio à Mercurio dependet: quia, ut alibi dictum, Mercurius omnes aculeos acidos absorbet, & se habet instar echini, qui ab omni parte tactus, lædit, atque hoc modo vermes roduntur, enecantur.

cantur. Omnia amara, ut *Absinthium*, *Rhabarbarum*, *Crocus*, *Colocynthis*, expellunt, & necant vermes, quoniam ex sale volatili aut fixo aromatico constant, nam incidunt pituitam, acidum absorbent, bilis productionem & fluiditatem procurant, & diaphoresin augent. Ejusdem quoque commatis sunt Alcalia fixa, ut sunt *Corallia Rubra* & *Alba*, *Corallima*, *Chalybeata*, &c. quibus si aromatica adjungantur & pituitam incidunt, & acidum magnoperè temperant: *causâ porro sublata, tollitur effectus*: hinc omnia Anthelmintica ex Alcali volatili aut fixo constant.

Ex *santonici semine* quædam præparata haberi possunt: præparatur itaque Tinctura, ut

Recipe *seminis santonici* unciam unam, *aloes*, drachmam semis, *Vini Hispanici*, uncias decem, & in loco calido fiat secundum artem Tinctura.

Bis singulis diebus, mane & vesperi cochlearis quantitatem singulis vicibus sumant. Extractum porro concinnari posset. Coque itaque integram libram *Seminis Santonici*, extrahe coquendo cum aquâ omnem Tincturam, deinde leni igne in pilularem formam evapora; de qua singulis vicibus quatuor aut quinque grana sumantur cum pulte, aut assato pomo. Sic etiam pulveris formâ à granis decem ad triginta singulis diebus cum vino Hispanico propinatur. Ejusmodi præparationes asservari possunt ex *semine Tanaceti vulgaris*, quæ ejusdem sunt virium & σόσεως. Sic & placentulæ & liba ex harum pulvere parari possunt; alii conficiunt tabellas, aut panem Martium cum hoc semine. Quædam Medicamina insipida parari possunt, ex. gr.

Recipe Mercurii dulcis,
Mechoacannæ, *ana drachmas duas*.
Misce fiat Pulvis.

Cum hoc pulvere forma libum aut placentam; sic quatuor doses aut quinque habebis pro subjecto sex, septem aut octo annorum.

Sic *Allium*, quod, ut dictum, ex sale volatili oleoso constat, pellit vermes, si capita coquantur ex lacte dulci, & decoctum colatum aliquot dies pro potu matutino sumatur. Vires etiam vino Hispanico elici possunt, de quo singulis diebus cochlear unum aut alterum detur. Ex Mercurialibus etiam parari possunt *Pulveres*, *Pilulæ*, *Tabellæ*, *Placentæ*, *Aquæ*, &c. ut,

Recipe Mercurii dulcis,
Scammonii, *ana grana sex*.
Misce fiat Pulvis. vel

Recipe, Cinnabaris nativæ,
Resinæ jalappæ, *ana grana quinque*.
Misce fiat Pulvis. vel

Recipe, Calomelas, *grana decem*.
Corallinæ præp. *scrupulum unum*.
Misce fiat Pulvis.

Hi dantur ab annis sex ad septem & octo pro viribus. Sic Pilulari forma cum prædictis Extractis exhibeantur.

Ex *Venere* etiam parantur. Ex. gr. E 2 *Recipe*

Recipe Vitrioli Veneris, *grana quatuor.*
Vini Hispanici, *unciam semissem.*
Misce.

De hac Mixtura ad guttas duas aut tres jejuno stomacho cum vino aut cerevisiâ detur. Vel *Vitrioli cærulei* grani quadrantem singulis matutinis cum pane butyrato sumant.

Externa quidam parant, ex *Oleo Absinthii*, *Myrrha*, *Aloë*, *Felle Taurino*, &c. Quæ si per cutis poros in sanguinem & succos penetrent, Medelâ erunt ut,

Recipe Myrrhæ,
Aloës,
Colocynthidis, *ana drachmas duas.*
Fellis bovini, *unciam unam.*
Misce.

Ponantur simul per aliquot dies in loco calido: colaturæ deinde adde
Olei Absinthii stillatitii, *guttas decem.*
Hac Mixturâ illinatur abdomen. Si spissiorem consistentiam desideres, adde nonnihil ceræ: addunt hisce nonnulli Mercurialia; sed hæc prudenter sunt applicanda, ne incuriâ salivatio oriatur, ideoque illa Tyronibus non suaderem: ad exemplum sequens esto.

Recipe Ung. Arthanitæ, *unciam unam.*
Mercurii vivi, *drachmam semissem.*
Misce

Alternis diebus illinatur abdomen: verum si os fœtere incipiat, desistendum.

Dolor colicus. COLICA PASSIO dolor est plerumque intestinorum, cum intolerabili dolore, vomitu ac nonnunquam convulsione omnium imi ventris partium. Læsa sunt intestina, aut mesenterium, omnesve partes vicinæ: dolor sæpe fixus est, & non raro vagus: interdum vomunt, aliquando multos flatus excernunt. Per accidens oboritur, vel radicata est. Dolor est sursum vel deorsum; ad latera; in medio, &c. Post colicam passionem, dissecto cadavere, intestina inflata inveniuntur, ac humore glutinoso intus obducta, imo sphacelo nonnunquam correpta; atque non tantum intestina, sed & ipsum mesenterium, omentum, &c. Ex doloribus lancinantibus constat acidum huic morbo originem præbere. Videntur etiam non tantum intestina, sed & ipsum mesenterium aliquando laborare. Quando itaque è glandulis intestinalibus humor exstillat glutinosus & acris, quo intestina convelluntur, dolor iste oritur: & quia materia illa loco moveri non potest, fixam sibi ibidem adscifcit sedem, hinc dolor fixus; quæ materia, si fuerit in diversis locis dispersa, etiam dispersus est dolor: ast si interim nervi convelluntur, vagus est do-
lo-

lor: à convulsione interim admodum inflantur, unde expansio abdominis; convulsione itaque remittente, remittitur expansio; & flatus compressione musculorum abdominis emittuntur. Hisce quoque convulsionibus per nervorum cum ventriculo convulsionem, facile oritur *Vomitus*: sic ab eadem causâ ob convulsiones vasa mesenterii sanguifera comprimuntur, & sanguis in cursu retardatur, cujus mora si diu sit, *Sphacelus* oritur. Sic causa esse potest in succo acido pancreatis: in pancreate scirrhoso, in obstructo à calculis fellis folliculo: in obstructis mesenterii glandulis, & tophaceâ materiâ infarctis, &c. sed tunc dolor sæpe tolerabilis est, verum fixus. In infantibus lactis acescentia & corruptio in causâ esse potest; hinc continuus ejulatus, & excrementa viridia, fœtentia & disjuncta, una sæpe cum pituitâ tenaci: urina graveolens est, & mordens. Sic à frigore tam adultis quam infantibus accedit dolor, ob diaphoresin nempe prohibitam, acidum intus manet, & ad intestinorum cloacam amandatur, quia ab aliis glandulis secerni non poterat. Qui defectu laborant bilis, acido & viscido abundant, quia illa in sanitatis statu à bile subiguntur, ut alias sæpius dictum: interim deficiente bile, à corrosivo acido ex lacte acescente, aceto nimio, vinis rhenanis, fructibus acidis, limoniis, arantiis &c. intestinorum membranæ convelluntur, corroduntur. Ob anomalias hasce sæpe interiora frigent; quia sangine frustrantur calido: hoc modo sæpe inducitur febris symptomatica, &c. Ventris tormina, vomitus, febris, motus convulsivi oriuntur (adstipulante Clarissimo *C. Stalpart van der Wiel*) à bile per vesiculæ felleæ poros sudante; qua bile duodenum & ventriculus exterius flavo colore tinguntur. Quod & iis evenit, quibus in folliculo calculi sunt; unde obstructio, & exsudatio. Nonnunquam etiam à frigore inducitur: si pedibus nudis incedas; vel diu frigidi à quavis causa fuerint. Nobilis Gallus à *Nob. Boyleo* citatus, qui in frigidissimis locis meruerat, narrat, se olim quosdam ab hac colicâ, aut ileo extinctos vidisse; quibus abdomine post mortem aperto intestina livida & glutinosa sanie sibi invicem adhærentia, inventa sunt. Gangræna enim à frigore inducta, siderata erant, & putrefacta.

Colica per se quidem malum tantum non est, sed periculi plena imo Lethifera, si symptomata crudelia superveniant: convulsiva quoque periculosior, quam ex humoribus pituitosis, acidis, corruptis, quia pareses, Epilepsiæ, gangrænæ, sphacelus exinde expectantur. Bonum signum si alvus non constringatur. Quo plura symptomata, eo pejus. Degenerat quidem in dolores arthriticos, & vice versa. Casu, facile curatu & non ita periculosa, verum quæ altas egit radices, pertinax est & ad hebdomadas & menses extenditur. Sæpe in Paralysin mutatur, ob motum nervorum nimium, & obstructionem succi nervosi. In Paroxysmo dolor quam primum sistendus, sed extra eum est causa expellenda. Primo Enemata sunt injicienda ex *lacte vaccino*, *saccharo* & *sale*.

Vel ex *jure vervecino*, *oleo lini*, *sulphure vivo*.

Vel ex *urina* sani hominis, *vitellis ovi*, &c. calidè injicienda, ut calore pituita solvatur & attenuetur, sic soluta pituita, una cum enematis contento deponitur, dolorque cessat. Si pertinax fuerit dolor, sequenti modo procede.

Præparentur enemata ex *Aquâ salsâ*, *spiritu vini*, *Opio*, *Terebinthina* vitello ovi soluta.

Vel ex decocto *capitum papaveris*, *opio*, *caphora*.

Vel ex *spiritu vini*, lacte dulci, pipere.

Vel fiant suppositoria ex *opio* & *melle*.

Vel ex *Philonio Romano* & *melle*.

Fotus ex *Chærefolio*, *Camomilla*, *melissa*, *floribus sambui* &c. ex lacte calidè applicari possunt.

Vel fotus fit ex solo *Tabaco*: aut ex *Arenâ* calidâ, *lapidibus* calidis: item stupa ex funibus picatis dissoluta, ut & *muscus*, quo utuntur naupegi in navium rimis claudendis, cum spiritu vini calidè applicetur.

Interim dantur cathartica, ut pituita abradatur, expellatur. Nonnunquam descenditur ad Emetica lenia.

Supernè quædam dantur flatus discutientia, & dolorem sedantia aut lenientia, quibus volatilia vel fixa seu acidum absorbentia accedunt, nempe ex *Aqua Fœniculi*, *Petroselini*, *Mentha Spiritu Cochleariæ* & *salis Armoniaci*; *Oleo Anisi* vel *carei* &c.

Vel ex *Millepedibus*, *floribus salis armoniaci*, *Laudano opiato*, *Terebinthina* &c. exinde fiant pilulæ.

Aut ex *Castoreo*, *Caphorâ*, *Croco*, *Laudano opiato*, *oculis cancri*, *semine Anisi*: exinde fiat pulvis.

Sæpe curationem largo haustu lactis dulcis calidi cum ovi vitellis institui, tunc enim ab adveniente lacte acidum coagulatur & in grumos facescit, atque sic absorbetur, quod corrodebat, & quod viscidum, calore inciditur: addo nonnunquam quædam laudani opiati grana vel cochleatim sorbeat sequentem mixturam:

Recipe Philonii Romani, *drachmam unam*.
Laudani opiati, *grana duo*.
Olei carei,
Anisi, *ana guttam unam*.
Aquæ Menthæ, *uncias quatuor*.
Misce.

Vel sequentem sumat bolum.

Recipe Philonii Romani, *drachmam unam*.
Laudani opiati, *granum unum*.
Olei Camomillæ Romanæ, *guttam unam*.
Misce.

Vel ex

PILULIS ANGELICIS DICTIS

Pilulæ Angelicæ. Recipe *Olei Terebinthinæ*, quantum vis, ei adde sufficientem quoque *salis tartari* quantitatem, bene misceantur, continuò agitando, tunc mixtura saponis faciem induet: adde *Extracti opii*, *Hellebori nigri*, ana dimidiam partem.

partem. Misce. *Dosis* est ad grana duo.

Extra paroxysmum alvus laxanda, & acidum temperantia assumenda. Cum cerevisiâ quotidie propinetur.

TINCTURA CHALYBIS.

Recipe *Limaturæ Chalybis*, unciam unam. *Spiritus vitrioli*, uncias duas. *Vini optimi* uncias quatuor. Stent aliquot dies in loco calido, donec tinctura fuerit rubicunda, quam decanta. Tinctura chalybis.

Radices si egerit morbus, decoctum bibatur ex *China*, *Salsa parilla*, *Sassafras*, &c.

In *Victus ratione* caveatur ab acidis, salsis & frigidis: sed interim acidum temperantia sumenda ex *Sale volatili oleoso nostro*, ex *Oculis Cancri*, ex *Alcahest Glauberi* &c.

Mirum dictu quosdam, post diuturnos dolores colicos, solo ostreorum comestu, liberatos fuisse. Atqui hoc fit, quando in ventriculo, non corrumpuntur, & bonæ fuerint notæ: atque insuper multum panis, commederint, & paucum vini superbiberint.

Brumâ sæviente, omnibusque nive canescentibus, Vir doctissimus atroci capitis dolore, juxta latus sinistrum vexabatur, postea de doloribus abdominis questus, apoplecticus lumina placida morte clausit. Apoplectici & colici anatome.

Post horam novissimam imo ventre dissecto, mesenterii glandula maxima, scirrhosa & exulcerata inventa est. Cranio elevato, carotis dextra intra cranii mœnia ascendens, prorsus ossea, & si dicere liceat petrosa fuit, cavitate vix permeabili. Arteria vertebralis dextra triplo major fuit, quam in oppositi lateris.

Arteriæ, cum primo ex obstructione paralysi laborant, cartilaginis formam induunt, & deinde osseæ redduntur, quod non raro circa cor contingit. Fortasse ex dolore capitis atroci primo convulsionibus obnoxia fuit, & ex convulsione paralysis, & sic deinceps: tandem motu dilatationis & contractionis deperdito, concrevit: eodem ferè modo ac arteriis & venæ umbilicali accidit, quæ post partum cavitatem amitunt, & ligamenti indolem acquirunt. Mirum, arteriam vertebralem dextram triplo majorem fuisse, videbitur, sed æger apoplecticus interiisset, si hæc non substituerat, quod carotis dextra adferre non potuit; hinc sensim dilatata fuit.

Sed rogabit quis cur de sinistro capitis dolore quæstus fuit, cum dilatatio & concrescentia à dextris erat? cui regero, quod occlusa arteriâ carotide dextra, impetu vehementiori per sinistrum latus sanguis irrueret quam in dextrum, unde meatus & membranæ magis in hoc latere extendebantur quam in altero: postea vero eodem penu à vertebrali dextra prospecto, dolor sensim evanuit. Adhuc etiam, dolor primo forte totum ἐγκέφαλον occupavit, qui concrescente arteriâ carotide in dextris desiit, in sinistris vero perseveravit.

Obstructione cerebri postea laborans, apoplecticus interiit. Obstructionibus

bus

bus enim ſcatebat, nam cum ad meſenterii glandulas perventum eſſet, ipſius glandula maxima ſcirrhoſa & ulcerata fuit, quod ſæpe pueris accidit, qui continuo fructibus horariis utuntur, unde chylus concreſcit, & iſtas glandulas particulis caſeoſis obſtruit.

Mercator diuturna diarrhœa laborans, debilis admodum & macilentus fit Poſtea borborygmos in abdomine ſentit, ex quo vomitus, tenſio dolorifica & febris oriebantur: nihil ἄνω aut κάτω dejecit, incaſſum adhibitis catharticis, & enematibus. Tenſio tamen & dolor magis exinde increſcebant. Facies erat Hippocratica, cum extremorum frigiditate.

PErluſtratis Viſceribus, inteſtina lata ſeu craſſa plumbei coloris, ſemicorrupta, & unico in loco perforata. Inteſtina liquore fœtido madebant.

Diarrhœa eſt frequens dejectio alvi, qua varii humores & excrementa dejiciuntur. Si accedat graviſſimus & intolerabilis dolor, idque pejus eſt, inquit *Celſus.* Atque hoc ex diuturnitate iſtius fluxus factum. Originem ſumit ex bilis penuria: hujus enim defectus, abundantis acidi cauſa exiſtit; hinc chylus in ſanguine acidus factus, etiam ſuccum inteſtinalem acidum reddit. Illud acidum leves convulſiones inteſtinis parit, quibus alvus liquida redditur. Ex motu quippe plus debito omne deponitur, quicquid inteſtina continent.

Fluxus iſte diuturnus propter acidiſſimum ſuccum, inteſtina corruperat, unde eorum paralyſis, perterebratio & ſphacelus. Non mirum enim nec ſurſum nec deorſum quicquam dejeciſſe. Ob paralyſin in colo excrementitii humores morabantur; ex mora, putredo; ex putridâ & acri ſaburrâ vomendi conatus; ex eadem causâ convulſiones inteſtinorum; ex convulſione dolor & tenſio.

Facies Hippocratica. Ex ſanguine, tantâ aciditate, corrupto, nihil alimenti in ſubſtantiam corporis faceſſit: qua ratione macilentus & debilis factus, Hippocraticam faciem induit: quæ nihil aliud eſt, quam cum quis habeat nares acutas, oculos concavos, tempora collapſa, auriculas frigidas & contractas, auriumque lobos inverſos; quin cutim, circa frontem, duram, tum circumtenſam & aridam, adeſt color totius faciei pallidus, lividus, plumbeus aut niger.

Si æger ab initio acidum concentrantia ſolummodo ſumpſiſſet, animam corpori junctam ſervaſſet. Hujusmodi Medicorum ignorantiâ Ars noſtra turpiter dehoneſtatur, perpauciſſimi inveniuntur veri Medici, ideoque jure ab Hippocrate vocantur ἰσόθεοι, *Deo æquales*, hujus ægri morbus nec clyſteribus nec (ut *Plautus* dicit) elleborï jugere ſanari potuit: ut in Tragœdiis figuram quidem & habitum ac perſonam eorum quos referunt, habent, illi ipſi autem verè non ſunt, ſic & Medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci.

Illuſtris vir, acutiſſimis ventris doloribus, colicæ æmulis ſæpiſſimè moleſtatus, incidit in febrim continuam ſatis acutam, cum vigiliis & ſiniſtri.

Hy-

Hypochondrii dolore vehementissimo ad humerum usque tendente in quo sævissimis doloribus afficiebatur. Galenicâ Methodo morbum pellere cum non potuit, subiit mortem.

ABdomine dissecto, omentum in se convolutum & umbilicum versus globuli instar conglobatum fuit. Splen autem totum putrefactum & parte sima planè consumptum. Contenta picis nigræ & liquidæ in modum graviter fœtebant. Jecur quoque ob viciniam putrescere incipiebat.

Ab acidis particulis in mensenterii membranis latitantibus, colicis doloribus, ejusque contractioni ansam dederunt: sic & à sanguine coagulato Hepatis lienisque obstructiones & corruptiones ortæ.

Virgo quatuordecim annorum colico dolore atroci laborans cum ventris intumescentia. Dolor iste intra viginti dies eam de medio tollit. Per biduum ante mortem multum sanguinis nigerrimi per anum deposuit.

INtestina multo humore viscido erant exterius perfusa, in eoque frustula casei instar ac varia magnitudine dispersa. Intestina quoque sanguine nigro turgebant. In venis & corde nullus sanguis,

Ex humoribus acribus ac viscidis, diu in intestinis hærentibus, sæpe oritur dolor vehemens, qui ab intestino Colo nomen derivat, vocaturque *Dolor Colicus.* Si humores, ex glandulis intestinalibus manantes, nimiam visciditatem & acrimoniam sibi ex sanguine adsciscunt, istas glandulas obstruunt, liquoresque exstillandi acorem contrahunt, intestinorumque membranas vellicant, doloremque inferunt, & hinc illæ lachrymæ.

Credo Vasa lactea rupta fuisse, candidumque lac per intestina erupisse, ibique ex diutina mora in oagulum mutasse, unde frustula casei. Serum interim à coagulo segregatum aciditatem induit, quia intestina magnoperè lædebantur: Hinc non tantum mucus sed & convulsiones, quæ omnia viscera, totumque abdomen intendebant, ut in tympanitide fit. Imo ob vehementes convulsiones vasa sanguinea, ad rupturam usque ita convellebantur, ut ipse sanguis per ea liberè currere haud potuerit, unde sanguinis turgescentia, & ob eruptionem ejusdem ante obitum excretio.

Puer octo annorum continuis ferè doloribus, & sæpe immanibus, afflictus, incidit in abdominis ingentem tumorem, donec tandem umbilicus se aperiebat, ex quo multum liquoris fœtidi, una cum pure fluebat, & quod mirum, etiam varia urachi frusta: sed tandem convaluit. *Alia, cum tumore abdominis.*

Casus hic rarus est, ideoque illum hic inserere censui: vocatus enim à quodam Medico *Joanne Poolmann*, in Waterlandia in Pago Ostsana habitante, in cujus ædibus fæmina curanda erat locata, quæ illius terræ tractus quoque indigena. *Colica periodica.*

Hippocrates olim Medicinam jure merito τέχνην μακρὴν vocavit: Cujus observationes infinitæ sunt; imo Seniores Medicinam à teneris tractantes, quo-

quotidie Nova obſervant : Ideoque ſæpe dico , me adhuc incipere, quamvis annis triginta duobus in illa arte enutritus fuerim.

Alida. . . . ruſtica triginta novem annorum , incidit in ſequentem morbum, poſtquam duos annos Menſtrua ceſſaverant. Primo , poſtquam lactucam aceto , oleoque irrigatam , deinde dulce lac largiter comederat, ſecutus vomitus immanis : Hoc ceſſante , de debilitate ventriculi conqueſta eſt ; ab hoc tamen malo liberata , appetitus poſtea ſe bene habebat : ſed quatuor aut quinque horis elapſis , poſtquam leviores quoſdam cibos ſumpſerat , de ingenti , & intolerabi pungente dolore , in ſiniſtro latere circa coſtas breves , & ſub eas verſus renem ejuſdem lateris conquerebatur ; hinc convulſiones , præſertim verſus ſcapulam , perque totum abdomen ad inguina uſque. Pedes cum tibiis frigore vel potius ſtupore capti. Dolor interdum adeo intollerabilis, ut à tribus fœminis contineri vix poſſet ; altâ voce clamans, aperite mihi abdomen , & multa alia. Infra ventriculi fundum, ubi colon eſt, admodum elevabatur. Alvus ſemper adſtricta, quæ egerebantur erant dura globulorum more ut Scybala ſolent eſſe poſt duas treſve horas dolor ceſſabat, & convulſiones evaneſcebant ; ita ut tunc iterum ſe bene videretur habere. Parum bibebat : lac dulce coctum ei cæteris cibis melius conveniebat. Quidam ei ſalivationem ex Mercurialibus inſtituebant : alii fonticulum in latere ſiniſtro, ubi elevatio erat cauſticis inurebant : Alii cataplaſmata , fotus, Emplaſtra, linimenta &c. Abdomini applicabant , ſed omnia incaſſum ſunt tentata, omnia ſine fructu. Opio aut ſimilibus utebatur quidem pro dolore ceſſando, ſed cauſa non tollebatur. Atque hæc ſunt quæ ex ipſius ore audivi.

Sequentia prænominato Medico reſpondi. Itaque hujus morbi Ætiologia hæc eſſe videtur. Quantum ego judico, puto ventriculum hic non eſſe culpandum, ut nonnullis placebat, ſed inteſtinum colon, ſub ventriculi fundum verſus renem ſiniſtrum incedens : Malum enim ſi in ventriculo hæreret , ſtatim poſt paſtum , dolor ortus fuiſſet , aſt è contra , viguit paucis horis poſt cibum aſſumptum, quando nempe cibus è ventriculo in duodenum & Jejunum erat diſtributus, atque chylus à Meſenterii lacteis erat abſorptus : interim fæces craſſiores ileum pervadentes tandem in colon ſunt diſtributæ, idque ſub ventriculo (ubi colon procul dubio fuit anguſtatum , ſive à glandulis immenſum uſque excreſcentibus, ſive à calculis intra coli membranas hærentibus, ſive ab inteſtino coarctato, cujus exempla habemus & vidimus, ſive à carnoſitate quadam vel alias) ubi viam anguſtatam invenientes , fiſtulam coli dilataverunt, ita ut ejus membranæ rupturam minarentur, unde iſte dolor intollerabilis & inteſtini præter modum expanſio, qua abdominis muſculi loco moti tumorem viſibilem oſtentabant. Sic non tantum maximus huic inteſtino accedebat dolor, ſed & prænominatis partibus : nam per meſenterium perplurimi vagantur nervi intercoſtales , qui pari vago conjunguntur, hinc totius abdominis, & partium ſuperiorum contractio ; hinc motus anomali cervicis, ſcapularum, & per meſocolon ad inguina & pudendum muliebre excurrebant: aſt excrementis coli anguſtam prætergreſſis, omnes dolores, cæteraque convulſionum, &c. ſymptomatà ſenſim ceſſabant. Porro quod Scybala

ſicca

ficca egerebantur, mirum videri non debet: si consideres potus parciorem assumptionem; deinde quia liberior transitus per colon negabatur, superfluus humor à lacteis inferioribus jejuni & forsan ilei absorbebatur: adde parciorem per partes inferiores spirituum transitum, & opii assumptionem: spirituum penuria satis liquet, ex crurum pedumque frigore & torpore; nesciebat enim num pedes frigidi essent nec ne: hinc paralysis metuenda erat.

Sit ut sit, abstineat oportet à cibis siccis, atque duris, piperatis, carnibus ac piscibus infumatis & arefactis, ut & flatum excitantibus, ut sunt cibi cum passulis corinthiacis, aut prunis præparati, olera cocta ex betâ, cherefolio, malvâ &c. Spinachia item more solito præparata. Juscula ex juniori carne, pullis, cum hordeo, endivia vel oriza &c. lac dulce coctum, cum hordeo, Alicâ, orizâ cum ovis: ova sorbilia, sed mimimè dura &c.

Cibi utique illi, propter mollitiem, non fatigabunt coli angustiam; sed cum leni lubricitate pertransibunt: modo incidentia quædam medicamenta interim usurpentur: ex. gr.

Recipe Gummi Ammoniaci, *drachmas duas.*
Assæ fœtidæ, *drachmam unam.*
Vitrioli Martis, *scrupulum unum.*
Oculorum cancri, *drachmam unam.*

Misce fiant pilulæ pisi magnitudine singulis diebus sumat duas, unam matutino tempore, & alteram vespertino. Enemata emolliendis excrementis induratis non dissuadenda; hisce enim detractis, dejectio facilior erit.

Cervus venatorem ex improviso impetens, primo se post arborem densioris trunci recipit; cervus agilior eum à tergo cornibus petens; primo arbori impetuosè abdomine tenus illisit, mox cornibus sublatum, per aliquot spatium deportavit, & in terram projecit. Nullum aderat externæ noxæ indicium, nisi quod sinistra natium apice cornu cervini ad mediocris pollicis profunditatem adacto, vulnerata esset. Vulnere deligato, emplastrum supra totum abdomen, quod insigniter & maxime circa umbilici confinia, dolere continuis ejulatibus, pronunciabat, applicatum est, adhibitis simul interne quæ resolvendo sanguini essent, eumque reficerent: sæpe enim animo linquebatur, sudore faciem largiter irrorante. Paucis ab hinc horis, dum media nocte deliquia increbrescerent, vita hominem reliquit.

Ex vehementi illisu, abdominis lethalitas.

PRæter memoratum vulnus extrinsecus nihil culpabile apparebat, nisi quod dorsum solummodo, qua os sacrum vergit ad scrotum usque, & aliquam pubis partem, extravasatus & intra cutim coagulatus sanguis, diverso solitoque livore tinxerat.

Persecto peritonæo, ilico inde liquor sanguineus quam altissimè prosiliebat, qui & totum abdominis cavum implebat. Ileum & colon quippe foraminibus

minibus rotundis, & mesenterium proxime ad rectum fissura perforata, maculisque lividis & semicorruptis fuerunt.

Infelix hic post tanta bruti animalis tormenta & externè vulneratus : exterior quidem plaga nullius momenti, sed eo deterior interna. Post cursum fortè intestina inflata, à vehementi illisione in arborem rupta, qua sanguis in abdominis cavitatem effusus, crebra concitavit deliquia. Extravasatus enim sanguis venas ingredi impotens, versus cordis regionem duci haud potuit : hinc causa inordinatæ circulationis petenda est : nam ex sanguinis penuria, cor sufficientem cruoris quantitatem caput versus emittere impotens, nulli spiritus cerebrales iterum versus cor, aliasque partes depluebant : atque propter hanc Eclipsin, totum corpus deficiebat : lympha quoque, in cute effusa per ordinarias vias revertere non potuit, ob leves convulsiones, hinc extra cutim in sudorem frigidum emanavit : quippe in lipothymiis non tantum cor, sed & cerebrum, omnesque totius corporis partes convulsiones patiuntur. Postea omnibus ferè sanguinis rivis in abdominis cavitatem exhaustis, animam Deo consecravit : Vita enim, deficiente circulatione, perennare non potest, ideoque ejus defectus corpus collabascere & mori curat.

Quidam de dolore in dextro Hypochondrio diu questus, obiit.

Jecoris apostema, & foramen in Diaphragmate.

Concava jecoris pars erat sphacelata, intus vero viginti puris libræ continebantur. Ren dexter etiam purulentus & prorsus consumptus fuit. Foramen magnitudine duorum pugnorum in Diaphragmate exesum erat.

Quidam, cum viveret, ingenti struma per aliquot annos, juxta imam inferioris maxillæ regionem, laborabat.

Strumarum in Maxillis & Hepate generatio.

Aperto post obitum corpore Hepar intus forisque innumeris glandulis, pisi fabæque magnitudine, refertissimum, eædem transversim sectæ, nihil prorsus humoris effundebant, verum ex gypsea quadam pituita compositæ, in figuram substantiamque adenibus persimilem condensabantur; indeque hepar in ingentem molem, atque immane pondus excrevit; adeo ut duplo majus, triploque gravius solito conspicerentur.

Strumæ nihil aliud sunt, quam obstructiones glandularum, sive eæ fiant in glandulis maxillaribus, sive in Hepate, aliisve in partibus. Causa est viscíditas humorum; qua sequestratio debita denegatur : hinc ob continuum affluxum, idque mediante sanguinis periodo, continuo extumescunt, earumque membranæ extenduntur, omniaque vascula materia hac viscida replentur : Hæ particulæ obstruentes, si acidis & salinis abundent, facile invicem crystallisantur, unde materiam gypseam sæpe repræsentant.

Novimus porro Hepar maxima ex parte ex glandulosis acinis constare, quibus omnibus obstructis, & alterum tantum extensis, Hepatis molem & pondus auxerunt.

Quidam diu de dolore è regione Hypochondrii dextri questus est, qui & tandem emaciatus obiit.

INspecto abdomine, Hepar, qua parte Diaphragmati cohæret, abscessum habebat, ac Diaphragma in eadem parte os durum, & exterius cartilagine obductum. Ossa Diaphragmati accreta.

ALIA OBSERVATIO.

Abdominis cutis maculis lividis decolorata. Multum aquæ ex aperto abdomine effluxit, vario colore distinctum. Omentum putrefactum. Intestina inflata. Pancreas consumptum, ejusque nullum vestigium. Vasa mesenterica materia glutinosa turgida. Hepar cineritii coloris. In Pericardio aqua fœtebat. Cor exuccum. Sanguis in vasis majoribus aquosus. Pulmo flaccidus & purulentus. Hydropici Dissectio.

Bajulus per quinque ferme hebdomadas fæces alvinas non deponens, quamvis catharticis superne & inferne præscriptis, irritatus; obiit. Alvus astricta lethalis.

A Fato sectus, intestina ei quorumvis ingestorum farciminis adinstar, repleta. Tecmarsis in Medicina multi usus: haud semper novimus quæ intus latent. Curandi methodus fuit optima, ast si scivissent intestina aut spasmo aut paralysi laborasse, vel nihil fecissent, vel alio modo medicinam applicassent. Ex spasmo aut Paralysi, intestinorum contenta non multum proritantur, exinde ab ingestis repleta, farcimen repræsentant. Cathartica spasmum potius augent, quam diminuunt. Si morbus mihi mandatus fuisset, procurassem ei balneum calidum, & lac cum rore marino vel veneto sapone coctum propinassem calidè.

HYDROPICI INSPECTIO.

Ex abdomine circa sexaginta pintæ lymphæ exprompta. Omentum prorsus consumptum. Mirandum, nullas Hepatis, splenis aut renum reliquias fuisse inventas. Septum quoque transversum, variis in locis exesum & consumptum. Ambitus uteri sesquiulnam habebat, continens molam scirrhosam & albam, exque plurimis glandulis duris, quarum nonnullæ puris materiam effundebant, congestam. Hydropicæ inspectio.

ALIA.

Intra peritonæum plurimum aquæ continebatur. Hepar flaccidum. Omentum fere consumptum.

Quidam ab aliquo temporis spatio, in affectum aquosum incidit, qui tandem vitam cum morte mutavit.

APerto abdomine, ingens aquæ copia effluxit; Jjecur erat scirrhosum, exuccum & induratum, instar ligni putrefacti, & saniei non dissimilis. Vasa mesenterica, glutinosa quasi materia, repleta, circa quæ thrombi sanguinis concreti, quos ad ulnam integram atque dimidiam extrahere potuerunt.

Credo fuisse Hepar aliudve viscus antea aqulis obsessum, quibus disruptis,

 lympha

lympha effluxerit. In hoc subjecto satis manifestum est, sanguinem incrassatum & tenacem seu viscidum Hydropi ansam præbuisse: novimus, si ratione & experientia innitamur, sanguinem viscidum & adeo glutinosum, ut hic, minuscula & Hepatis & Lienis vascula non potuisse permeare, unde iis partibus obstructio & scirrhus natus est: ab obstructione vasculorum lymphaticorum extensio, deinde ῥῆξις, & liquoris contenti ἔκχυσις.

Alia. Circa quadraginta libras aquæ crassæ & amurcæ instar ex abdomine effluxere. Jecur consumptum nisi quædam venæ residuæ; consumptus quoque lien & uterque ren. Bile viridi ventriculus plenus. Septum transversum variis in locis sphacelatum. Mola in utero contenta melleam materiam referens.

Lumbricis laborantis lanatiome.

Alicujus nobilis filiolus bimulus per duos aut tres dies tussi sicca laborat, cum inquietudine tempore nocturno: creberrime ejulabat: an à dentibus molaribus prorumpentibus, an ab alia causa, Mater nesciebat; tandem in continuas convulsiones incidit: post diem tertium rebus humanis, præmatura morte, exemptus est.

CUm apertum esset abdomen, nihil culpabile inventum est, nisi quod duodenum à lumbrico tereti perforatum & exesum esset, qui vivus adhuc extrahebatur.

Iliacus affectus.

Intensa hieme incidit consiliarius quidam in dolorem colicum. Vomitus stercoreus per intervalla. Tertio die febris, sitis & linguæ ariditas. Septimo die venter laxus, tandem præ virium imbecillitate & languore, extinctus est.

INteraneis perlustratis, ileon tribus in locis, complicationibus convolutum & velut in in unam massam compactum circa colon inventum est, non sine sphacelo infectum & perforatum, nec ipsum mesenterium circa illam convolutionem à gangræna tutum fuit. Plurima excrementa effusa ex ano perterebrato effluebant.

Ab ileo vomitus, vel singultus, vel convulsio, vel delirium, malum. Vide de ileo porro observationem decimam septimam.

Dissectio pueri, qui excrementa per umbilicum excernebat

Cacochymicus quidam duodecim annorum, queritur de dolore & tumore duro circa umbilicum: tandem rupto tumore ultra mensem stercora per illud foramen ejecit; alvus interim erat clausa.

DIssecto abdomine, excrementa per ventris cavitatem ejecta erant. In latere sinistro colon ulcere, eoque calloso laborabat, & instar ventriculi distentum. Circa finem mesocoli tumor grandis & prædurus fuit, qui rectum intestinum ita comprimebat, ut ne γρῦ quidem excerni potuerit. Fæces

ces inteſtinis adhuc contentæ lapideam ferè duritiem acquiſiverant. Meſenterium, inteſtina & pancreas ſcirrhoſa inventa ſunt. Ulcus in ventriculi fundo fuit. Pylori carnoſa valvula ſcirrhoſa & juſto major. Vena portæ & cava ſcirrhoſitatibus & ſteatomatibus ſcatebant. Jecur exuccum & ſcirrhoſum. Occupabant quoque ſcirrhi & ſteatomata undique ipſum diaphragma. Iiſdem & pulmones, cordiſque vaſa, Trachea & œſophagus corripiebantur. Liquorem flavum continebat ſacculus cordis, idque magna copia. In cordis mucrone tumor albus ad nucis moſchatæ minoris magnitudinem. Cauſa iſtius ejectionis per umbilicum patet ex cadaveris deſcriptione: nam tumor iſte rectum ita compreſſit, ut per anum nihil quicquam excerni potuerit; adeo ob excrementorum ſtagnatione fuit exulceratum, atque ſic facile excrementa in abdominis cavitatem effuſe fuiſſe credibile eſt: hæc poſtea abdomen ita diſtenderunt, ut rupto abdomine, facile eruperint.

Porro; ut ſæpius dictum, ex humoribus obſtruentibus, ſeu acidis & viſcidis ſcirrhoſitates & ſteatomata in glandulis aliiſque partibus crevere: omnia quippe viſcera ejuſmodi tumoribus ſcatebant.

Puer octo circiter annos natus, à longo tempore eroſione gingivarum correptus: poſt uſum aliquot remediorum, deceſſit.

Diſſecto abdomine vermibus non tantum ſcatebant inteſtina, ſed aliquibus in locis ea perterebraverant, adeo ut abdominis cavitatem replerent. Cadaver vermibus ſcatens.

Maxima Philoſophorum cohors docuerunt, ex putredine animalia quædam poſſe produci: imo ex defoſſo anatis corpore bufones naſci, aſſerit *Ath. Kircherus*. Quantum ad meas obſervationes, quas à juventure ſuper inſectis annotare potui, nunquam ex putredine, verum ex ovis procreari animalcula obſervavi. Fateor quidem inter corrupta vermiculos conſpici; ſed unde vermiculi, niſi à muſcarum ovis, ſupra materiam corruptam enixis. Experimento veriſſimo mihi conſtat, ſi materia quædam putrefactioni exponatur, in vaſe, tenuiſſima ſindone, (ut liber eſſet aëris aditus & reditus) clauſo, nullum animalculum in ea generabitur. Sic aqua calida piperi admixta producit quidem vermiculos, ſi vas continens fuerit apertum, clauſum vero ne unum mihi produxit: adeo ut certum ſit, nihil niſi ex ovo generari. Latius hæc probare hic inutile eſſet, quia de inſectis tractatum quendam olim edidi & ſuo tempore, cæteræ obſervationes prodibunt.

Sed redeamus ad vermiculos noſtri pueri, & inquiremus quomodo in corpore humano originem ſumant. Hoc præſupponendum eſt nos ſæpe & potum & cibum ſumere, in quibus jam illi vermiculi vel ſint geniti, vel ova contineant, quæ muſcæ aliave animalcula ſupra Herbas, fructus, carnes, piſces &c. depoſuerint: ova illa vel vermiculi, non ſtatim in corpore noſtro moriuntur, ſed immenſum uſque ſæpe incrementum ſumunt, præſertim ſi multum viſcidi humoris inteſtina contineant: cibus enim adeſt copioſus, & calor non pau- De ileo morbo.

paucus cum ſufficiente aëris quantitate: adeo ut credendum ſit, vermes illos aliam originem non habere, quam à ſemine externo per os ingeſto. Illi enim qui bile abundant, quæ vermiculis pharmacum eſt, paucum pituitæ habent: in iis, dico, cibi in inteſtinis non diu morantur; imo & ova & vermiculi à bile amara, ut aloes, ſemen Santonici, tanacetum, colocynthis &c. eſſe Anthelmintica.

Porro æger noſter fuit ſcorbuticus, & hinc ob ſalivam corroſivam gingivæ putreſcebant, quod ſcorbuticis commune eſt.

Iliaca Passio quæ Volvulus dicitur aut Miserere Mei, eſt motus inteſtinorum periſtalticus inverſus, ita ut quævis ingeſta ſurſum evomantur, cum dolore, cibi faſtidio, continuâ febre, abdomine intumeſcente, inquietudine, ſpirandi & mingendi difficultate, calore circa umbilicum, nihil reſpondente alvo. Si ab *Excrementis induratis*, adeſt intolerabilis dolor in abdomine; pauca vomuntur præſertim in principio; præcordiis anxietas; febris eſt lenior, & nulla dejectio. *à Motu periſtaltico* inverſo: continuus ad eſt vomitus eorum quæ aſſumpta ſunt. Sed *Herniæ* ſigna externè ſunt manifeſta.

Cauſa itaque eſſe poteſt inflammatio, obſtructio, flatus, aut Hernia inteſtinorum, quorum expanſione ac intumeſcentia, ſucci nervoſi irradiatio impeditur, hinc retrogradi cogitur ſurſum verſus, uti in Vertigine fieri poteſt, cujus curſum inverſum contenta ſequuntur, redeuntque ad ventriculum, & œſophagum, atque ſic evomuntur. Succus iſte in fibrillis moram trahens, ſæpe aceſcit, unde inteſtinis dolores & convulſiones pariuntur: hinc inferius inteſtinum in ſuperius, & ſuperius in inferius contractione intruditur. Contrahendo enim fibræ quaſi rumpuntur, ac paralyſin patiuntur. In Herniâ inteſtinali ſæpe inteſtina (à tendinibus) ob relaxationem muſculorum abdominis ita conſtringuntur, ut ne vel vi intrudi poſſint. In ſtranguria ſæpe etiam adeſſe poteſt veſicæ motus periſtalticus inverſus, qui ob nervorum & membranarum communionem facile ad inteſtina transfertur: hinc etiam vomitus ex iliaca paſſione.

Morbus eſt periculoſiſſimus, ſed alius alio periculoſior. Si in Hernia inteſtina abſque læſione intrudi poſſint, ſpontè evaneſcit, alias eſt ſymptoma lethale. Brevi moriuntur ſi Volvulus ſtranguriæ ſuperveniat, niſi ſuper veniente febri largiter mingatur. Ob motus enim convulſivos, veſicæ tenſionem vel ſemi paralyſin, urina reddi nequit: ſed ſuperveniente febri alius motus ſanguini & ſuccis accidit, unde priores motus laxantur, & urina diu retenta emingitur.

Evaneſcente brevi dolore, Gangræna adeſt, quod eſt ſignum θανάσιμον. Si inferius inteſtinum in ſuperius ſit contractum, ſpes affulget; ſi contrarium, nulla.

Opiata ſi ſolamen adferant bonum eſt omen, ſi contra, peſſimum. Et ſi enemate bis terve repetito excrementa per anum deſcendere incipiant, ſpes eſt.

In hoc affectu dolor eſt mitigandus: inteſtina exoneranda & quoviſcumque modo reſtituenda. Primo injiciatur Enema ex *lacte*, *ovi albumine*, *caphura* & ſimilibus. Aſſumat æger mixturam ex *oleo amygdalorum dulcium*, *pulpâ caſſiæ*,

cassiæ, *caphorâ*, *lactis sero*, &c. vel fiat Decoctio ex *radicibus scorzoneræ*, *cornu cervino*, *floribus papaveris erratici* &c. detur mixtura quoque ex carminantibus & vomitum sedantibus ex *aquâ melissæ*, *laudano opiato*, *oleo macis*, &c. foveatur etiam venter, stupa ex funibus picatis dissolutis vel *musco navali* & *spiritu vini*, vel alio quovis fotu calido, aut calidâ arenâ..

Si inferius intestinum à superius receptum sit, globulos sæpè plumbeos deglutiunt, quorum gravitate, intestinum receptum elabitur: sed res interdum malè succedit, quia vel sero instituitur, vel quod receptio fuerit contraria, ast si superius in inferius sit delapsum, quidam utuntur follibus, quos ano applicant, sed non memini rem bene successisse, quia intestina flatum frigidum ferrè non possunt. Alii apertionem abdominis suadent, ut intestina manibus restituantur, sed quia ad illam operationem tardè devenitur, etiam successum habere nequit. Novi plures assumptâ Mercurii vivi librâ restitutos.

Henric. ab Heers testatur argentum vivum crebro per corium transitu perpurgatum vidisse sæpe sine noxa dari, & momento citius, eductis secum obviis fæcibus per intestina transiise, à cujus usu, ne frigore suo interanea læsisse posset, statim clysterem ex puro cretico vino injici curabat, sicque aliquot coli nimia tensione morituros, servavit. Mercurius crudus assumptus non nocet.

Qui ex fodinis cinnabarim nativam effodiunt, si mercurium inveniant, eum deglutiunt, ut hoc modo domum portent, dejiciant & divendant.

Uxor *D. Colyn* in vicinia nostra ante aliquot annos iliacam passionem patiebatur; enemata nihil auxilii adferebant, per superiora nihil assumere voluit: quid post paucos dies factum; clam curabat emere castaneas tostas, quibus assumptis, alvus laxata, & restituta fuit, & ab orci faucibus erepta. Iliaca passio esu castanearum profligata.

Si ex Hernia veniat, intestina restituenda, uti postea in *Chirurgia nostra* docebitur.

Quemadmodum à generali causâ ventriculus inflammatur, ita & intestina: sed specialiter etiam inflammatione corripiuntur, nempe ex Herniâ, dysenteriâ, iliacâ passione: vel à contusione, aciculis &c. inhærentibus: atque illa fors tam tenuibus quam crassis communis est. Adsunt porro cruciatus insignes, ferè ineffabiles, fixi, distendentes: dolor ingens in parte affectâ intus percipitur, & nonnunquam plus minus pulsatorius. In loco inflammato sentitur tumor quidam rotundus ac renitens: item ingens adest ardor, ita ut interna urantur, & externa tepeant. Alvus non tantum constipata est, sed anus ita constringitur ut ne stylum quidem admittat, & anus introrsum trahitur: quod signum est instantis vomitus stercorei: imo clyster paulo antea injectus vomitu rejicitur. Intestinorum inflammatio.

Urina, ob convulsiones, non raro retinetur; nam venter quoque inflatur, diaphragma etiam sursum premitur, unde difficilis respiratio: vires quoque fiunt languidæ &c. Omnia illa tenuibus intestinis fiunt graviora ac situs doloris ac caloris, medium ventrem imprimis occupat, dolor & tormina ad superiora magis vergunt, stomachi adest distensio, spiritus angustia, nausea, vomitus assidui &c. in crassis, omnia ista sunt remissiora, vomitus minoris durationis, dolor ad hypochondria magis pertingit, ac lumborum adest gravitas.

Sed sicut hæc omnia sunt vehementissima, ita brevissime durant, nam intra

biduum cessat, ideoque periculosissimum, & succedit gangræna & mors.

Quoad *curationem*, morbus hic leniter est tractandus, ne ileus, gangrænæ, insignes convulsiones &c. expectentur. Non sine jure hic phlebotomia est adhibenda, ut nimia sanguinis compressio diminuatur: alvus item est enemate relaxanda: eaque prima instantia fiant, quia morbus est perbrevissimus. Clysma fiat ex decocto raparum, salviæ, cum saccharo aut melle, addendo nonnihil opii, sacculi cum floribus sambuci, & farina hordei cum nonnihil arenæ calidè ventri imponantur. Internè conveniunt opiata cum aquis aut decoctis temperatis, sale prunellæ, oculis cancri &c.

Ani inflammatio. Anus cum pertineat ad intestinum rectum, ejus inflammationem etiam hisce annectemus: anus itaque inflammatur ab externis causis, à contusione, concussione nimia, Chartis Euphorbio, aut pipere brasiliensi &c. inebriatis. Ex causa interna venit ab Hæmorrhoidibus retentis: eaque inflammatio est vel interna vel externa: atque tunc podex introrsum retrahitur, alvus est astricta, adest ardor, pulsus, tumor, febris &c.

Fistulæ sæpe non tantum metus est, sed propter viciniam & connexionem facile in vesicam penetrare potest.

Primo venæ sectio, ut supra, est instituenda, & alvus quoque enemate laxanda, hoc faciendo dolor mitigabitur: vel lenientia supernè sunt danda: externè applicetur fotus ex vino & caphora: vel mixturam ex albumine ovi; cum alumine & caphora. Si in ulcus degeneret, detergendum & consolidandum est cum balsamo sulphuris, copaibæ, peruviani &c.

Alvi constipatæ &c. observatio. Fæmina viginti & octo annos nata, sæpissimè alvum habebat adstrictam, ut & dolores colicos, ac flatus, præsertim post cruda, fabas, pisa, &c. assumpta. à Laxantibus, clysteribus injectis, flatum discutientibus &c. sæpe levamen sensit. Post tamen aliquot dies recruduerunt dolores, aderat tussis, nausea, alvus constipata, quare & iterum purgans præscriptum; quod dum præparabatur, incidit ferè in syncopen, & simul de ingenti in inguine dextro (nisi me memoria fallit) conquesta dolore & extuberantiâ; loco purgantis haustus, Enema præscriptum, atque iteratum, sed nullo cum successu. Tumor interim neque fomentis, neque manu chirurgicâ reduci poterat; erat enim Hernia inguinalis, seu intestinalis; stercora secundo, tertio ac quarto die ἄνω vomitu ejecta nonnunquam quoque biliosa ac viscida. Cum omnia erant tam interna quam externa incassum adhibita, atque sphacelus Mortis periculum certò denunciabat, à Medicorum & Chirurgorum coronâ tandem abdominis apertio ejusque incisio proposita est. Quæ post ægræ, Mariti cæterorumque consanguineorum deliberationem instituta est. Annuentibus tandem omnibus, incisio facta est tribus digitis fere à tumore in parte superiore: deinde chirurgus digitis oleo unctis intestina delapsa restituebat, & altera manu externè quantum fieri potuit reducebat: foramen enim peritonæi valde erat angustum. Post reductionem, vulnus fuit, ut solet obligatum; & omnia symptomata evanuerunt non tantum, sed adhuc in vivis est.

Virgo per annos viginti plurimos bufones evomuit. Laborabat pedum tumore, imo cutis ipsa sæpe findebatur ac humor tenuis extillabatur. Erat admodum emaciata. Circa stomachi regionem dolore atroci vexabatur, eodem ritu ac si unguibus ventriculi parietes lancinarentur. Potus & cibi asitia. De dolore, duritie & pondere in dextro hypochondrio semper ferè quæritur. Inter dormiendum multum sanguinis evomiut; tandem post vomitus immanes, cum excrementis intestinorum fætentibus, interiit. Bufonum vomitus anatome.

DUos tumores habebat magnitudine ferme nucis juglandis mediocris, alter in sinistro latere circa infimos lumbos, alter vero pube tenus eruperat; hic paulo ante obitum sponte sua erumpens in ulcus degeneravit.

Aperto abdomine, ilion tribus in locis involutum erat; nodi seu involutiones digiti longitudinem æquabant, & aliqua intercapedine ab invicem distabant. Intestinum illud hac involutione seu duplicatura tam arcte angustatum fuit, ut liquor siphone injectus non nisi guttatim pertransibat. Injecto liquore & involutiones evaginatæ sunt, & perpauca parva & dura excrementa cum quatuor lumbricis perexiguis exturbabantur.

Hepar solito grande, quatuor libras pendebat. In media parte concava erat macula alba ducatum aureum adæquans, adipis instar, tactu mollior cartilagini persimilis, quæ totam jecoris substantiam penetrabat: huic & aliæ minores comites erant. Hepar intrinsecus album & durum apparuit pure & sanie refertum. Cadaver fœtebat.

Varias de bufonum vomitu habemus observationes, anne fuerint bufones, an analogum quid, certe hæreo. Sum in ea opinione, nihil animale produci, nisi ex semine, non dicam ex virili & fœminino, cum expertus loquor, me mense martio araneam vitro inclusisse, quæ ova peperit, sed postquam exiccata fuerint, iterum peperit ova, ex quibus, quod mirandum est, novæ araneæ exclusæ sunt, idque obturato semper vitro, ita ut certus sim masculam araneam non adfuisse. Per se ex putredine ranas, bufones aut lumbricos generari, nego. Quid de lumbricis in corpore genitis sentio, in Institutionibus nostris dixi.

Crediderim facile ægram hanc non vomuisse bufones, sed simile quid: fieri potuit illam eiecisse caseosum quid; imo quibus menstrua deficiunt, sæpe vomitus cruentos incurrunt. Quid si sanguis coagulatus esset ejectus, qui viscidis ac biliosis humoribus erat involutus, & non absimilis bufonibus semierosis fuisset?

Vehementi hoc vomitionis motu intestina ita invicem illata & vaginata fuerunt, adeo ut tota fistulæ intestinalis cavitas maxima ex parte esset occlusa. Non mirum igitur eam dolore attoci circa ventriculi regionem fuisse vexatam, cum istæ intestinorum involutiones (quæ convulsione & spasmo excitantur) admodum dolorificæ sint, imo ab hac occlusione factum est, illam

asitia laborare; nam quicquid potus aut cibi assumpserat, evomere iterum coacta fuit.

Hunc morbum ab acido, in sanguine & chylo abundante, originem habere non dubito: serum illud acidum glandulis intestinorum extillans, cum tam acerrimum erat, ut ventriculum & intestina posset erodere, dolores intollerabiles excitati sunt, hinc convulsiones, quibus intestina invicem volvebantur. Ex humoribus lentis, ibique stagnantibus, lumbrici producti sunt, (nempe ex semine præexistente à muscis &c.) Corrodente acido vascula sanguinea erodente, sanguis effluebat, qui insciâ ægra vomitu nocturno tempore exturbabatur. Et hac saburræ stagnatione etiam fœtor ortum habuit.

De dolore, duritie & gravitate sub dextris costis, etiam à sanguine acido & lentis humoribus inquinato Hepatis Vascula obstruente certe originem sumit. Fecit obstructio ut plus humoris admitteretur, quam in venas reducentes amandari poterat, hinc mole auctum fuit. Interna interim substantia ab humoribus obstruentibus, qui & corrumpebantur, erosa fuit, unde dolor. Durities veniebat, quia partim sphacelatum, partim ab humoribus contentis distendebatur.

Ulcera externa etiam ab obstructionibus in musculis aut glandulis ortum ducunt.

Quomodo pedes intumescunt, cum alibi de hydrope agam, explicabo.

Post iliacam passionem &c. anatome.

Filius alicujus Mercatoris à longo tempore continuo dolore fixo in dextro Hypochondrio vexatur. Tandem iliacam passionem passus; moritur.

APerto abdomine, cæcum intestinum erat contractum, & in illum insinuatum, adeo ut nihil ex ilio in colon descendere potuerit: cæcum non tantum inflammatum & prætumidum erat, sed etiam cancrosum.

Iliacis passionibus causa sæpe est inflammatio, à fæcibus obstructio, flatus, aut Herna; exinde intestina distenduntur, & succi nervosi cursus pervertitur. Hinc quoque intestini partis paralysis, & contractio, adeo ut intestinum arcte contractum facile in distentum incidat. Cancri in intestinis fieri possunt, cum eorum glandulæ obstruantur. *Cancer* enim est mortificatio glandularum, quæ in carne *Sphacelus*, & in ossibus *Caries* dicitur.

Post colicam anatome.

Intensa hieme, incidit consiliarius quidam in dolorem colicum. Vomitus stercoreus per invalla. Tertio die febris, sitis & linguæ ariditas. Septimo die venter laxus, tandem præ virium imbecillitate & languere, extinctus est.

INteraneis perlustratis, ileon tribus in locis, complicationibus convolutum & velut in unam massam compactum circa colon inventum est, non sine sphacelo infectum & perforatum, nec ipsum mesenterium circa illam convolutio-

lutionem à gangræna tutum fuit. Plurima excrementa effuſa ex ano perterebrato effluebant.

Ab ileo vomitus, vel ſingultus, vel convulſio, vel dilirium malum.

III. CAPUT.

DE OBSTRUCTIONIBUS, ET INFLAMMATIONE MESENTERII ET PANCREATIS.

MESENTERII OBSTRUCTIONES præſertim pueris & infantibus ſunt: eorum enim chylus admodum viſcoſus ſæpe eſt & tenax, imo caſeoſus & facile in grumulos ſecedens: hinc ex inteſtinis per vaſa lactea ad meſenterii glandulas aſcendens, eas verſus ductum thoracicum pro parte ſubire nequit, ſed materia lenta, viſcoſa & caſeoſa in iis remanet & immenſum uſque accumulatur: quarum accretione, quoniam quotidie fit, glandulæ iſtæ ſenſim ſenſimque intumeſcunt & abdomen protuberare faciunt. Porro licet mediocris notæ chylus aſcendat, tamen à confluente Lympha ex Hepate, &c. etiam facile coagulari poteſt: nam lympha aliquando particulis abundat acidis. Hoc modo abdomen redditur non tantum tumidum, ſed & admodum durum: & ut antea dictum, ſæpe concomitantur vermes in inteſtinis. Glandulis hiſce ita obſtructis, non niſi chylus ſeroſus & ὀλιγότροφος in ſanguinem mittitur: ideo marcore ferè pueri extabeſcunt, & non ſine vitæ periculo eſt, ſi glandulæ ſcirrhoſæ ſint aut tophaceâ materiâ infartæ; tunc enim omnis ſucci alibilis tranſitus non raro præcluditur.

PANCREAS etiam aliquando obſtruitur, ob ſuccum, quem ſegregat coagulantem, concreſcentem. Succus iſte merè ſalivalis eſt & chyloſus; ſi itaque ſanguis ei accedens nimium fuerit viſcidus, facile illud viſcidum ei inhæret, hinc intumeſcit, & ſepe in ſcirrhum incidit: liquor porro è Pancreate manans, tum ſubacidus eſt, vel acidus, aut corroſivus, quia materiam obſtruentem ſemper præterlabitur, hinc particulas ſibi diſſimiles ſecum rapit.

In Ejuſmodi obſtructionibus, chylus eſt alterandus ne aceſcat, aut viſcidus evadat: deinde obſtructiones ſunt reſerandæ. Itaque acidum temperantia & ſimul deobſtruentia ſunt præſcribenda uti ſunt

Radices *graminis*, *Raphani hortenſis* & *ruſticani*, *quinque aperientium*, *Filicis*, *urticæ*, *Bryoniæ*, *Iridis*, *Allii*, *Polypodii*, *Taraxici*, *Cichorei*, &c. Deobſtruentia.

Cortices *Capparum*, *Tamariſci*.

Folia *Abſinthii*, *Taraxici*, *Fumariæ*, *Centaurii minoris*, *Cardui Benedicti*, *Cochleariæ*, *Eupatorii*, *Lupuli*, *Nicotianæ*, *Naſturtii*, *Theæ*, &c.

Seminis *Aniſi*, *Cannabis*, *Cicerum rubrorum*, *petroſelini*, *Naſturtii*, *Raphani*, *Sinapi*.

Fructus *Iuniperi*, *paſſulæ*, *prunæ*, *Caſſia fiſtula*.

Vinum, *Aloë*, *Ammoniaum*, *Galbanum*, *Opopanax*, *Sagapenum*, *Caranna*, *Tacamahaca*, *Terebinthina*, *Gummi Guajaci*, &c. *Tartarum*, *Chalybeata*, &c.

Ex hisce varia præscribi possunt. Ex. Gr.

Recipe *Martis Vitrioli*, *Tartari Vitriolati*, ana partes æquales, fiat pulvis, *Dosis* à granis sex ad decem vel ulterius pro ætate, singulis diebus bis.

Vel detur *Tinctura Lunæ* aut *Martis* aut *Veneris*, quibus brevi omnis saburra viscida inciditur, evacuatur. Bibatur quotidie lac cum Allio coctum. Valet & usus Tincturæ Assæ fætidæ, aut Ammoniaci. Illinatur externè abdomen cum *Oleo Absinthii*, addendo *oleis stillatitiis Absinthii*, *Tabaci*, &c. Vel Emplastrum applicetur ex *Gummi Caranna*, *Tacamahaca* in oleo *Terebinthinæ* dissoluto, &c. Interim *Diæta* sit ex cibis non facilè corrumpentibus & acorem contrahentibus: Exercitia sint modica.

Mesenterii inflammatio.

Inflammatur aliquando quoque Mesenterium, unde morbi sæpe oriuntur diuturni & chronici: nam licet per conjecturam tantum cognosci possint, tamen medicamenta, vix, ut decet, applicari queunt: in medio enim ventre situm habet anterius & posterius tectum intestinis, cujus sensus ut plurimum obtusus: in medio ejus variæ habentur glandulæ, quæ vel inflammantur, casesias particulis obstruuntur, scirrho aut tartaro laborant &c. unde varia resultant symptomata. Accedit multiplex nervorum ramificatio, quæ cum vicinis partibus cohæsionem habeat, necesse est, ob varia symptomata & ægros & Medicos falli. Dolores nunc sunt magis obtusi, nunc magis molesti: item fixi, aut vagi, circa lumbos aut dorsum, vel circa umbilicum: non est morbus unius mensis, sed sæpe plurium: idque non sine febricula erratica, plerumque post pastum exacerbans. In abdomine aliquod grave onus ægri videntur gestare: horrores subinde oriuntur, qui membranis proprii: corpus ut plurimum emaciatur: respiratio evadit solitò difficilior: vel inflatur venter vel retrahitur versus posteriora: dolor aut lumborum aut abdominis per intervalla nonnunquam recurrit.

Porro vel solum Mesenterio accedit inflammatio, vel inflammatur una cum intestinorum inflammatione. Generalibus causis omissis, inflammatur præsertim in dysenteria & affectu herniosо. In dysenteria enim malè curata, materia peccans in sanguine & succis mansit, quæ glandulæ mesenterii à lympha hepatica acri, &c. læduntur, obstruuntur, corroduntur, inflammantur, exulcerantur, &c. in Hernia intestinali res est manifesta, elapsis enim intestinis, facile sequitur mesenterium, præsertim si tendines musculi abdominis nimium relaxati sint, qui vehementer recepta intestina constringunt, ita ut vix vel arte restitui queant. Huic inflammationi quoque adjungitur, ut debet, febris.

Quia isti tumores & abscessus in profundo latent, idque vel sine dolore vel vix molesto, sæpe ex symptomatibus, ut nausea, vomitu & pro nephriticis, uterinis &c. habentur: nihilominus tamen dum æger se volvit ab uno latere in alterum, sentit pondus grave, adest ardor circa umbilicum & præcordiorum: in profundo abdominis sentitur dolor pulsans, cum leni ardoris sensu absconditus, cum quo ardore, sensus quidam tensivus in abdomine citra vehementem duritiem sentitur; adsunt non raro egestiones chylosæ abque ventriculi vitio; adsunt signa inflammationis reliquorum abdominis partium, quæ alias facile confunduntur; providendum præcipuè ne sit umbilici inflammatio, non

exte-

exterioris. sed interni circa musculos rectos, in quibus interdum fit inflammatio & abscessus, unde pus per eum evacuatur. Febres quæ in mesenterii inflammatione & abscessu observantur, diversæ. Si inflammatio sit profunda, febres plerumque sunt continuæ, sed languidæ, quæ insensibiliter ferè circa vesperam exacerbantur. Si vero circa exteriores partes, ubi reliquis abdominis visceribus conjungitur, inflammario ejus accidat, febres plus minus acutæ adesse solent. In quavis inflammatione, febris, dolor & symptomata reliqua sunt graviora. Dum apostena rumpi incipit aut rumpitur, horror insignis, interdum rigor quatit ægrum, cum superveniente æstu interdum insigni, quæ puris, præsertim per alvum, excretio successivè comitatur.

Inflammationes ejus vel suppurantur, vel in scirrhum abeunt, præsertim ejus glandulæ in mesenterii obstructionibus, si cruentæ superveniant dejectiones, nonnunquam salutares habentur. Suppurationes Mesenterii admodum sunt lentæ & non nisi tardè suum absolvunt cursum, unde etiam ægros vix in consuetis functionibns impediunt. Diurno hoc malo affecti, tandem aut ad tabem & hecticam deveniunt. Erumpente alio, quam in alvum pure, post ruptionem abscessus, nec locum alium excretioni idoneum reperiente, affectus colicus simul observatur. Sin vero in abdominis cavum effundatur, tum membra vicina vel inficit, ut gangrænam concipiant, vel acredine corrodit & plurium malorum author est. Optimè abscessus ruptus per alvum vel per urinam evacuatur. Quod si vero intestina corrodit, hæc siderata, seu sphacelata reddit. Si subitò, copiosè & plerumque permista est sanguine, non potest non à mesenterio esse. Si vero pauciora, tardius, & cum torminibus sensim ac successive effluat, est ab ulcere intestinorum.

In curatione, quoniam dolores non admodum urgent, venæ sectio; prorerum statu, moderanda est. Præscribuntur hæmorrhoidum per hirudines apertiones: laxanda potius alvus enemate emolliente, aut passulatis, nam acria cathartica in ejusmodi sumantur *Martialia*, *tartarus nitratus*, *nitrum antimoniatum*: sumantur sudorifera blanda, & serum acre per urinam præcipitantia. Cibi sint temperati ex rapis, pomis cum passulis coctis, lacte cum ovis, sorbilibus ovis, carne gallinacea &c. externè emplastra & fotus ex emollientibus, discutientibus & resolventibus applicari possunt: si dolor exacerbatur, signum est adesse inflammationem, ast si diminuatur, pus factum esse significat: tunc per intestina sese confertim vel per vices exonerat: per duplicaturam enim membranarum mesenterii ad intestina viam sibi tunc cudit. Porrò, quia ob motum convulsivum vesica quoque passa fuit, ut & renes, atque is nunc relaxatus sit, urinæ dicunt oriri profluvium. Porro ob sedimentum, quod in matulæ fundo reperitur, laudabile; nullam salutis spem concipere debet Medicus, cum liquamentum potius corporis tabescentis existat. Porro purefacto, sic omnia conveniunt, quæ in omnibus internis ulcerationibus convenire solent: ut sunt ea quæ conficiuntur ex Terebinthinâ, Balsamo peruviano, copaibæ, sulphuris &c. item decocta prosunt ex Herbis Hyperici, virgæ aureæ, solidaginis saracenicæ, sassafras &c.

Sequuntur quædam obstructionum exempla.

Vir quadraginta circum circa annos natus, ab annis tribus cruentis renum ac dorsi doloribus nonnunquam recurrentibus laboravit, & inter mingendum arenulas rubras magna copia excrevit; quibus symptomatis vomitus gravissimus accedebat. Omnes Medici ad medicandum adhibiti, cum nephriticum aut calculosum judicabant. Is tandem sævissimis hisce doloribus repetentibus, moti succubuit.

Post nephritim & varias obstructiones, anatome.

THorace aperto, sinister pulmo sanguine extravasato turgidus fuit; alias pulmones sani satis. Cor se bene habuit: diaphragma in latere sinistro ac in parte carnosa erat perforatum, per quod foramen, putrida quasi caro, livida, ac nigricans perterebravit. Sed cum ad abdomen ventum esset, ipsum pancreas longitudinem duarum spithamarum, duarumque manuum transversarum latitudinem obtinuit. Porro putridum ac cancrosum; regio circa spinam, venamque cavam, corrosa fuit, imo renes ipsos sphacelo obduxit ac puttidos reddidit, nec arenæ nec calculi inventi sunt. Bile intestina conspersa erant.

Quoad in pulmonlbus sanguinis extravasationem, illam casu ex gravissimo vomitu, procul dubio factam credo. Novimus sæpe vasa sanguifera ex vehementissimo vomitu rupisse, quod lippis atque tonsoribus notum est. Cum enim aër inspiratus pulmonibus vi convulsiva exprimatur, necesse est quædam vasa admodum constringi & angustari; qua siccasione interim vasa à sanguine affluente ad rupturam implentur, & hinc sanguinis ad aliquod libras effusio.

Porro quam difficile judicatu sit de lumborum doloribus, hic liquet: ab omnibus Medicis calculosus judicabatur, cum interim ne ullum calculi vel arenularum stigma in toto cadavere inveniebatur. Sed rogabis, unde arenularum copiosa mictio? ad id respondeo, arenulas non fuisse per urinam excreta; sed quia lotium nimis salsum ac rubrum erat; arenulæ, postquam friguit, ad lateta, mediante salsedinis crystallisatione, concreverunt: quod sæpe in propria urina animadverti, præsertim post esum asparagorum; tunc lotium reddidi fætidum sine arenulis; ast cum aliquot horis friguerit, ecce ingens arenularum rubrarum copia matulæ albæ ex *procellana Hollandica* factæ, lateribus adhæsit.

Origo totius morbi igitur, fuit obstructio glandularum pancreas constituentium: succus enim, qui dicitur pancreaticus, nimis lentus, & acidus erat lentor sive mucago obstruxit glandulas pancreatis, adeo ut succus, alias fluidus, per ductum pancreaticum, nimis lentus, & acidus erat: lentor sive mucago obstruxit glandulus pancreatis, adeo ut succus, alias fluidus, per ductum pancreaticum in duodenum sese exonerare non potuerit: cum interim copiosior succus ibidem sequestraretur, & major sanguinis quantitas accumularetur, quam per vias ordinarias reduci potuerit, corpus pancrcatis immensum augeri debuit: atqui hinc patet, cur debitò longius & latius erat.

Deinceps si visciditati huic admixtæ sint particulæ acutæ sive acidæ, utrin-

que:

que scindentes, tota pancreatis machina corroditur: hinc primo inflammatio, & deinde cancer: cujus succus admodum corrodens, partes vicinas, & carnosam diaphragmatis partem primo perforavit; postea renes, venamque cavam cum spinæ regione sphacelo ac putredine corrupit.

Per foramen diaphragmati corrosione illatum, expirando, abdomenque cum intestinis intus versus diaphragma premendo, pancreas in thoracis cavitatem latum fuit;

Non mirum intestina bile fuisse spurcata, cum fellis vesicula huic glandulæ vicina erat: atqui mos non est in tuto existere parietem, cum proximus ardet. Et si folliculus fuisset integer, ductus bili communis ob vicinatem meatus pancreatici, potuisset facile corrodi, unde bilis per intestina flavedo.

Fœmina quædam ante obitum per duos menses continuò febre quadam afficitur; questa est de gravi pondere, (quod liberè pendebat, ut putabat) in abdomine. Urinæ ejectio non respondebat; alvus quoque dura, ac respiratio difficilis. Medici divinabant de mola in utero; alii vero de Hydrope & tumorem istum abdominis octo annos gessit.

Post mortem abdomen aperiebatur. Mesenterium ac pancreas immensæ molis erant, decem libras cum dimidia æquabant. Externè scirrhosa videbantur, connexa tantum erant cum lumborum vertebris posterius; anterius vero cum peritonæo etiam plane scirrhoso, adeo incrassato, ut cartilaginis speciem referret: ab intestinis, quod mirum est, plane libera erant. Anatome Mesenterii & pancreatis obstructi.

Varia ulcera in mesenterio inveniebantur, quorum singula singulari quasi pellicula continebantur; quædam pure plena, olei instar, alia mellis consistentia erant, alia vero adipis liquefacti vel pultis, albuminis ovi aut lymphæ liquorem continebant: & ut brevi dicam quot ulcera tot materiæ diversitates. Aquæ aliquot libræ effluebant. Jecur plane induratum, ac ulceribus plenum. Intra octo annos, quibus iste abdominis tumor sensim accrescebat, se quod menstrua & cætera sanitati convenientia, bene habuit, exceptis postremis ante obitum mensibus, tum enim præ gravitate abdominis & febre continua decumbere cogebatur.

Omnes abdominis glandulæ atheromate, meliceride, steatomate aut scirrho obsessæ fuerunt, præsertim pancreas & mesenterii glandulæ, atque pro varia glandularum obstructione, fuit etiam materia ab invicem varia. Ob ingentem pancreatis molem, rectum intestinum & vesica compressa, adeo ut nihil stercoris aut urinæ excerni potuert. Sic quoque ob elevatum, à tumoribus & aqua, diaphragma, musculisque abdominis distentis, respirandi actus libere fiere non potuit, ideoque in difficilem incidit respirationem. Quod ante mortem febri laborabat, mirum non est, nam obstructis visceribus, sanguis tandem saburra ejusmodi inficitur, ita ut tandem inspissatus, incalescat.

Ex ruptis in abdomine lymphaticis, aqua extillavit, unde Hydrops ascitis, sive venter aquosus.

Mirum videtur, pancreas & mesenterium intustinis, ut solet, non adhæsisse: Sed præ nimia ponderis gravitate, omnes membranæ, cæteraque viscerum retinacula à pancreate & mesenterio dirupta sunt, adeoque ut ipsa fatebatur viva, liberè pendebant.

Per integrum fere annum quidam pauper fluxu ventris æruginoso laboravit; cui aderat tussis sicca cum insigni respirandi difficultate.

Post fluxum æruginosum anatome.

APerto cadavere, epiploon cum mesenterio fermè consumpta erant, adeo ut intestina sine ordine sibi invicem confusè adnata fuerint, parvis villis hinc inde enascentibus. Lien contractus, rotundus & instar pilæ minimæ admodum exiguus Hepar coloris pallidi, flavi, luridi ac viridis ποικίλον fuit. Folliculus fellis solito major æruginosa bile admodum distentus. Intestina & ventriculus erosa bilis æruginosæ copia spurcata.

Pro varia humorum corruptione & inspissatione etiam obstructiones variant, nam pro diversa particularum figura & magnitudine, diversi quoque meatus & canaliculi, obstruuntur. Certum est in bile æruginosa multum acidi abundare, quod experimur, si bili acidum affundatur, illico flavus color in viridem mutabitur. Viriditate quandoquidem ab invicem bilis discrepat: Authores enim bilem æruginosam, porraceam, vitellinam, colore Isatidis Herbæ &c. esse ponunt: hæc differentia oritur ex acidi non tantum varietate, sed ex majori copia. Bilis porro hoc modo constituta vehementius intestina irritat, unde diarrhœa. Ob istius bilis acrimoniam acidisque in ventriculo & intestinis erodebantur. Sic propter vasorum & glandularum Hepaticarum variam obstructionem diversum colorem accepit.

Quadragenarius à biennii tempore incidit in capitis dolorem, icterum sæpe ischuriam, viscerum obstructiones, & dolorem ischiadicum, postremo febri cum paraphrenitide diem clausit.

Omentum corruptum, vermes &c,

INspecto cadavere Omentum corruptum & inflatum. Colon in latere sinistro admodum contractum & coarctatum. Intestina vermibus plena. Inter vesicam & rectum intestinum tuberculum scirrhosum creverat. Circa femoris dextri Trochanterem, apostema fuit, continens libram integram puris: hinc tendinibus musculorum & ossium ligamentis erosis, femoris luxatio. A postica renis sinistri parte sub musculo lumbari atheroma fuit, è quo plus quam duæ libræ puris effluebant: vertebræ tres quibus incumbebat, carie exesæ & contritæ erant. Pancreas circa partem duodeni, ipsum intestinum scirrho & atheromate ita obsedebat, ut alterum ventriculum mentiretur. Jecur exiguis scirrhosis apostematibus plenum. Splen totus corruptus & calculosus.

Pulmones inflammati ac glandulosis tumoribus referti. Sternum, circa clavicularum juncturam, atheromate ovi magnitudine obsessum fuit. Sub

axilla

axilla dextra, inter pleuram & costas ad pugni maximi magnitudinem abscessus graveolens fuit, cujus aciditate quarta, quinta & sexta costa carie non tantum afficiebantur, sed à vertebris divulsæ sunt.

Elevato cranio meninx crassa fuit inflammata. Ad lævam falcis regionem tumor scirrhosus & latus in tenui meninge erat. Cerebum lympha flava turgebat. Ad basin selibra sanguinis inventa.

Hic homo ab omni parte corruptus & obstructus: in capite scirrhus præcedentem indicat inflammationem, unde dolor biennalis.

Obstructiones in Hepate impedimento fuerunt, ne bilis ad vesiculam fellis aditum haberet, unde contigit eam in sanguine remansisse, cutimque colore aureo infecisse. Ischuria à tuberculo inter vesicam & rectum intestinum orta, quia ab eo vesica premebatur.

Apostema circa Trochanterem ischiadicum dolorem procreavit. Sic omnibus visceribus & glandulis obstructis myrias malorum nata fuit.

Fœmina quædam variis cœpit torqueri doloribus in imo Ventre & Hypochondriis, qui interdum omnino delituerunt, interdum ad lipothymias sævierunt. Facies pallore suffundebatur: Venter in tumorem surgebat, sed inæqualem. Postea dolores circa matricem adeo intensos (parturientium instar) sensit, ut accersita obstetrix, vel molam vel simile quid ex utero proditurum expectaret. Sed præter aquea effluvia, nil apparuit, & dolores paulatim omnino remiserunt. Interpositis aliquot diebus & tumor ventris, & dolores iterum aucti sunt: usu medicamentorum hæc omnia eo usque cessarunt, ut res domesticas iterum aggrederetur; tandem cum lanio suem mactanti adstaret, subitò epileptica concidit, & ea ipsa die vitam cum morte mutavit. Obs. V.

Mesenterii obstructi anatome.

VEntriculus, Hepar, Lien, & Intestina debito modo erant constituta, sic & uterus sanus. Loco vero glandularum mesenterii, vesicæ venulis ejusdem implicitæ & tectæ, uti & toti mesenterio hinc inde adnatæ ultra viginti, diversæ magnitudinis, aqua lympidissima turgentes apparuerunt: quarum una omnium maxima (capitis infantis alicujus mole) se præbuit, & totam matricem contexit. Matrix ut dixi subtus latuit; ab hac maxima sex adhuc paulo minores pugnum æquabant, reliqua ova gallinacea & colombina, quæ omnes inter se nonnexæ, ova gallinacea partim ad maturitatem producta, partim adhuc varia magnitudine succrescentia egregie (**een eijerstok**) repræsentabant.

Videmus in hoc & aliis subjectis Hydropem vario modo concitari, nunc expanduntur membranæ hepatis, nunc ventriculi, aut lienis, mesenterii, uteri, aut ipsius peritonæi, quibus expansionibus disruptis humor in abdomen effluit, quod sæpe lethum adfert; aqua enim effluxa in venas redire non potest, hinc ex diuturna mora acorem contrahit, & viscera aquæ huic innatantia, corrumpuntur, nisi tempestivè satis paracentesi aqua extrahatur.

Steatoma in abdomine repertum.

Figuli cujusdam uxor tantum ventris tumorem habebat, ut ascitem ingentem mentiretur. Molem hanc ventris per aliquot annos foverat, & pedetentim auxerat, eo usque ut ponderis illius extensione non solum doloribus variarum partium consumeretur, sed insuper compressione pectoris & diaphragmatis tandem extingueretur.

INtestina juxta dextrum latus ascendebant, quibus remotis tumor ingens propria tunica, satis crassa, totam abdominis capacitatem implebat, libras quinquaginta & sex adæquans: adhærebat ventriculi fundo, partibusque circumjacentibus. Continebat materiam adipi similem, insuper partim glandulosus fuit, partim quoque scirrhosus: verum in medio cavitas fœtida, sordidaque sanie repleta fuit.

Mesenterii &c. obstructio.

Puer octennis ab alio quodam puero baculo circa lumbos percussus, aliquot diebus post malè habere cœpit, qui tamen elapsis quibusdam septimanis, tabe consumptus est.

VEntre aperto, glandulæ mesenterii non tantum tumebant, sed etiam scirrhosæ & ita conglobatæ erant, ut duorum pugnorum magnitudinem superarent. Cætera viscera sine culpa.

Hac percussione fortè quidam nervi intercostales per mesenterium excurrentes, læsi fuerunt, unde motus impeditus; glandulæ interim chylum suscipientes, sese versus chyli receptaculum exonerare non potuerunt, ideoque ob stagnationem, chylus acorem contraxit, particulæque caseosæ eas non tantum obstruxerunt, verum earum molem auxerunt.

Obs. VIII. *Quidam de doloribus in abdomine ad jugulum ascendentibus à longo tempore questus; præsertim cum cibum sumeret. Is subitò expiravit.*

OMentum habebat putridum, cui fœtor aderat. Ingens erat Hepar, totamque ferè abdominis capacitatem implens. Lien exiguus. Hinc inde in abdomine Vesiculæ flatibus distentæ. Exucci pulmones lividi, & versus gulæ regionem inflammati. Cor solitò majus.

Pulmonibus obstructis, respiratio nec sanguinis periodus liberè peraguntur, quarum quiete homo suffocatur. Non mirum quoque illum de doloribus conquestum esse, cum Omentum computruerat, quod ob nervos intercostales sensibile est.

Obs. IX. *Nobilis quidam in febrim incidit, cui aderat dolor circa dorsum & lumbos, Tremor item totius corporis ac fluxus hæmorrhoidalis: omnibus tandem ingravescentibus, delirus obiit.*

In-

IN abdomine Pancreas fuit ſuppuratum, viridi & acri pure refertum. Putrilaginem quandam pulmones continebant: cerebrum liquori acri & ſubvireſcenti innatabat.

De dolore è lumborum & dorſi regione, manifeſtum eſt fu iſſe Pancreas primo inflammatum & deinde ſuppuratum. Tremor totius cor pors venit à particulis irritativis, quibus liquor ſubviridis, cui cerebrum innatabat, erat impraegnatus: irritatis quippe meningibus, caeterae quoque membranae totum corpus inveſtientes, eodem tremore tentantur.

Laborabat Mulier quadam Ventris ingenti tumore, adeo ut ab obſtetrice pragnans judicaretur; tumor interdum remittebat, aliquando augebatur. Menſtrua debitò tempore excrevit. Poſtea ingentibus doloribus torta, obiit. Omenti &c. corruptio

DIſſecto cadavere multum ſanguinis aquoſi effluxit, implens non tantum abdomen, ſed & Thoracis cavitatem: Venae omnes evacuatae. Omentum putredine couſumptum. Tenuia inteſtina protuberantia arctiſſimè inter ſe cohaerebant. Ventriculus, Jecur, Splen, caeteraque huc ſpectantia eodem quaſi vinculo connectabantur. Ingenti pinguedinis copiâ membranae adipoſae propendebant, adeo ut craſſa inteſtina planè eadem tegerentur. Ventriculus adeo denſus fuit, ut ferè cartilaginis duritiem aequaret, ſupraque janitorem eminentiam acutam habens. Hepar ingentis fuit molis, ſcirrhoſum. Parvus fuit Lien, pinguedini immerſus.

Dextra thoracis pars, eodem ſanguine aquoſo & grumoſo plena. Pulmo vix pomi magnitudinem aequabat, verum ſiniſter praeter ſolitum amplus.

Procul omni dubio in utraque cavitate vaſorum ῥῆξις fuit, ſive à veneno, ſive à pondere pinguedinis aut alias, difficile erit judicatu.

Decem circiter annorum puer, aliquot ante obitum annis continuò de dolore in abdominis ſiniſtra parte querebatur. Pancreas durum & ren ulcere conſumptus.

POſt obitum Ventriculus fuit admodum exiguae capacitatis, verum inteſtina ſupra modum diſtenta. Pancreas duriſſimum. Ren ſiniſtri lateris pure conſumptus, calculum continens inaequalem. Siniſter non tantum praeter ſolitum parvus, ſed verius fungoſam ſubſtantiam, quam renem referebat.

IV. CAPUT.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS, CONTINUIS, VAGIS, SYMPTOMATICIS, PESTILENTIALIBUS, PLEURITICIS, ANGINOSIS, CUM MORBILLIS, VARIOLIS, CEPHALALGIA, &c.

à Chyli ascensione ducimur secundum sanguinis circulum ad cordis regionem: itaque ab ipso sanguine ordinem primum auspicabimur, & quidem à FEBRIBUS. Quando sanguis à chylo indisposito aut malè affecto læditur, sæpe condensatur, & in motu continuo retardatur; tunc primo oritur frigus & deinde calor, quibus cum nonnunquam varia symptomata stipantur, ac illud Phænomenon FEBRIS appellatur. Itaque *Febris nihil aliud est, quam chyli & sanguinis talis condensatio seu coagulatio, quâ omnium humorum Periodus non parum retardatur, primo cum frigore, deinde incalescentia, variisque symptomatis, pro vario coagulationis gradu, comitata.*

Febris quid.

Quando ergo sanguini nostro chylus ferè acescens commiscetur, ei, instar cremoris ferè lactis, crassitiem adfert: inspissatio porro illa satis superque ex symptomatis supervenientibus cognita est. Quid enim aliud nobis indicat *Saliva tenax*; *Sitis intolerabilis*: *Oscitatio*; *Vomitus*; *Diarrhœa*, *Dysenteria*, *Cephalalgia*; *Convulsiones*, *spasmi* &c. præsertim patet *Horrore continuo* & *frigore gelido*. Si solummodo sanguis incrassatus esset, & minimè chylus, tunc febris absque ullâ intermissione aut remissione continuo affligeret, quòd in morbis chronicis patet, qui perpetui sunt; verum quia tales non dantur (quamvis propriè loquendo, febres semper sunt perpetuæ, sed non assiduò eadem face flagrare solent) in chylo mali latebit fons, cujus affluxu sanguis eadem labe contaminatur. Propter humorum sane inspissationem, circuitus in corpore nostro solitò tardius peragitur; cum itaque in sanitatis statu singulis horis duodecies vel tredecies circulum absolvebat, in febrili statu sexies, octies vel novies circumfertur; & si circumlatio illa ferè deficiat, morti sumus proximi; sed prorsus deficiente, ultimum vale diximus. Hinc Periodus si tardior fuerit, necessariò condensatio sequitur, & *omnium partium frigus*: hoc ergo phænomenon aliam non habet originem quam à chylo acidis particulis turgido; Quemadmodum enim lac Aceti admixtione coagulatur (propter globulorum æthereorum majorem pressionem) sic chylus ab eadem causâ sanguini admixtus, facile coagulatur.

Frigoris causa.

Motus convulsivi.

Hisce ita positis, liquor chylosus una cum sanguine caput petens, ineptus est, ut ex eo in cerebro succus nervosus segregetur: hinc partium nervosarum ac membranosarum debilis expansio, unde motus convulsivi, ut in vomitu, & oscitatione, pandiculatione, præsertim constat ut & ex omnium partium tremore ac pulsu debili. Ex forti globulorum æthereorum compressione, subtilis materia minus in poris admittitur, id propter sanguinis calor deprimitur, debilitatur. Acidum in febribus abundare, Medicamenta ἀντιπυρετικὰ satis abundè testantur, quæ omnia ex volatilibus & acidum concentrantibus

parari

parari ſolent. Vide de hiſce ulterius inſtitutiones noſtras.

Chylus adeo coagulatus, ſanguinem condenſat, qui tunc per venas tardius incedit, hinc propter craſſitiem pulmones non niſi lento gradu ſubire poteſt, quapropter venâ emiſſus, vi quaſi proſilit; nam partim propter motum tardiorem ibidem magnâ copiâ accumulatur; partim propter motus convulſivos, qui venas non raro infeſtant. Exinde concludendum non eſt, ſanguinem adeo effervеſcere ac ebullire in venis, ſed hic tantâ prorumpere vi non videtur, quæ non niſi lentè per pulmones & cor transfertur, ergo in venis major copia aſſervatur, quam pulmones ingreditur. Frigore ægris nimium moleſtante, *Livor* unguibus accedit, quia ſanguis circa extremitates aliquando planè ſubſiſtit; memini livorem febrilem poſt anni curriculum primum fuiſſe deletum. Livor unde.

Evaneſcente ſenſim frigore, *Calor* ægros gradatim invadit. Certum enim eſt frigus in eodem ſemper ſtatu non manere: quia materia febrilis à principio ad finem ab influxu ſubtilis materiæ continuò alteratur, atque ſic particulæ ſanguinis loco moventur & ſenſim ſenſimque magis agitantur, donec tandem calor vigeſcit, ægriſque non exiguam moleſtiam parit. Qui ſi intolerabilis fuerit, ARDENS dicitur FEBRIS ſeu CAUSUS. Licet in febrili calore ſanguis magnoperè æſtuet, non tamen ſtatuendum eundem effervеſcere magis ac igneſcere quam in ſtatu ſanitatis. Particulæ quippe ſanguinis vehementer (ferè uti in fæno nimis madidè aggeſto ruſtici cum damno experiuntur) à Materiâ ſubtili agitatæ, motum inteſtinum habent, longè à ſanguinis circulo diverſum; itaque motus inteſtinus à motu progreſſivo diſtinguendus eſt. Illo quidem tempore plus ſolitò æſtuat, nihilominus tamen in hoc ſtatu longè frigidior eſt, quam ſi celeriter in ſano corpore circumduceretur: ſed nunc temporis magis animadvertitur, quia tardius progreditur, itaque facilius & non ſine moleſtiâ ſentitur: non ſecus ac aër quietus, nobis majorem caloris ſenſationem imprimit, quam ventis motus & agitatus: ſic mulierculæ flabellis non incaſſum aërem in faciem injiciunt. Aſt in debito circuitu celeriter tranſit & nulla ferè ſui caloris relinquit veſtigia, ſaltem ſanis non moleſta. Perennante hoc calore, acidum peccans per poros expirat, atque ſic demum ſanguis fluidor fit, & in ἀπυρεξίας ſtatum reducitur: in eo omnes corporis noſtri functiones bene aliquando obeuntur, donec de novo Paroxyſmus redeat. Calor. Febris ardens. Apyrexia.

Intermiſſionis ſeu deferveſcentiæ intervallo, materia febrilis relicta ac necdum penitus ſubacta vel expulſa de novo chylum ex inteſtinis ſanguini accedentem, quo quaſi veneno inficit, eodemque, ut antea diximus, modo, febrilem acceſſionem cum frigore & calore reſuſcitat, quæ tamdiu reciprocando perennat, donec febrilis materia planè ſublata ſit.

Atque hæc in genere de Febribus: nunc examinandum unde illorum varietas dependeat, Herculeus adhibendus, ut hæc ſolvam, cuneus eſt. Acida omnia plurimum ab invicem differre novimus: in noſtro ergo corpore auſteritate, ſalſedine, viſciditate, acredine &c. quoque differunt: itaque propter particularum acidarum differentem gravitatem, levitatem, acumen, hebetudinem, &c. diverſimodè etiam à materiâ ſubtili agitantur. Atque ſic materia febrilis nunc citius, nunc tardius febrili paroxyſmo ineundo, maturatur; Febrium differentia.

tur; hinc patet differentia *Febris Quotidianæ*, *Tertianæ* & *Quartanæ*: sæpe enim deficit Bilis præsentia: nonnunquam succus pancreaticus qualitate aut quantitate peccat; aliquando & alia fermenta deficiunt, quibus si sanguis & chylus privetur, ad anomalias sæpe febriles ineundas cogitur. Ausim non sine ratione affirmare totam febrim ejusque diversitates unicè ab obstructionibus dependere, atque sic chylus; ut antea ostendimus, acescit & acorem contrahit.

Febres quotidianæ & tertianæ periculo vacant, nisi mutentur in quartanas, hinc cachexiæ, scorbutus, Hydrops &c. & tandem mors.

Synochus. Aliquando febres videntur esse continuæ, & dicuntur *Synochi*, quæ eundem etiam, ut intermittentes, servant typum: sed in eo tantum differunt, quod in continuis major sit materiæ febrilis copia, hinc paroxymi longius extenduntur; desinente enim priori febre, altera iterum hinc incipit, vel saltem intermissio non est longa: hinc resultant nomina *Febris Continuæ Quotidianæ*, *Tertianæ*, sed rarissimè *Quartanæ*, &c. Si sanguis levi tantum modo ab irâ, exercitiis, terrore, solis calore &c. alteratus fuerit, tunc sæpe unico febris absolvitur paroxysmo, quæ Græcis *Ephemera* & Latinis *Diaria* dicitur: quæ si ultra viginti quatuor horas continuetur, tunc *Synochus* vocatur *simplex*. Ephemera. Synochus simplex,

Hasce varia sæpe concomitantur Symptomata, ut supra relatum. Cum enim acidum in sanguine à lixiviosis alcalicis moderari nequeat, aliquando ita abundat, ut una cum succo intestinali per glandulosam intestinorum tunicam delabatur, unde *Diarrhœa* vel *Dysenteria*, hinc Febris dicitur *Cacatoria* à Sylvio, seu *Cathartica*. Vel si glandulæ hæ obstuctæ sint, *Alvus* oritur *Constipata*. Si laxæ fuerint glandulæ salivales, *Ptyalismus* febrim comitatur vel sequitur; sin vero obstructæ, *Aphthæ* producuntur. Si per ἐγκεφάλου partes solitò tardius sanguis circumducatur, ibi moram trahit, incalescit, vasaque ac membranas expandit, hinc CAPITIS DOLOR immanis, qui vix aut raro, nisi sublatâ febri, tollitur. Atque hæc sunt symptomata scorbutum quoque concomitantia. Quo symptomata graviora, eo minor spes affulget. Diarrhæa, dysenteris. Alvus confupata. Ptyalismus. Aphthæ.

Ex Observationibus Anatomicis constat in CEPHALALGIA meningem Phlegmone, Abscessu, Nodis, tuberculis ac Scirrhis obsideri, quæ non nisi ex vasis obstructis producuntur. Ingruente febri, non raro CARDIALGIA excitatur, quia propter frigus, totum corpus Rigore à motu convulsivo, uti & ventriculus tangitur: atque sic plurimum istius acidi succi in ventriculo colligitur, quod propter nimiam acrimoniam vehementer rodit, atque sic ventriculo dolor infertur: quâ ratione etiam NAUSEA producitur & VOMITUS. Nam in vomitu contrahuntur Pylori fibræ, deinde ventriculi, & materia contenta involuntariè in os revocatur: ast in nauseabundis stomachi tantum fibræ constringi videntur: de his vide Institutiones. Ex sanguine porro conturbato in cerebro quoque succus nervosus conturbatus deponitur. Hinc præcedentia, præsentia & futura menti non bene repræsentantur; hinc DELIRIUM ac PHRENITIS: & in hisce sæpe *Meningum* est *Inflammatio*, aut *Rosio*, ab humoribus ibidem stagnantibus, & corruptis. Si idem succus per cerebelli nervos tardè ac inordinatè distribuitur, Delirium tunc PARAPHRENITIS vocatur. Ex succo cerebrali deficiente, aut nimis viscido, nec in cere- Cardialgia. Nausea vomitus. Deliridm.

cerebro nec in cerebello mediocris ſucci iſtius quantitas ſegregatur ac ritè diſtribuitur: nam propter craſſitiem à ſanguine ſequeſtrari nequit, hinc iſtius ſucci penuria; ſed quod adhuc minori copiâ ſegregatur, ſæpe inordinatè & ἀνομάλως, propter particulas heterogeneas, diſtribuitur, hinc, diximus *Deliria*, & *Incongruæ dictiones*. PHRENETICI non raro *floccos quærunt*, ut & LETHARGICI, quod ideo fit, quia ſuccus nervoſus ſteriliter admodum mittitur, hoc eſt nunc parum nervos opticos perluſtrat, nunc vero deſinit: hinc color varius, qui illis imaginationem rei (ſive flocci ſive animalculorum aut alterius quippiam) præbet. Si porro huic ſucco acidæ ac pungentes particulæ adhæreſcant, convulſiones oriuntur, quæ nonnunquam mortem inſtantem prænunciant, quia ſanguis à curſu ſuo jam jam eſt deſiturus. Paraphrenitis. Phrenitis.

Hiſce conveniet ANGINAM, *Laterisque dolorem* annectere, qui morbi ſemper per ſe non exiſtunt, ſed febribus originem debent: Quando nempe ſanguinis tenuiores latices per gulæ glandulas (nempe tonſillas, eaſque quæ circa fauces & laryngem inveniuntur) permeare propter craſſitiem nequeunt, in iiſdem hærent ac moram trahunt, deinde coagulantur ac dictis glandulis tumorem ac inflammationem inferunt, de quibus poſtea latius acturus) atque ſic faucium tandem anguſtiam conſtituunt. Angina.

Ex eodem quoque proſilit fonte PLEURITIS ſeu LATERIS DOLOR PUNCTORIUS dictus. In ea olim fuerunt Antiqui opinione *Pleuritidem* eſſe Pleuræ membranæ vel intercoſtalium muſculorum inflammationem; ſed quomodo ſeſe ab hoc nodo expedient neſcio, cum contrarium ex cadaverum inſpectione, ut plurimum liquet, Teſtibus *Riverio*, *Platero*, *Sennerto* & ex magis recentioribus H. *Regio*, libro Inſtitutionum ſecundo, ubi dicit, *Pleuritis oritur non tantum à pleuræ, & muſculorum intercoſtalium, ſed etiam ab alicujus partis pulmonum exterioris inflammatione, uti docet ſectio plurimorum pleuriticorum, hoc morbo extinctorum, in quibus pulmones affecti inveniuntur, pleura ſæpe integra.* Atque hæc ſunt *Regii* verba. Non poſſum concipere, quare ſola pleura afficeretur; idque in latere ut plurimum dextro; quamvis non negem in pleura poſſe fieri inflammationem aut dolorem, abſit hoc, ibidem enim loci, ut & in aliis partibus accidentaliter quoque oboriri poteſt, ſed tunc, meo judicio, non eſſet ſymptoma, quod *Vera* vocatur *Pleuritis*, ſed potius *Spuria*, eadem ferè ſymptomata mentiens. Magna etiam puris extravaſatio in Empyemate, vetat Lateris tantum & non pulmonis eſſe inflammationem: neque eſſet morbus tantæ aleæ ſi ſola pleura eſſet inflammata. Pleuritis.

Facile itaque divinarem Pulmones hoc modo inflammari: unicam itaque cauſam de potu frigido, corpore exiſtente calido, adducam, nempe quando potus iſte algidus per venas lacteas, ductumque thoracicum magnâ copiâ aſcendit, ac mediante vena ſubclavia per cordis dextrum Thalamum pulmonem in dextro latere infunditur, tunc ſanguis à ſuperioribus & inferioribus regrediens à potu frigido admixto coaleſcit. Ferè eodem modo ac quando primum è venâ eſt miſſus. His ſuppoſitis, ſanguis coagulatus in pulmonibus moratur, & ab adveniente ſanguine premitur, ac preſſus vaſcula proxima premuntur, atque ſic tenuiores membranarum ac lymphaticorum vaſculorum (ex quibus pro parte pulmonum ſubſtantia conſtat) ſucci, vaſcula minima pertranſire non poſ-

possunt, hinc ob extensionem *dolor*, & ob partes sensibiles *punctorius*. Succi illi tandem, ritu inflammationum, incalescentes, inflammationem constituunt, quâ ad maturitatem perductâ, pus tussiendo ejicitur: Læsis pulmonum organis, vitiatur quoque respiratio. Quod pleura simul cum pulmonibus inflammetur, fit propter partium sæpe connexionem; raro enim Pleuritis existit, ubi & pleura & pulmones simul non afficiantur: sed si interiorem pulmonum partem occupat, PERIPNEUMONIA appellatur & dolor tunc gravis est.

Ex his PLEUROPNEUMONIÆ variis quasi speciebus, cæteris paribus, levissima omnium est *Pleuritis*, etiamsi interdum pulsum intermittentem habere videatur, quod in eâ minus periculosum est. Vehementior autem & periculosior est *Peripneumonia*, adhuc periculosior *Diaphragmatis inflammatio*, quæ acutissimus morbus est, atque ægrum citò in summum discrimen deducit & sæpe jugulat; sicuti etiam *Mediastini inflammatio* periculosior est pleuritide.

Quod si absque interitu ægri hæ *pleuropneumoniæ* finiantur, terminantur vel *discussione* & *resolutione*, quæ fit *per se*, vel *Medicamentis*. Vel copiosâ *sputi excretione*. Vel, inflammationis *suppuratione*, ac in *empyema* transmutatione. Vel raro ac singulari metastasi, verbi gratia, nunc ad phrenitidem, nunc in singulares morbos articulares, nunc in ulcera tibiarum, &c.

Si terminantur resolutione, vel *per sudores*, vel *Hæmorrhagias*, vel aliis modis, imprimis observandum, num resolutio ex succorum prædispositione fiat, quæ, si possit, potius prævenienda. Per Hæmorrhagiam septimo die pleuritis quandoque solvitur & pleuritis in peripneumoniam conversa per fluxum mensium sanata. Pleuriticæ mulieres per sanguinis mictum curatæ & pleuritis magna in gravida, post partum ob uteri exinanitionem curata. Diarrhœa pleuropneumoniæ quandoque solvuntur. Desperata pleuritis per alvi fluxum curata: diarrhœa, quamvis sæpe salutaris, tamen mala esse potest. Porro in pleuropneumoniâ, si sputum statim appareat in initio, intra diem tertium scilicet, indicat brevem morbum; sin vero serius, longum. Qui pleuritide laborant, nisi intra quatuordecim dies repurgentur, iis in empyema fit mutatio. Qui vero ex pleuritide Empyici fiunt, si in quadraginta dielus repurgentur, à die qua ruptio facta est, liberantur, alioquin in tabem seu phthisin transeunt. Nempe pleuritis maxima ex parte die decimo quarto terminatur, aut saltem vigesimo, & quidem si æger quarto die exspuat album, leve, æquale, ter vel quater tussiendo, in septimo terminabitur. Si in septimo tale sputum primario appareat, concurrentibus aliis signis bonis, morbus ultra decimum quartum non extenditur. Periculosum signum est, si in pleuritide pulsus perdurus, frequentissimus est.

Paria de *Peripneumonia* quoque dicenda. In specie sputorum magis, quam urinarum habenda est ratio. Ut ut enim urinæ & coctæ, sin tamen sputa sint mala, periculosum; & contra, etiam si urinæ sint malæ, sputa verò bona, melius. Quibus anginæ in peripneumoniam fit conversio, intra septem dies moriuntur; sin hos effugiant, purulenti evadunt: Sicuti contra quam miræ subindè sint peripneumoniæ metastases plus minus faustæ. *Vomitus* biliosus & copiosus in principio pleuritidis

dis salutem prænunciat. Pleuritici dolore levati, facie tristi facta, oculisque perturbatis, signum est metastaseos pleureseos in cerebrum, casusque ut plurimum lethalis. *Pleuritis* molliter incipiens & usque ad quintum sic procedens diem, sexto vero exacerbata, interdum est lethalis, interdum difficilis. *Delirium*, quod in *pleuritide* observatur, aut fortem sequitur pleuritidem, aut si non sequitur fortem, negligatur, tanquam ordinarium symptoma. Si vero delirium sequatur mitiorem pleuritidem, mitiorem dolorem thoracis & per intervalla infestantem de Metastasi ejus in caput est metuendum. Aliquando in pleuriticis urinæ sunt malæ, cum sputis bonis & liberantur; nam in his morbis ex sputis magis indicium quam ex urinis sumitur. Si quidem sputi conditio signa propria coctionis hujus morbi suggerit, unde pro hujus conditione magna pars *prognoseos* instituenda est.

Sic etiam in FEBRIBUS quibusdam MALIGNIS dictis, sanguis sæpe adeo coagulatur, ut pulmones subire nequeat, oritur sanguinis subsistentia, Dolor, Respiratio difficilis, aliaque symptomata apparent. Peripneumonia.

PESTES cum vel sine febri, item FEBRES PESTILENTIALES ac MALIGNÆ, omnesque quæ sub hoc titulo veniunt, à venenoso ac deleterio acido volatili gignuntur, cujus ope sanguinis pori figurâ mutantur; quâ mutatione non exigua alteratio, hoc est particularum loco mutatio succis ac sanguini inducitur. Cum pestes grassanäur, äer veneno quopiam contaminatur, idque ex ruptis montibus, cryptisve subterraneis, hinc halitus Arsenicales, Merculiales aut summè acres aut acidi prorumpunt, quibus ab humano genere inspiratis, sanguis aliique succi contaminantur, coagulantur & tardius circum aguntur. Hoc est particulæ acidæ quæ aërem implebant, conjungebantur inspirando cum acidis, quæ sangnini & chylo insunt, idque propter figurarum, motuum ac partium similitudinem; hinc alcali contentum minori copiâ existens, impeditur, ne motus particularum intestinus (à quibusdam *Fermentatio* dictus) ritè continuetur, unde secessio ac turbata particularum mixtio: sic eodem ferè modo, ut in lacte quædam particulæ magis ad invicem premuntur ac cojunguntur, sic ab aliis tenuioribus secedunt, atque hoc ritu constituitur lactis simul ac sanguinis coagulatio, cui febrium causam adscribo. Hinc pro particularum varietate, sive ex mineris supra dictis, sive ex putrefactione (cujus particulæ fermentescentes, sanguinem nostrum, corruptionem per se facile subeuntem, à κράσει suâ nil invertunt, ac etiam ad putrefactionem disponunt) aut alias ortis, Pestis quoque varietas constituitur, quæ pro diversitate corruptionis, etiam diversa symptomata producit. Pestes Febres Pestilentiales & malignæ.

In Guineâ & aliis quibusdam Africæ provinciis post imbres, qui sole in Zenith imminente à mediâ nocte ad meridiem usque perpetuo decidunt, incolæ aliquandiu à venenatis vaporibus quos terra post pluvias exhalat, graviter metuentes domi se continent. In Ægypto etiam, quæ singulari privilegio, constantiori, quam aliæ terræ, serenitate fruitur, si nebula in pluviam solvatur, dicitur corporibus, in quotquot decidit ulcuscula molesta infligere.

Porro sanguis hoc modo constitutus, sive à frigore aliave de causâ subitò constipatus, non statim in febrim erumpit, quamvis antea insidias struebat hostis, clamque in sanguine latebat. Sin vero jungatur Febris, ea ex sanguinis

guinis constipatione, à veneno nempe, oritur, primo cum frigore ac postea, ut supra de Remittentibus dictum, cum incalescentia. Sic & Febres Pestilentiales à Malignis gradibus tantum differre, certum est: quippe si symptomata solitò praviora ac maligniora febres concomitentur, ac exequiæ paucæ sint, FEBRES vocantur MALIGNÆ: ast si symptomata sæviora fuerint, ac funerum solitò major frequentia sub PESTILENTIALIUM FEBRIUM nomine censentur.

Consideranda hic porro veniunt quædam symptomata hisce morbis propria, ut sunt *Maculæ*, *Anthraces*, *Bubones*. Primum itaque locum tenent MACULÆ ac VIBICES, quæ nihil aliud sunt quam sanguis coagulatus, qui propter crassitiem in venas redire non potuit, ideoque in totâ cutis peripheriâ circa venarum oscula subsistit; maculasque pulicares rubedine circumfusas, exhibet. Atque hæc fiunt in FEBRIBUS dictis PETECHIALIBUS. Sed quare non suppurantur? quia est sanguis coagulatus, qui nunquam in pus mutatur, quemadmodum lympha & chylus, sed quamprimum extravasatus fuerit, tantum putrescit; vel si in superficie corporis substiterit, exsiccatur, maculas rubras aut lividas relinquit.

Febres Petechiales.

Si quando chyli particulæ coagulatæ hinc & inde in corporis ambitu sint dispersæ, pustulæ oriuntur cum suppuratione: Tunc enim Febris VARIOLARUM nomine venit. Si vero coagulatio fuerit levior, maculæ rubræ facile evanescunt (hoc est, continuo sanguinis circuitu materia extravasata vel absorbetur, vel per jugem diaphoresin expellitur) & non suppurantur, tuncque MORBILLI vocantur. Sunt nonnulli in opinione *Variolas* à fermento quodam uterino originem sortiri, sed quibus *Statica Medicina* non ignota est, aliud judicium ferent. Nempe si infantes hisce solum tangerentur, & minimè adulti & confecti ætate, aliquo modo esset concedendum; sed quomodo illud fermentum in senibus tamdiu delitesceret, cum ab ineunte ætate continuam diaphoresin habuerunt: itaque argumentatio illa falsa esse videtur, & cæteris erroribus annumeranda. Atque non omnes semel tantum Variolas patiuntur, sed novimus tertiâ quoque vice iis non tantum laborasse, sed & sextâ vice ab iis obiisse, quod rarissimum quidem & observatu dignum.

Variolæ & Morbilli.

Dixi in superioribus *Causam Pestis Proximam* sanguinem succosque habere coagulatos: his præsuppositis, facile intelligitur, eosdem uno tempore celerius, alio vero tardius circumagi: quidam item arteriarum rami nunc magis nunc minus (propter succi cerebralis inordinatam secretionem) contrahuntur: sanguis quoque corde statim emittendus, nunc magis nunc minus coagulatus est. Atque hæc tria eodem temporis momento simul concurrere possunt. Ex hisce itaque non difficile diduci potest, quomodo obstructiones circa arteriarum fines pariantur. Primo cum sanguinis massa tardius circumvehitur, minor pulsio fit, quare sanguis per minora arteriolarum vascula fluere nequit, unde sanguinis subsistentia.

Causa Pestis proxima.

Quando eodem tempore arteriæ debito modo non contrahuntur (quia è sanguine coagulato secerni succus nervosus vix potest) sanguis etiam ibidem loci stagnat: sic etiam, quando coagulatus sanguis è corde expulsus hanc aut illam arteriam obstruit, ANTHRACES seu CARBONES producuntur

Anthraces.

quæ

quæ nihil aliud sunt quam Gangrænæ & sphaceli; atque hoc modo fiunt, nempe cum sanguis coagulatus ibidem in aliquâ parte, ut diximus, stagnat, *acidum* illud *acre* seu *serum acre* à sanguine secedit, quemadmodum serum à lacte, hoc est, motu pristino circulari denegato, particulæ à subtili materiâ aliter disponuntur, atque sic aliæ magis aliæ vero minus à globulis æthereis premuntur. seri porro istius particulæ acres per se subsistentes à materiâ subtili adinstar culicum volantium gregis hinc & inde inter sese in partes circumjacentes & vicinas adiguntur: quippe acrium particularum figura est ensium instar anceps & pungens: atque sic mirum videri non debet; quod pars obsessa Sphacelo aut Gangrænâ corripiatur; pars enim affecta ita læsa est, ac si escharoticum fuisset impositum. *Anthrax* circum se habet sæpe plurimas pustulas acerrimas, quia non tantum unus arteriæ ramus, ubi Anthrax oritur, est obstructus, sed & ejus minores ramuli, atque hac de causâ minores quoque pustulæ producuntur. Aliquando novem numerantur, hinc vulgo **negen oogen** appellantur. Refert *Diemerbroek* sequens exemplum, in cadavere observatum:

Miles quatuor habens carbunculos, summa anxietate & inquietudine, cum magnâ virium dejectione, crebris deliquiis & vomitu violento, laborabat, quique nihil proficientibus antidotis animam efflavit. Cum chirurgo adjuncto de causa vomitus pestilentialis verba ferebantur; affirmabat ille, hunc vomitum plerumque induci à carbunculis in ventriculi tunicis enatis, idque se ab experientia scire, & aliquando cadaver peste cum vomitu emortuum ac jam refrigeratum dissecuisse, & in ventriculo à latere orificii superioris invenisse locum quendam longiusculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qui nigricabat instar carbunculi, quæ nigredo ventriculi tunicas transiens, æque foris, quam intus conspiciebatur. Carbunculi pestilentiales in ventriculo.

Post *Anthraces* ad BUBONUM genesin deveniendum: notum est illos in glandulis sub axillis, pone aures, in inguinibus &c. oboriri: deinde glandulas constare ex tenuibus arteriarum canaliculis variè inter sese contortis, nec non ex materiâ vesiculari conflatas. Deinde tempore malignitatis nostri sanguinis succos malè esse commixtos; hinc succi illi, qui per ejusmodi glandulas penetrare nequeunt, in iis manent ac obstructionem pariunt; particulæ acres tunc secedunt, ac dolorem inferunt, quia partem affectam continuo motu & agitione conscindunt, dissecant. Palpitatio, propter Arteriam compressam & convulsivam, etiam animadvertitur: postea ob materiam lentam & tenacem tardè ad suppurationem perveniunt. Bubones.

Hisce Phænomenis INCRUSTATIO quoque LABIORUM ac *Aphthæ* accedunt; idque sæpe in febribus, quæ tantæ non sunt malignitatis. Non raro in Febrium discessu Labia *Erysipelatis scabritie* incrustantur, quia post sanguinis & succorum restitutionem, glandulæ quædam salivales adhuc materiâ acri, rodente ac obstruente laborant, tunc sæpe linguâ labia, præsertim si adfuerit sitis, linguntur, & leviter inflammantur & incalescunt, pustulæ adveniunt, pus effundunt, eaque crustulis deformant: sed lactis cremore & cretâ aut cerussâ facile medentur. Labii incrustatio.

Propter sanguinem & salivam malè dispositam lingua & totum os crustâ obducitur albâ, quæ APHTHARUM nomine venit. Nam salivâ tenaci totum Aphthæ.

tum os & lingua non tantum incrustatur, sed & œsophagus, ventriculus imo & integer intestinorum tubus. Ob tenacitatem porro ductus salivales obstruuntur, qui ulterius à salivâ, quæ à tergo premit, extenduntur, atque sic deinceps vascula vicina tam sanguinea quam reliqua, atque sic albedo mutatur in rubedinem, & tandem in nigredinem, indicia gangrænæ & sphaceli (nostra lingua **de Bruine**) atque tale syptoma in Hungaria familiare est, ubi lingua aliquando ob sphacelum decidit, & vocatur *Prunella*. OEsophagum affici liquet ex deglutitione difficili; ita quoque obducitur interior laryngis, &c. pars, unde respirandi difficultas. Sic particulæ Aphtharum ex ventriculo & intestinis sæpe per alvum excernuntur.

Prunella.

Aphthæ albæ, flavæ, candidæ, fungosæ, molles, vel quando flocci instar videntur tumere præstant: sed pessimæ notæ sunt glabræ, viscidæ, subsidentes, compactæ. Habentur etiam rubræ & molles; ut & lividæ, virides & nigræ quæ omnium pessimæ. Aphthæ intra triduum advenientes, morbum prænunciant longum. Aphthis præsentibus, purgandum non est. De *Aphthis* ac *siti intolerabili*, consule Institutiones nostras hic de *curatione* breviter agam.

Curatio, cæteris medicamentis non neglectis, in eo consistit, ut sangnis ceterique humores, blando ac *volatili* quodam *alcali* in pristinum reducantur statum; Factâ igitur dissolutione humorum, Aphthæ ilicò depascuntur ac evanescunt. Atque hoc *decocto ex Scorzonerâ* & *cornu cervino* præstari potest, huic adde nonnihil *Salis prunellæ*, cum *Caphoræ* tantillo. Sudore enim leviter excitato, multum aciditatis chyli ex corpore expellitur, & pituita viscida blandè dissolvitur, præsertim si calidè sorbeatur. Lingua madefiat quoque continuò *vitellis ovorum* cum *sale prunellæ* & *Caphora*. *Succum* non præscribo *sempervivi*, neque *Syrupum violarum*, uti solent, quia plus nocent quam prosunt. Vino Gallico os aliquando eluatur; quod pituitam Aphtharum incidit, abradit: nam ab emollientibus sæpe non satis celeriter decidunt, ideoque particulæ majorum virium sunt adhibendæ, uti sunt in vinis Generosis. *Succo ex Pastinacis flavis* aut *Rapis coctis cum Sale prunellæ* & ficis, fauces & os eluantur, leniter enim leniunt, penetrant & incidunt. Cetaceo interim bacillo lingua abradatur, & suprascripto succo eluatur. Saliva masticando evocatur, si *Catechu* masticetur, hæc & ejusmodi solemus præscribere. Hisce quoque accedit *potus Theæ*, *Coffeæ*, *salviæ*, &c. quo nonnihil sitis tollitur aut saltem moderatur: lactis calidi usum non prohibeo.

Symtomatica febris. Phthisis. Hectica Febris.

Symptomaticam quoque Febrim hic non omittendam censeo, quippe ea non provenit nisi ex aliqua partium ostructione, sive sit in *Pulmonibus*, sive in *Hepate*, *Liene*, *Renibus*, aliisve in partibus. Pulmones si ulcus obsederit, tunc symptoma Phthisis appellatur, cui Febris adjungitur Hectica dicta; sin vero in aliis partibus, ut Mesenterio, Pancreate, Liene, Hepate ulceratis aut obstructis Latino nomine Tabes dici solet: sed differentiam non habent, nisi per viscus affectum, nam semper adesse solet Febris, sive tunc *Hectica*, *Lenta*, *Marasmus* &c. vocitetur, sive alias, nomen ad rem non facit. Porro ab ictu, vulnere, casu, propriè *Symptomatica* appellatur. Est tamen eadem febris, sive originem sumat ex vulnere, an ex ulcere, eodem redit: Hæc tamen differentia haberi potest, quod *Phthisis*

Tabes.

primum

primum ex ſanguinis malâ conſtitutione producta ſit, cujus molimine obſtructio in hac aut illæ parte oboritur; Hinc inflammatio & tandem ulcus, quibus Febris adjungi ſolet, Quare & *Hectica Febris* ut Plurimum vocatur, quia eſt in ἕξει ſive in habitu, nam omnia viſcera cæteræque partes etiam obſtruuntur & emarceſcunt. Aſt quæ propriè *Symptomatica* dicitur, non ex ſuccis aut ſanguine primo provenit, ſed caſu à rebus externis, ut dixi.

Perturbatam ſanguinis cæterorumque liquorum malam diatheſin, in ſuperioribus, cum de Febribus agebam, demonſtravi. Hiſce itaque præſuppoſitis, aliquando ſucci harum aut illarum particularum figurâ dotati, hos illosve ductus aut canaliculos penetrare nequeuntes, in partibus externis) ut poſtea dicturus) vel internis, ut in pulmonibus, aliisve viſceribus, obſtructiones pariunt, confirmatis ergo obſtructionibus, Inflammationes oriuntur, & deinde non raro ſuppurationes: ſi ulcera deinde aut obſtructiones diu perennent, ſanguis præterlabens quotidie afficitur; partim propter motum impeditum, partim propter particulas ſanguini non congeneres, eique ad miſcentes: motu porro ſanguinis propter obſtructiones impedito, hoc eſt, ſolitò tardius circumvecto, in parte læſa, quædam *Incaleſcentia* (Belgis Broeijing) *oritur*, atque ſic Febris tandem producitur. *Secundo*, ſanguis cæterique ſucci ab ejusmodi ulceribus particulas heterogeneas continuò accipientes, ab iis magnoperè perturbatur: Quippe integra ſanguinis maſſa tandem corrumpitur, & tunc ægri poſt excreta, prandium, cœnam, &c. incaleſcunt, hoc eſt, tunc temporis primo febrim ſentiunt, quia novæ materiæ acceſſu, ſanguis magis afficitur ac incaleſcit, nam ideo tunc in vaſculis minoribus major preſſio eſt, hinc im motu progreſſivo aliquantulum ſiſtitur; hinc quidquid alcalicum & acidum à ſubtili materiâ magis agitatur & invaleſcit. Poſt incaleſcentiam illam iterum ſenſim refrigerantur, & color faciei rubicundus evaneſcit, nam tunc acidum aliquantulum eſt domatum, & preſſio in vaſculis longè minor. Atque hæc FEBRIS appellatur LENTA, in qua ægri à longo tempore contabeſcunt. Eodem quoque ritu in Febribus ſymptomaticis ex inflammationibus externis aut internis ſe res habet.

Incaleſcentia febrilis.

Febris Lenta.

Satis ſuperque de cauſis Febrium proximis, ad CURAM adeamus INTERMITTENTIUM, gradibus ab invicem differentium. Succi acres, acidi ac lenti, qui ex acinis glanduloſis ſolent ex ſanguine elutriari, ἄνω vel κάτω expellendi ſunt: ſi in ventriculo hæreat ſaburra quod ex appetitu conſtat nimio, vel planè ceſſante, *vomitoriis* incedendum, & non raro hiſce medentur quartanæ, uti à longo tempore omnibus notum; vel ſi æger, ut ſolet, abhorreat *Emetica*, ex Purgantibus ſolatium quærat, idque pro viribus, ætate &c. fortibus. Hoc modo expellatur, omnis ſaburra. Poſtea; quoniam hoſtis ſemina necdum ſunt expulſa, ad *ſudorifera* deſcendendum, uti *ad acidum concentrantia*, *Volatilia oleoſa*, *amara diaphoreſin inſenſibilem procurantia*, &c. ſudoriferis agitatur ſanguinis pituita, ejuſque acidum domatur, & per diaphoreſin expellitur: ex ſudoriferorum claſſe præſcribantur ſequentia:

Recipe Cinnabaris nativæ;
Caphoræ, *ana grana ſex.*

Croci

Croci Brittannici, *ſcrupulum ſemis.*
Salis volatilis cornu cervi, *grana octo.*
Spiritus vini, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Hauſtus. vel,

Accipe Florum ſalis armoniaci,
Caphoræ, *ana grana ſex.*
Croci, *grana viginti.*
Bezoardici mineralis, *grana octo.*
Miſce fiat Pulvis. vel,

Sume Spiritus Cornu cervi, *guttas decem.*
Vini Juniperati, *uncias duas.*
Miſce pro Hauſtu. vel,

Contunde Piperis nigri,
Myrrhæ,
Caſtorei, *ana ſcrupulum unum.*
Caphoræ, *grana ſex.*
Opii præparati, *granum unum.*
Miſce fiat Pulvis.

Hæc & ſimilia præſcribi poſſunt, & ante paroxyſmum dari; quibus, repetitis vicibus, aſſumptis, ſanguis magis agitatur ac priſtinum motum recuperat; acidis enim particulis ſudore exhalatis, ultrò deſinit febris, nam pori aliter diſponuntur, & ſubtilis æther alio longè modo perfluit, atque ſic motus inteſtinus reſtituitur. Sudorifera ſuperius ſcripta partim acidum figunt, partim quod fixum & ferè coagulatum eſt, debito modo commovent. *Cinnabaris*, *Antimonium diaphoreticum*, *Bezoar minerale*, *ſal & ſpiritus cornu cervi*, ac ſimilia ejuſdem farinæ, alcali quoddam acido contrarium, ſic *Caphora*, *Crocus*, *Caſtoreum*, *Myrrha*, *Piper*, *Spiritus Vini* &c. particulas poſſident volatiles, quibus acidum obtunditur, & motus priſtinus diſſolvendo reſtituitur. Notandum ne mulierculis delicatulis nec junioribus admodum, ſpiritus vini propinetur, ſed cum ejus ſuccedaneo vino Hoglandico alterove gallicio medicamina miſceantur: conſuetudini tamen nonnihil concedendum.

Ab acidis ſæpe febres profligantur.

Dixi acidum peccare in febribus, cur ergo nonnulli acidis medentur? Habui enim cognatam *Anna Vink*, quæ immaturas uvas, ex quibus Omphacium premitur, edendo, febrim profligabat. Imo ab aceti potu, limoniorum commeſtione &c. Febres ſuperatas novi. Sciendum omnia acida non eſſe unius generis, quia acidorum particulæ motu, magnitudine, & figura multis modis ab invicem diſcrepant, ideoque ab his acidis ſi Chyli acidum ſeroſum, quod in ſanguine eſt, ſuperetur, motus ſanguinis inteſtinus, pori, ſubtils materiæ influxus, aëris preſſio, & diaphoreſis &c. multum immutantur; unde ſanguis ſæpe magis ſcorbuticus evaſit, & incaleſcentiis febrilibus ineptus.

Porro

Porro Maximum febrifugum est *Caphura*, constat enim ex sale volatili oleoso adeo ut sal quoddam volatile oleosum fit, quippe tota in auras avolat, ac facile ignem concipit. Probatur id quoquè Chymicâ ἐγχειρήσει, neque frigida est, ut olim putarunt, sed potius admodum calida, penetrat linguam ac nares maximè ferit: in ea arcana maximæ efficaciæ sunt.

Cortex peruvianus ex India occidentali huc allatus *kina kina* dictus inter *Antipyretica* maximi usus censetur, qui in pulvere aut infusione datus sæpissimè Paroxysmos abarcet, cujus vires in alcali quodam, in quantum ego divinor, consistere facile affirmarem; nam si tantâ copiâ non sit exhibita, quantum ad acidum subigendum, aut sanguinis poros mutandos requiritur, Paroxysmus unus aut alter pellitur duntaxat, sed postea febris est recidiva. Sic etiam isto *M. Kergeri* pulvere ex *Corallis* & *Tartari crystallis*, curavit (eodem teste) omnes febres indifferenter, idque infallibiliter. Eodem modo operantur omnia *Testacea* uti & *oculi cancri* cum *nitro*.

Porro ut sanguis diu sine recidivis in motu continuetur, Volatilia quædam usurpanda veniunt, ut *spiritus cornu cervi aromatis* impregnatus, *sal Volatile oleosum Sylvii*, vel *nostrum*, *Elixir volatile*; huc quoque pertinent summoperè quædam oleum & sal volatile possidentia: ut tincturæ & infusiones ex *Absinthio latifolio*, *Carduo benedicto*, *centaurio minori*, *Ligno colubrino*, *Baccis lauri*, &c. ex. gr. Remedia ne redeat Febris.

TINCTURA ANTIPYRETICA.

Recipe Cort. Peruviani,
Ligni Colubrini, *ana uncias duas.*
Salis Absinthii, *unciam semis.*
Spiritus vini Juniperati, *uncias viginti.*
Misce fiat Tinctura.
Dosis in adultis ad uncias duas.

ALIA TINCTURA ANTIPYRETICA.

Recipe Herbarum Absinthii vulgaris.
Cardui Benedicti,
Centaurii minoris, *ana Manipulum unum.*
Ligni Colubrini,
Baccarum Lauri, *ana uncias duas.*
Aloës Lucidæ, *unciam semis.*
Spiritus vini Juniperati, *libras tres*, aut *quatuor.*
Misce fiat Tinctura.

De quâ mane ac vesperi Unciæ duæ vel tres sumantur. Chylus hisce uti & sanguis admodum corrigitur. Vermes si adsint, aut pituita, addi quoque poest *Allium* & *semen santonici.*

Electuarium Nostrum Antifebrile, et Sudoriferum.

Sume Rad. Acori,
Angelicæ,
Ariſtolochiæ Rotundæ,
Fabaceæ,
Contrayervæ,
Galangæ,
Gentianæ,
Helenii,
Kinæ Kinæ,
Oſtrutii,
Valerianæ,
Pyrethri,
Zedoariæ,
Ligni Guajaci,
Saſſaphras,
Colubrini,
Sem. Aniſi,
Carui,
Angelicæ,
Fœniculi,
Leviſtici,
Dauci,
Santonici,
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Folior. Abſinthii latifolii,
Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Rutæ,
Scordii, *ana libram ſemis.*

Infundantur omnia in ſufficiente quantitate aquæ ferventis per diem unum aut alterum, deinde per aliquot horas coquantur. Colatum atque expreſſum per fæcum reſidentiam depuratum, evaporetur in conſiſtentiam ferè Electuarii, ſub finem addendo

Olei nucis Moſchatæ expreſſi,
Opii colati & in conſiſtentiam debitam evaporati,
Olei caphoræ, ex radicibus, nempe, arboris cinamomi deſtillati, *ana unciam unam.*
Spiritus tartari, *unciam ſemis.*

Salis

Salis tartari, *libram semis*

Syrupi baccarum Sambuci, *libras duas.*

Misce fiat secundum artem Electuarium.

Dosis ad drachmas duas vel tres cum vino calido ante paroxysmum. Plus mille hominum hoc Medicamento à febribus quibusvis intermittentibus restitui,

Loco julepi alicujus, ut solet, acidis, aut syrupis corrupti, bibendum curo *scorzoneræ decoctum* cum *cornu cervino*, uti & *Potum Theæ*, *Coffeæ*, *Origani Hispanici*, aut *Salviæ*, vel *Aquam* simpliciter *coctam* sorbendam jubeo, quibus in continuo sudore continentur, & febris in fugam pellitur. Vinum gallicum optimæ notæ in febribus non prohibeo, aquam si admisceas. Vulgaria enim julapia sunt quidem linguæ grata, & sapiunt palato, imo & sanguinem refrigerant: sed refrigerio hic opus non est, quia incalescentia potius suffocatur quam expellitur, ideoque plus nocent quam prosunt, nam diaphoresin prohibent; omnia refrigerantia, quia sanguinem cæterosque succos constipant, procurant primo ut acidum continuetur, deinde ut particulæ crassiores, ac quietiores non volatilisentur nec motum pristinum recuperent. Potius quoque acidis sitis augetur, *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

Propter acidum succedunt, quæ EPIDEMII MORBI dicuntur, autumnali præsertim tempore; unde alias originem haberent, nisi ex fructibus horariis, Ribesiis, cerasis, Uvis, Pomis, Pyris, Prunis, &c. acido scatentibus, quo sanguis præsertim instante hyeme ob frigoris adventum valde constipatur, adeo ut, propter causas supra allatas perfacile febres oriantur: sed hisce aër venenatus sæpe multum contribuit. Epidemii morbi.

Censuram quoque venarum tusio meretur: quippe, secundum nostram de Febribus hypothesin, in pluribus morbis ferè inutile erit medicamentum, quoniam sanguis incrassatus venæ sectione dissolvi non potest, neque motus, tempore sanitatis assuetus, recuperari. Porro in omni Febri vires conservari debent, quod sanguinis effusione fieri nequit. Fateor quidem aliquando febres post venæ sectionem fuisse sublatas; certè non inficias ibo, ac ipse olim ægris præscripsi; sed potius non venam secando, quia antipyreticis commodis sanguinis συσκράσια erat sublata ac materia peccans foras excreta. Verum post emissum sanguinem ægri facile recidivas patiuntur, vel totâ hyeme imbecilles sunt, & tanquam tabe confecti ac semi mortui, exsucci obambulant, flavo colore, macri, ac frigidi, nonnunquam quartanâ per annos laborant & sic deinceps. Citius quoque venâ non sectâ curantur, quam phlebotomo aperta. In magnis morbis, ut Peste, Febribus Pestilentialibus, Variolis, &c. cane pejus & angue venarum aperturæ vitantur: si ergo in ejusmodi morbis Phlebotomia inutilis Judicatur, quodnam igitur utilitatis in morbis gradu multò benignioribus procurabit? revera nihil. Ratio itaque ac experientia nobis suadent hanc operationem in curatione febrium totaliter esse eradicandam, quamvis antiquitus traditam. In quibusdam tamen casibus ad eam, tanquam ad sacram anchoram, concurrendum est. In gravi *Mania*, *Pleuriticis*. &c. *intolerabili dolore*, *prohibita circulatione* &c. optimum aliquando remedium existit. Maniacis enim furor defervescit: Pleuriticis vero dolor levatur, causa tamen non aufertur, & prohibita circulatio restituitur. Diximus in superioribus pleuriti- Venæ sectio in quibus prosit vel noceat.

ritidim esse in pulmonibus obstructionem, hinc liquet Phlebotomiæ ope, sanguinem nimis contra obstructionem prementem, nonnihil retardari, & sic pressio illa & membranarum expansio ægros non amplius molestat, & dolor tolerabilis evadit. In syncope vel Lipothymia, aliisve morbis, in quibus circulus sanguinis prohibetur, aperturâ venarum promovetur. Exemplum producam alicujus furis, qui postquam à carnifice ad patibulum suspensus erat, & quædam temporis momenta pependerat, pro mortuo habebatur. Chirurgus quidam adstans, datâ à Magistratu veniâ, furi jam denato, venam in crure tudit; quid fiebat? Mortuus judicatus iterum in vivis vocatus, promotâ tantum sanguinis circulatione: atque hoc mihi pro veritate relatum.

Epicarpia quid possint. Porro ejusdem quoque farinæ *Epicarpia* sunt, quæ à circumforaneis ac vetulis sæpe parantur, si constent ex volatilibus, ut *fuligine camini*, *Terebinthinâ*, *croco*, &c. præterfluentem sanguinem aliquantulum volatilisant, sed hoc parum æstimandum est, in tertianis febribus (quæ per se non diu affligunt) videntur aliquid efficere, sed in quartanis nihil prosunt, & oleum ac operam ludunt. Vocum quoque, ut ferunt recitationes nullam febrim tollunt, novi plurima exempla incassum adhibita, sed omnia illa flocci pendenda, quia in nullâ ratione consistunt, neque divina revelatio est.

In Febribus Remittentibus seu Synochis primo quoque sudandum, & si necesse sit iterandum, deinde pro potu, quod supra scripsi, dandum; & paucis diebus, crede mihi, absque julepis acidis ac venesectionibus curaberis, expertus loquor. Præter hæc etiam symptomata respicienda sunt, eodem modo ut suo loco egimus, nam de Aphthis, Diarrhæis, Vomitu, &c. sigillatim locuti sumus. Si alvus non responde at suppositorio ex melle & sale, aut enemate fæces induratas emolliente, &c. laxanda.

Antipleuritica. Pleuritici in continuo contineantur sudore. Ex. Gr.

Recipe Flor. salis armoniaci, *grana decem.*
Antimonii diaphoretici, *drachmam semis.*
Croci, *scrupulum unum.*
Succi stercoris equini, *unciam unam.*
Spiritus Juniperi, *quantum sufficit.*
Misce fiat Haustus.

Omnia stercora sale volatili pollentia, in ejusmodi affectibus summoperè prosunt. Habuit id quoque *Helmontius* olim inter secreta sua Antiplauritica. vel,

Recipe Succi Taraxici, *unciam unam.*
Caphoræ, *grana decem.*
Cinnabaris nativæ, *grana sex.*
Spir. Cornu cervi, *guttas sex.*
Anisi, *quantum sufficit.*
Misce fiat Haustus. vel

Recipe Oculi Cancri, *scrupulus duos.*
Salis volatilis cornu cervi, *grana sex.*

Be-

Bezoardici Mineralis,
Croci, *ana grana decem.*
Misce fiat pulvis. vel,

Recipe Vini Hispanici, *uncias viginti.*
Salis volatilis oleosi, *drachmas duas.*
Spermatis ceti, *scrupulum semis.*
Misce detur cochleatim. vel.

Recipe Sanguinis Hirci,
Oculorum Cancri, *ana drachmas duas.*
Croci, *drachmam unam.*
Cinnabaris nativæ, *scrupulum unum.*
Misce fiant pulveres *numero sex.*
Singulis bihoriis detur unus. vel,

Accipe Hordei mundati,
Seminis cannabini, *ana unciam unam.*
Stercoris Gallinæ,
Equi, *ana unciam semis.*
Coquantur ex aquâ ad uncias viginti. Colaturæ adde
Salis volatilis oleosi, *drachmas duas.*
Misce fiat potio. vel

Recipe Olei seminis lini, *uncias quatuor.*
Caphoræ, *scrupulum unum.*
Misce. vel,

Accipe Tinct. Papaveris erratici, *unciam unam.*
Croci, *scrupulum semis.*
Spiritus Cornu cervi, *guttas duodecim.*
Misce.

Proficuum etiam erit ut bibat *Decoctum scorzoneræ* ac *Cornu cervi* cum *papavere Erratico* & *Cannabis semine.* Vel *Tincturam Theæ* aut *Coffeæ*: aut *Chinæ* & *Salsæ parillæ decocta*, quæ multum sunt æstimanda. Notandum ut omnia, quæ æger bibit, calidè assumantur, ne morbus exasperetur: nihil enim nocentius in his morbis, quam frigidus potus, nam coctionem impedit, excretionem remoratur, tussim exacerbat, inflammationem intendit & lædendo pulmones, respirationem difficiliorem facit, quæ omnia in calido potu contraria modo se habent. Supra pectus aut locum dolore affectum *arenam calidam* imponito. Illinatur linimentis ex *Oleo Maceris.* Vel Cataplasma fiat aut Fotus ex *Phellandrio, Ruta, Tabaco, Roremarino* & *Spiritu vini*: materia enim impacta attenuari ac dissolvi debet. In continuo sudore æger contineatur, alias sæpe expectata esset frustratus. Vel fiat Emplastrum *ex unguento althææ, oleo Macis expresso, emplastro de mucagine*, &c.

Quid in dolore, pleuritico faciendum.

Dolores interim admodum pungentes *opio præparato* ſedandi, cui volatilia aut mitiora quædam acidum temperantia & diſſolventia ſunt admiſcenda. ut,

Recipe Salis volatilis oleoſi, *guttas viginti.*
Elixiris volatilis, *uncias duas.*
Opii præp. *grana tria.*
Vini Hiſpanici, *uncias tres.*
Miſce detur cochleatim. vel,

Accipe Dentis Apri,
Mandibulæ lucii, *ana drachmam ſemis.*
Caphoræ, *grana ſex.*
Opii præp. *grana duo.*
Spiritus cornu cervi, *guttas duodecim.*
Vini Hiſpanici, *uncias tres* aut *quatuor.*
Miſce.

Quid in pleuritide de veneſectione cenſendum.

Non opus eſt ſtatim venam aperire, ignorantiæ aſylum & plurimorum confugium: nam emiſſo ſanguine aliquando quidem levatur dolor, aſt paulo poſt multò ſæpe vehementius redit, adeò ut priorem venæſectionem reiterare cogantur, illaque tam ſæpius repetitur, donec ægro & ſanguis & anima effluxerit, ac ipſe eſſe deſiit, quod ſæpenumero contingit. Cauſa quare dolor poſt phlebotomiam mitigatur, hæc eſt: quia ſanguis præterfluens tunc temporis tumorem minori vi premit, hinc membranæ quoque minus extenduntur, quam antea: ſed poſtea particulis balſamicis ac alcalicis unà cum calore è ſanguine exhauſtis, reliquus liquor ſtatim vappeſcere & aceſcere incipit, partemque læſam magis afficit, quare dolor majori crudelitate ſævire incipit. Si enim hac methodo curetur æger, admodum tardè reſtituitur, vel in *Empyema* incidit: ideoque non niſi tardiſſimè ad veneſectionem deſcendendum, Pure facto, quod ex ſputo cognoſcimus & intra pleuram & coſtas collecto, ibi tanquam in ſacco ſæpe colligitur, ſi ejus itaque certiſſimus, apertio inter duas coſtas eſt molienda, præſertim ſi emplaſtris emollientibus verſus exteriora pus allici nequeat, huic alias conveniret decoctum vel emplaſtrum ex tabaco applicatum. Vomitus ad puris vomicam rumpendam, convenit, & tunc pus in thoracis cavitate colligitur. De *Empyematis curatione* hic nihil dicam, quia ea materia in *Chirurgia* poſtea tractabitur. Alvus ſi non reſpondeat *ſuppoſitoriis* aut *enemate* ſollicitari oportet.

Peripneumonia.

Quoad PERIPNEUMONIAM. ea curari debet ut *Pleuritis*. Ea eſt inflammatio in parte pulmonum interiore, cum celeri ac difficili reſpiratione, tuſſi, dolore gravativo, & febri continuâ. Eadem eſt cauſa ac in Pleuritide, ſed locus tantum eſt diverſus. Pleuritide Periculoſior eſt. Screatum in principio flavum, cum pauco ſanguine, ſigna bona Si ſcreatus non appareat cum vigiliis, delirio, vel alto ſopore, cum extremitatum frigore, ſtertore, difficultate reſpirandi, unguibus lividis ac incurvatis, ſigna ſunt lethalia. Non raro in *Empyema* tranſit.

Quia

Quia *Pleuritis* & ANGINA non nisi gradibus differunt, de ejus *prognosi* & *curatione* Methodum dicam. *Causam* alibi diximus. Atque hæ imflammationes vel per se evanescunt, vel discutiuntur, vel suppurantur, & tunc facile ulcera manent diuturna, quæ non facile curantur; vel terminantur suffocatione & morte. Si in Angina inflammatio vix conspici queat, malum omen & signum est asperam arteriam quoque obsideri. Si inflammatio sit in glandulis aut musculis internis majus periculum imminet, quam in externis: si screatus fuerit tenax, crassus ac paucâ quantitate; vel cum spumâ circa os; inflammatio subitò evanescit, si os fœteat, faucium adsit angustia, Lethalia signa sunt.

Itaque obstructio solvenda est, medicamentorum penetrantium adhibitione, ut tumor dispareat; si non, maturantia sunt adhibenda: interim symptomata non sunt negligenda. Prudenter purgationem institues, præsertim si alvus fuerit astricta. Si necessitas exigat, vena tundatur, ne sanguis vehementer in partem inflammatam ruat; sed ipsam causam non tollit; obstructio enim semper est in canaliculis arteriarum angustissimis, & nunquam in venis, hinc repelli non potest.

Vesicatoria propter sal volatile penetrans etiam non nocebunt.

Gargarismata constent oportet ex subtilibus & penetrantibus, ut materia incrassata, fluori restituatur, & si solvi non possit, ad maturitatem reduci debet; quod sæpe per se fit. Colluat fauces sequenti Gargarismate.

Recipe Aquæ coctæ, *uncias duodecim.*
Spiritus vini, *uncias quatuor.*
Salis armoniaci, *guttas viginti.*
Caphoræ, *drachmam unam.*
Misce fiat Gargarisma. vel,

Sume Herb. Hyssopi,
Salviæ,
Malvæ,
Hederæ terrestris, *ana Manipulum unum.*
Ficuum pinguium, *Numero sex.*
Florum sambuci, *manipulum unum.*
Albi Græci, *drachmam unam & semis.*
Sem. sinapi, *unciam unam.*
Coquantur ex Aquâ ad uncias viginti, colaturæ adde
Tincturæ assæ fœtidæ, *guttas sex.*
Misce fiat gargarisma.
Solum sinapi decoctum sufficit pro gargarismate.

Collo applica *Emplastrum de mucilagine* cum *Theriacâ.* Aut Cataplasma ex *nidis Hirundinum*, vel ejus loco *Hirundinum stercora* cum *Radicibus Althææ* aut *Brioniæ*, quibus adde *Herbas Parietariæ*, *Malvæ*; *Sulphur*, *Butyrum recens*, *Oleum Menthæ*, &c. vel ex *Rapis*, *Cæpis*, *Liliorum capitibus*, *albo*

græco,

græco, *Ficis*, *semine Fœnigræci*, *Lini*, *croco*, &c. vel ex *Tabaco*, *Farinâ seminis Lini* & *Caphora*, Cataplasma fiat admodum penetrans. Atque ne cataplasmata frigida fiant, ut solet, sacculo arenâ calidâ impleto, noctu foveri potest. Si circa fauces alba macula appareat, ea aperienda, & cavendum, ne in Asperam arteriam pus destillet, deinde ulcus sequenti Gargarismate detergendum; ut.

Recipe Aristolochiæ longæ,
Iridis Florentinæ, *ana unciam semis.*
Fol. scabiosæ,
Agrimoniæ, *ana Manipulum unum.*
Nucum cupressi, *Drachmam unam.*
Flor. rosarum rubrarum, *Manipulum semissem.*
Myrrhæ, *Drachmam unam.*
Coquantur ex Aquâ ad uncias quindecim,
Colaturæ adde.
Mellis albi, *unciam unam.*
Misce fiat Gargarisma.

Si Omnia porro non succedant, & ægri suffocari minentur: *Laryngotomia* institui debet, atque sic cannulâ argenteâ aër est trahendus. Sorbilia quædam nutritia, mediante siphone in œsophagum immittantur: uti & purgantia dissoluta, post cujus usum ægri non raro levamen sentiunt.

Hic loci hirundinum nidi præscribuntur, sed ex iis nihil video, quod aliquid emolumenti adferre possit. Nidi enim non ædificantur ex stercore, sed ex fœno, pilis, plumis & gleba, unde ergo vires? ex gleba? ergo gleba erit contra anginam. Qui versatur circa hirundinum nidos, observabit eas excrementa extra nidum deponere, quod sensit in veteri Instrumento Daniel, cui stercora in oculos deciderant. Brevi, à nidis non expectandum, quod ab iis vulgo receptum est.

Variolæ. Quoad VARIOLARUM curam, in iis vitandum est frigus, sed calore corpus foveri oportet, alias prohiberetur diaphoresis requisita, & *Variolæ* non efflorescerent, atque sic materia morbifica sanguinem magis contaminaret. Itaque sudoriferis diaphoresis est procuranda. Ex. gratia.

Recipe Croci, *grana quinque.*
Rad. Contrajervæ, *scrupulum unum.*
Misce fiat Pulvis.

Recipe Croci, *grana sex.*
Bezoardici Mineralis, *grana tria.*
Misce fiat pulvis.

Hæc & similia usui venire possunt, ut leviter continuo transpirent. Ovium scybala in sacculo suspendi possunt in cerevisiâ, ut sit pro potu: vel ejus loco de-

decoctio fiat, ex *Scorzonerâ* & *Rasurâ cornu cervi* : Et si ægri desiderent Theam aut Coffeam, ad sudorem usque sorbeant. Variolæ maturæ acu sunt aperiendæ, ne acris materia cutim nimis lituris corrumpat. *Oleo* quoque *Amygdalorum dulcium* illinuntur, vel cerevisiâ irrigantur in qua ficus fuerunt cocti. Oculi læsi à catulo lingantur : sic pro collyrio sumunt lac muliebre crocatum : & si dolor adsit, nonnihil opii additur. Fauces si læsæ sint sumant pro gargarismate succum ex rapis coctum, vel cerevisiam ficuum dulcedine imbutam.

Venæsectione hic opus non est, quia emisso sanguine corpus infrigidatur, & per consequens diaphoresis inhibetur. Et si alvus minus respondeat, non purgantibus ἄνω, sed enemate laxante κάτω stercora emulgenda. E contra in Indiâ orientali, in locis nempe calidissimis, se refrigerant fluviis immergendo, ne corporis perspirato nimia fiat : quod & in aliis morbis fieri mihi relatum.

Quinquagenarius ab annis tribus laboraverat pleuritide, incidit postea in tussiculam, cum flatibus; ac viscida sæpe sed nunquam pus aut sanguinem exspuebat. Supra diaphragma, admota aure materia fluctuans audiebatur. Omnibus remediis frustra applicatis, inter quartam & quintam vertebram cauterio aperta via est. Multum crudi puris effluxit, sed quinque post dies mundo cessit. Pleuritidis observatio anatomica.

POst cadaveris dissectionem pulmones quasi exucci & scirrhosi : membrana pulmones & costas succingens syderata pro parte erat.

In superioribus docui pleuritidem non tam pleuram quam ipsos pulmones posse invadere. Rationesque addidi, ita in hoc cadavere nullum in laterali membrana stigma inveniebatur, sed pulmones affecti erant.

Inflammatio tunc temporis fuit in eo pulmonis loco, quo pus factum vix per bronchia & laryngem exspui poterat : ideoque post pleuritidem, materia necdum excreta acescebat, membranasque pulmonum systema constituentes aciditate suâ ad motus convulsivos irritavit, unde Tussis. Nam *tussis* nihil aliud *est* quam *vehemens pectoris & pulmonum efflatio, qua id, quod spirandi instrumentis est molestum, vi aëris expellitur.* Atqui iste motus non aliunde oritur quam à convulsione.

Non difficile tunc conceptu erit, quomodo pus copiose sensim aggestum, tandem in diaphragma eruperit : imo quare postea toti pulmones cum membrana pleura siderati sint : omnes etiam glandulæ quas pulmones continent, tandem à pure & humoribus viscosis obstructionem passæ sunt, hinc eorum ariditas ac scirrhosa facies : cum enim succi glandulas amplius permeare non possunt, in scirrhum incidunt, & per consequens sicciores fiunt.

Dissectio Phrenitici.

Quidam de cephalalgia per biennium questus est, tandem in phrenitidem & convulsiones incidens, obiit.

ABlato cranio, meninx exterior variis in locis foraminibus erat pertusa, quibus sanguis coagulatus & valde fœtens profluebat. Vasa sanguinea meninges perreptantia, sanguine concreto quoque turgida. In cerebello abscessus, humore subcitrino colore turgidus.

Febricitantis Anatome.

Quidam à longo tempore febri afflictus, cum dolore in dextro Hypochondrio & respiratione sæla, lumina clausit vitæ.

Ingens erat jecori abscessus; hinc & vena cava ascendens pure repleta.

Post lentam Febrim Anatome.

Ex febri lenta & respirandi difficultate, cum deliriis, quidam vitam amisit.

PUlmones lividi & exucci. Lien plumbei coloris. Inferior Vesicæ paries & intestina hinc & inde inflammata. Scirrhum incidunt, & per consequens sicciores fiunt.

Nihil puris aut cruentæ materiæ exspuit, quia, ut statim dixi, se ob longam à trachea distantiam in fistulas respiratorias exonerare nequivit. Quod interim flatulentus fuit, mirum non est, cum omnes pituitosi à quavis occasione inflantur: aër enim inspiratus, vel alio quovis modo intus in corpore tractus, si visciditatibus inhæreat, non tam facile extricatur, quam si, succis haud tenacibus esset permixtus: aër quippe aqua purâ conclusus diciliffius bullas excitat quam si sapo admixtus fuisset.

Pleuritidis & Empyematis Anatome.

Incidit quidam in pleuritidem, ac tandem in Empyema.

CAdavere dissecto, musculi intercostales ac pleura apostemate erant affecti; pus acrius factum & pulmones sphacelo affecit, ac diaphragma corrodit, & foramine in dextro ejus latere excitato, inter viscera imi ventris perfundebatur, quo ventriculi ac intestinorum tunicæ exteriores corrosæ & discolores inveniebantur; tandem intestinum rectum corrodendo perforans, pus una cum excrementis per anum foras eliminabatur.

In superioribus demonstravi & ratione, & illustrium virorum experientiâ, morbum lateralem ἐπὶ τὸ πολὺ pulmones pati: procul omni dubio quin etiam in hoc ægro pulmones inflammatione & deinde abscessu correpti fuerint. Ita & musculi intercostales una cum pleura ob viciniam facile infici potuerunt. Pus deinde pulmonibus effluens, acrius evasit, & corrodendo ipsum diaphragma perterebravit, unde in abdomen effluxit; atque sic non tantum intestina sphacelo corripuit, sed & anum ipsum perforavit.

Memini me olim vocatum Leovardiæ fuisse à nobili matronâ, cui pus etiam per

per foramen ano corrosione illatum effluxit. Laborabat enim antea matricis abscessu, ex quo pus per intestina spargebatur. Post mortem renuerunt liberi ne aperiretur, cum ipsa idàme viva adhuc, serio postulaverat.

Advocatus longo tempore sæpe sanguinolenta deinde purulenta exspuit; queritur de magno dextri lateris dolore: tandem è vivis excessit.

Libuit post mortem pulmones indagare. Utrinque costis firmiter non tantum adnati, sed & inferius diaphragmati. In latere dextro fragmenta quædam bronchiorum cum pulmonum membranosa substantia erant avulsa & putrida: pus cruentum copiosum. Vox clangosa fuit. Altera observatio.

A sanguinus sputo puris sputum, malum. Atque hoc in nostro Causarum patrono manifestum; ab incunabilis ei pulmones diaphrahmati connexos fuisse, facile fidem meretur.

A quavis occasione, idque à longo tempore, fortè nimio corporis motu aut alias, sanguis, quam potuit, celeriter per pulmones ruebat, unde vasorum pulmones perreptantium ῥῆξις, sanguinisque effusio. Cujus putredine adjacentes partes corruptæ, imo & tracheæ ramulus unus aut alter qua via materia sanguinolenta extussiri debuit. Interim cum plaga in principio neglecta fuit, tandem & purulenta ejecit; quia vascula lymphatica à sanguinis effusi compressione, obstructa, lympham effundebant, quæ post aliquot temporis moram, in pus versa est.

Haud mirum, eum de dextri lateris dolore conqueri, cum ob diaphragmatis & pulmonum connexionem respiratio libera ei denegata fuit, nam respirando membrana connectens, jugi fibrarum elongatione, læsa fuit.

Porro cum pulmones perforati sint, aut alio modo læsi, vox ipsa vitiatur, hinc clangosa facta est. Pro varia enim pulmonis & laryngis dispositione, etiam vocum efflatio mutatur, quod unicuique obvium.

Undequinquaginta annos natus vir, ut dicitur, melancholicus, & Hypochondriacus: per aliquot annos de dolore sinistri Hypochondrii vexatus, incidit, post prægressam fluxus Hæmorrhoidalis suppressionem in sanguinis sputum, singulis tribus mensibus repetens. Ast tertio rediens animam evomuit cum sanguine.

Lien non tantum magnus, sed & lividus & flaccidus. Vasa mesenterii & omenti atro sanguine turgebant, & varicosa videbantur. Ren sinister solitò flaccidior & magnitudine inferior dextro: dexter vero in parte superiore extrorsum vesiculam ad magnitudinem pilæ lusoriæ, latice subflavescente turgidam habuit. Post sanguinis sputum & anatome.

Pulmones sanguine nigro referti, ac inflati.

Quorum cruor aciditatibus abundat, inspissato sanguine gaudent; non quod sanguis ad saporem usque acidus sit, sed cujus particulæ salinæ & volatiles, instar

salis armoniaci sint, quod in officinis vulgo venditur: illud quippe constat quidem ex particulis volatilibus, verum ab acidis particulis ita domatum, ut vix sui juris sit, nisi addantur aliæ quædam particulæ plane alcalicæ, tunc acidum domatur, & quod volatile erat, jus pristinum, in statu volatilitatis existens, possidet.

Ad eandem planè normam res se habet in ægro nostro, cujus sanguis ita est inspissatus, ut inde obstructiones patiatur. Revera quantum acida nocent, norunt ii, qui acetariis quotidie vescuntur, vel in morbos vagos, vel chronicos, cum adoleverint, incidunt; nisi exercitiis inutile acidum (rustici enim, præsertim in Frisia, seroso lacte, nec non sero acido multâ copiâ utuntur) per diaphoreseos vias evaporare cogant: Verum desides ac studiis continuis dediti, nullo exercitio corpus suum & sanguinem commoventes, non multum transpirant, acidumque in sanguine servant, & hinc, proh dolor! illæ lacrymæ.

Sanguis ita inspissatus & in liene à particulis tenuibus (lien enim multum lymphæ à sanguine segregat, inque chyli cisternam ablegat) liberatus, magis densatur, adeo ut ipse lien obstruatur, hinc Hypochondriaca passio, sive lienis intumescentia. Ob eandem causam sanguis per arterias Hæmorrhoidales in venas ejusdem nominis transire impotens, partes ani distendit, & aneurismata concitat, quibus ruptis, sanguis effluens *fluxus Hæmorrhoidalis* dicitur. Sæpe tamen varices eodemque in loco concitantur, sed hoc plerumque fit, à prægressâ alvi constipatione, qua sanguinis regressus impeditur, ita ut venæ magnopere distendantur, tandemque rumpantur.

Incidit quoque æger noster in *sputum cruentum*, seu *Hæmoptysin*: Non mirum, quoniam, sanguis etiam per pulmonum vascula sanguinea liberum transitum non habens, & ab adveniente, per arteriam pulmonalem, sanguine propulsus, tenera vascula ita dilatavit, ut tandem ruperint, unde sanguinis extravasatio & per Tracheæ ductus excretio.

Phthifici Anatome.

Quater novem annorum vir Phthisicus, repentina morte tollitur.

IN thorace circa Arytænoidem cartilaginem collum inflatum instar strumæ erat: vivens tamen inflationem non habuit. Pulmones exulcerati & pure pleni. Et quod mirum, frustum rupti pulmonis tracheæ fistulam ita obstruxerat, ut aër vi inflatus in pulmones adigi non potuerit.

Phthisis pulmonum ulcus est, cum febre, tussi &c. causa repentinæ mortis fuit obstructio. Tracheæ à frusto pulmonis putridi, unde respiratio impedita, & suffocatio. Ista colli inflatio forte à convulsione inter moriendum genita est, alias ipsam vivus animadvertisset.

Alia.

Ex Matre phthisi mortuâ natus quidam studiosus noctu vagabundus, & quosvis cibos ac potus sine discrimine ingurgitans, violenta ac diuturna tussi obruitur, tempore nocturno præsertim affligente: sputum erat rotundum, postea virulentum & ex albo virescens: huic Hæmoptysis succedebat

bat copiosa & anorexia, cum febri circa vesperam magis recrudescente. Adeo emaciatus fuit, ut ossa vix cute obducerentur. Manus & pedes calore languido tumebant: postea diarrhœa superveniente, auxiliisque omnibus incassum tentatis, esse desiit.

PUlmones, aperto cadavere, suppurati. Iisque dissectis, pus fœtidissimum totumque cubiculum inquinans, inventum est.

Quid Phthisis sit, & quid de ea dicendum, in superioribus plus semel enarravimus. Ex *Hippocrate* id veri ei contigit, cum dicit *Tabido diarrhæa superveniens, lethale.* Licet matre tabidâ natus, nihilominus mala victus ratio, huic malo producendo non parum contribuit, & acceleravit.

Famulus cujusdam Herois, postquam plurimum currendo incaluisset, & poculum cerevisiæ frigidioris hausisset, tussi, pectoris angustiâ & maximâ respirandi difficultate corripitur; hisce febris, cum siti intensa, nec non malarum rubore accedunt. Hic ex inopia Medicum negligens, morbum vilipendebat; Dominus tamen Medicum ad se accersiri jubet. Pulmonibus laborare ajit. Pulsus erat tangendo magnus, undosus & Tertia. *quodammodo languidus. Galenica Methodo administratus, incidit sæpe in Lipothymiam, & tandem ad plures abiit.*

ABdominis contenta inculpabilia erant. In Thorace pulmones nigri & sphacelo infecti inventi sunt.

Potus nimium frigidus, sanguini æstuanti affusus, eundem coagulat; cujus coagulum per pulmones transitum non inveniens, in iis non tantum manet sed corrumpitur, unde tota hujus morbi Tragœdia.

Quatuordecim annorum Virguncula à quatuor annis tabe incepit laborare; Quarta. *postea tussi & febricula correpta est. Functionibus quotidianis obeundis satis vigilans. Cibi & potus valde appetens. Per sesquimensem ante obitum decumbens, moritur.*

MEsenterium scirrhis ac steatomatibus duris undique plenum, præsertim circâ vasa sanguinea: quædam ovi anserini magnitudinem superabant, alia nucem moschatam excedebant. Cibi ut comesti erant, impermixti excreti fuerunt. Ramosus calculus pondere sesquiscilici in dextro pulmone & abscessus fœtidus, membrana inclusus fuit: inciso tumore tanta puris copia effluxit ut dodrantem bis æquaret. Porro pulmones scirrhis ac steatomatibus referti. Cor molle & flaccidum: cætera satis sana.

Quadragenarius post febrim tertianam diuturnam curatam, Hydropem ascitem

Pleuritici Anatome.

tem incurrit. Venter admodum intumuit, præsertim umbilicus, qui ad pugni fere magnitudinem protuberabat. Postea sua sponte rupit, & convaluit.

Post annos aliquot in pleuresin incidit, & ab eadem obiit.

POst obitum vena umbilicalis, quæ alias concrescit & ligamenti indolem acquirit, non tantum aperta inventa est: sed facillimè pennam anserinam admisit.

Testatur non tantum *Aquapendens* sed & *Bartholinus* Venam umbilicalem præter communem ordinem in Hydropicis reserari. Fortasse Hepar ingentem molem, hydatidibus obsessam, excrevit, ruptisque aquulis, vena illa ita madefacta fuit ut facile dilatari, & à sanguine in vena portæ contento repleri & iterum aperiri potuerit.

Tabidæ &c. Anatome.

Puella quædam, ex parentibus sanis nata, circa undecimum ætatis annum, primo in febrim, ut dicitur, Ephemeram, mox in Hecticam incidit. Hinc cum spatio trium mensium doloribus totius corporis, ariditate Linguæ, tussiculâ, deglutiendi, respirandi atque loquendi difficultate, sudoribus frequentibus, præcipuè noctu, imo & dormiendo vexata esset, tandem planè extenuata, obiit.

CAdavere aperto, intestina vermibus plurimis infarcta conspiciebantur. Mesenterium scirrhosum, & hinc inde materia gypsea, uti quoque circum circa venam portæ, refertum fuerat. Hepar in diversis locis tam in parte sua concava, quam gibba, steatomatibus scatebat. Hepar mediante materiâ gypseâ tam tenaciter diaphragmati adnatum erat, vix ut avelli posset. Circumcirca venam cavam tam ramum ascendentem, quam descendentem, moles materiæ hujus gypseæ, ad magnitudinem pugni, tenaciter adhærescit, ramosque comprimebat. Substantia lienis materiâ hac gypseâ undique scatebat. Thoracis vacuum aquâ limpidâ & nonnihil flavescente plenum visebatur. Pulmonis substantia materia purulenta imbuta, uti quoque steatomatis, nucis vel castaneæ magnitudinem excedentibus, hinc inde referta apparebat. Circa exortum arteriæ asperæ ex pulmonis substantia, mola, steatomatum materia permixta, ovi magnitudinem excedens, inventa est, quæ tam asperæ arteriæ quam œsophago adhærescebat.

Tussicula ex pulmonis mala diathesi orta: læsis enim pulmonum organis, respiratio quoque difficulter peragitur. Sic & loquendi difficultas orta est, quod steatoma quoddam tracheam compressit. Ita & sanguis debito modo circumduci non potuit, & hinc nutritionis defectus, sanguinisque corruptio, & febris, quæ dicitur Hectica.

Totum corpus ex malâ diætâ obstructionibus laborasse planum est. Parit & Hepatis valetudinarius habitus, bilis defectum, ejus penuria, viscidítates & vermes. Viscidítates procreavere glandularum mesenterii, Hepatis, Lienis, Pul-

Pulmonis, aliarumque partium obstructiones: quibus si accedat multum acidi, quicquid adhuc volatile erat, figitur in materiam gypseam.

Quidam Tabe consumptus, vitam cum morte mutavit.

EPiploon fuit gangræna corruptum & propè consumptum. Ren dexter non tantum calculum continebat magnum, sed & putridus erat. Sinister erat lividi coloris. Hepar scirrhis putridisque tuberculis & abscessibus plenum, lien livescebat: sic & intestinorum genus decoloratum, imo mesenterium consumptum, adeo ut præter glandulas corruptas, ferè nihil remanserit. Pancreas scirrhosum. Pulmones ambo pure referti, variisque maculis conspersi. Secunda.

Aδύνατον ferè est, aliquem in vivis manere, cui corpus & sanguis est corruptus: obstructiones hic nullibi sunt exclusæ, unde scirrhi, gangrænæ atque puris nidi: Diutius quidem in explicandâ hac observatione vacarem, verum si Lector retro eat, eandem explicatam inveniet.

Habitu quidam pinguiori, annis abhinc binis admodum macilentus fit, ita ut cutis vix ossibus hæreret, atqui sic tandem in Phthisin incurrit. A primâ hujus morbi instantiâ vox adeo intercipiebatur, ut vix particula affirmativa aut negativa effari potuerit. Ante sex menses ei tumor infra mentum succrevit, ut nihil cibi solidi per œsophagum deglutire quiverit sed potulentis sese per aliquod tempus sustentavit, donec ob vires deperditas ad plures abierit, evanescente tamen prius tumore. Tertia.

PUlmones adeo leves erant & spongiosi, ut vix plumæ cederent: paucum sanguinis continebant, ex eorumque vasis purulenta quædam exprimebantur. In larynge nihil tumori simile repertum.

Omentum pene consumptum. Intestina inflata & vacua. Ileum fuit nigricans. Hepar luridi coloris. Bilis solitò obscurior.

Membranæ circa mentum fortè inflatæ fuerunt, unde tumor, quo & cibi deglutitio & loquela impediebatur. Nam si adfuisset Steatoma, illud non tam facile evanuisset.

Febris erat ita ardens, ut viscera omnia comburere viderentur. Post febrim Anatome.

DIssecto Cadavere, Viscera omnia nigra & quasi sphacelata inventa sunt. Ventriculus vix tangi poterat, quin in frusta discederet.

Diximus sæpè febricitantium sanguinem valde esse inspissatum, quod præprimis in hoc subjecto liquet, cum sanguis viscera perreptans coaluerit. Idem ostendunt maculæ cutaneæ, à coagulato sanguine concitatæ.

Quidam

Alia. *Quidam post febrem ardentem, & medicamenta frustra adhibita, fatis cessit.*

OMnia post obitum optima quidem dispofita fuissent, si ventriculus variis pustulis non fuisset interius obsessus.

Post febrim lentam Anatome. *Ex febri lenta & respirandi difficultate, cum deliriis, quidam vitam amisit.*

PUlmones lividi & exucci. Lien plumbei coloris. Interior Vesicæ paries & intestina hinc & inde inflammata.

Alia. *Quidam à longo tempore febri afflictus, cum dolore in dextro Hypochondrio & respiratione læsa, lumina clausit vitæ.*

INgens erat jecori abscessus; hinc & vena cava ascendens pure repleta.

Post variolas Anatome. *Infans Variolis laborans, fortè ob negligentiam, suffocatus; passus fuit alvum obstinatam.*

IN Thorace lympha viridis. Folliculus fellis obstructus. Quamvis Hepar exuccum & pallidum, inordinatæ tamen erat molis & figuræ. Pancreas pustulis obsessum. Multum adipis circa cordis basin.

Post febrim cuticulæ corporis decorticatio. 1680. Vocatus à *Dom. Hoogkamer*, cujus filia *Anna* annorum duodecim intentissimâ laborabat febri: post data sudorifera, & quæ ulterius conveniebant, totius corporis, eâ reconvalescente, senectam exuit, à manibus chirothecæ in modum cuticulam detraxit. Fortè quia quod per diaphoresin erat evaporandum sub epidermide remanserit, ibique in modum cantharidum eam à cute separaverit: facies enim & cæteræ corporis partes, febricitanti, admodum tumebant.

Christianus Frauwen Dronthemi Chirurgus expertissimus, hanc mihi de Febribus Intermittentibus observationem communicavit.

In ditione dronthemensi febres intermittentes raræ. Non possum tacere, modo vobis non sit notum, in hac Norvegiæ plagâ (circa Dronthemum nempe) Febres Intermittentes esse rarissimas: imo tempore duodecim annorum, quo hic Medicinam feci, nullum, quantum recordor, patientem febri intermittente laborantem, habui: modo hic loci semper manserit & non aliunde huc secum portaverit. Anno 1693. Mense octobris quidam huc ex Hollandiâ venerat, qui ibidem febri quotidianâ erat correptus. Is non nisi difficulter ab hac febri liberari poterat. In manus interim venerat Author quidam nomine *Matth. Godfried Purman*, qui in *Chirurgiâ suâ infusoriâ* scribit, semet ipsum infusione in venam quandam à quotidianâ febri liberasse: idque aquâ cardui benedicti sola. Ast quoniam illa aqua paucis viribus pollere videbatur, addidi drachmam semissem spiritus

The-

Theriacalis, & decem ſpiritus ſalis armoniaci guttas. Quem liquorem, in dextrum injeci brachium horâ ſemi decimâ pomeridianâ: ſed febris, quæ poſt meridiem horâ tertiâ ſolebat invadere; nunc ſemi horâ poſt injectionem ingruebat: poſtea iterum horâ tertia adveniebat quidem, verum ſolitò mitior erat. Sed poſt octavum aut nonum diem non amplius accedebat: nunc in vivis eſt & ſanus.

Quidam ſexagenarius longo tempore febri intermittente laborabat, qui ab alio, ut fit, pro conſilio accepit, ut integram pintam, (ſive uncias viginti) ſpiritus vini Juniperati unico hauſtu ebiberet, deinde per plateas, ad ſudorem uſque, curreret: dictum factum, ſumpſit & ſe currendo fatigabat, domum rediens & ad laſſitudinem perductus, in pavimentum cadit cum alto ſopore & ingenti ſtertore, qui ſtatim moriebatur. Sanguis enim ab hoc ſpiritu admodum mobilis factus, & per ſe craſſus cerebri canaliculos obſtruxit, unde apoplecticus factus, vitam cum morte mutavit. Hinc diſcimus, non temerè quævis Remedia eſſe ſumenda, quia ſæpe plus nocent, quam proſunt. Antipyreticum temerarium.

In inſula *Columbo* & continenti *Cormandel*, rariſſimè Anginæ oriuntur. Luſitani Goënſes radicem habent, nomine *Rais d'abutere*. Dicunt hanc radicem in omni inflammatione plurimum valere, præſertim in faucium inflammationibus. Hæc ſupra lapidem marmoreum cum aquâ in pultem teritur; quâ pars inflammata oblinitur: atque ſic ſtatim evaneſcit inflammatio. Et quod mirum, dicunt nunquam quemquam Anginâ laboraturum, ſi hujus radicis nonnihil de collo ſuſpendat. In inſula Columbo & Coromandel Angina rara.

Obſervavit Amicus meus *Ægydius Daalmans* M. D. in India orientali (nempe in inſula *Ceilonenſi*, *Javanenſi*, in continenti *Cormandel* &c. vix oriri Anginam aut febres, alioſque plurimos morbos. Addit homines pleroſque invadere Paralyſeis, Veneream luem, fluxus alvinos, choleram &c. porro & maxime in Ceilonica inſula morbus eſt, in quo correpti nesciunt dicere quomodo ſe habeant: in iis cibi appetitus nullus, virium debiles ſunt, tardi &c. & verbo, ſcorbutici ſunt, à quo tanquam maraſmo extenuantur & moriuntur. Alia.

Contra faucium ulcerationes Ceilonenſes, inquit R. *Knox*, corticem alicujus arboris manducant, nomine *Amaranga*. Ipſe (dicit) experientiâ & certitudine teſtor de ejus virtute. Iſte cortex, poſtquam ab illis eſt præparatus, per diem unum aut alterum ſolummodo manducatur; deinde ſuccus ſalivalis, exinde prodiens, eſt deglutiendus. Hoc ego feci & ſpatio 24 horarum planiſſime reſtitutus fui. Hæc ille. Contra faucium ulcerationes medela.

Hæc ſi vera, hic loci idem remedium inſtitui poſſet, ex corticibus cinamomi Magellanici, ſeu Winterani, pyrethro, Maſtiche, Tabaco, &c. quia ut plurimum anginæ ortum ex glanduloſis ſuccis, vitiatis & incraſſatis originem trahunt: hinc aliquando inaſſuetis Tabaci ſuctum, cum optato eventu, ſuaſi.

V. Caput.

DE HÆMOPTYSI, TUSSI, ASTHMATE, PHTHISI, VOMICA, &c.

Hæmoptysis sive *sanguinis è pulmonibus sputatio*, quando ab aliquâ de causâ vascula pulmonum sunt rupta, sive à corrosione, sive ruptione vasculorum pulmonalium, sive à veneno assumpto, aut alias ex casu, contusione sæpe non ex pulmonibus, sed ex ipsâ asperâ arteriâ aliquando educitur: tunc enim sanguis spumosus non est, uti quidem ex ipsâ pulmonum substantiâ, qui aërem admixtum habet. Huic sputationi ansam quoque præbent menstrua denegata, ac Hæmorrhoides non fluentes: aëris vehemens frigus, cursus celerrimus, &c. si magna vasa sint rupta, majus instat periculum, quam si minuscula: major restitutionis spes est, si nulla adsit Cacochymia, Scorbutus Phthisis, Senectus, Tabaci suctus, vini adusti quotidiana assumptio, acidorum usus nimius, &c.

Hæmoptysis.

In Hæmoptysi sæpe expuuntur venæ, quando pulmonum substantia est corrupta: sed præter venas interdum sanguis coagulatus in modum venarum sputo excernitur; quando nempe sanguis in venis, aut bronchiis diu coagulatus moram traxit, tunc enim venarum in modum extussitur. Sic quoque tophi tussiendo excutiuntur.

Hic non tantum curandum ut sanguis incrassatus attenuetur, pristinoque motu restituatur, sed & extravasatus expectoretur, ac vasa rupta consolidentur. Sanguis itaque crassus ac lentus, corrigitur præsertim Alcalinis, chalybeatis, Oleosis &c. quæ non tantum acidum temperant, sed & consolidationem procurant: ut sunt formulæ sequentes.

Recipe Tinct. Succini,
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Misce. vel,

Sume Olei Terebinthinæ succinati, *drachmam unam.*
Detur guttatim. vel.

Accipe Mastichis,
Thuris,
Oculorum cancri, *ana partes æquales.*
Misce fiat Pulvis.
Dosis Pro adultis sit drachma unica. vel,

Recipe Spiritus Matricalis, *uncias duas.*
Vini Canarini, vel
Hispanici, *uncias tres.*
Tinct. Croci, *drachmam unam.*

Misce.

Misce.

Sanguinis ſpuitio modum ſi excedat, additur nonnihil opii: ut.

Recipe Croci,
Maſtichis,
Caphoræ, *ana grana decem.*
Opii, *granum unum vel duo.*
Miſce fiat Pulvis.

Tinctura Martis ac *Lapidis Hæmatitidis*, hic etiam in uſum vocari poſſunt, acidum enim temperant, obſtructiones debellant, ac ulcera detergunt. Potus quotidianus *Coffeæ*, *Theæ*, *chocolatæ* &c. etiam multum valent: uti & quotidianus *Lactis crocati* hauſtus. Conveniunt hic non minus *Pilulæ ex Terebinthinâ*, *Caphorâ*, *Oculis cancri*, *Balſamo Peruviano*, aut *de Copaibâ*. Cavendum perprimis ab acidis, & pituitam generantibus: uti & à Tabaco nimio, ac vino aduſto. Non laudo quoque vulgares ſyrupos, quia plus nocent quam proſunt, & ſi quid ſolaminis adferant, non tamen radicitus morbum eradicant. Neque aſtringentia laudem merentur, præpoſterè enim uſurpantur: nimium enim ſanguinem & ſuccos condenſant; & ſi quid efficiant, tantum impediunt, ne ſanguinis motus nimis ſit in locum læſum celer & premens, ſed cauſam non tollunt. Errant itaque qui *conſervam roſarum rubrarum* cum *ſpiritu vitrioli* præſcribunt. Melius conveniret *Decoctum ex Salſa Parilla* & *china*, quod in omni ferè morbo conducit. Si menſtrua ceſſant, aut cachexia, &c. adeſt, tunc ejuſmodi medicamenta hiſce admiſcenda.

Pulmonis quoque morbus TUSSIS eſt, quæ eſt vehemens & convulſiva efflatio, continuò rediens, inæqualis, cum multo ſonitu, & non raro cum pectoris ſibilo. Eſtque *Sicca* vel *Humida*. Si *Tuſſis* continua ſit, cum ſibilo, anhelatione inter ambulandum aut altiora aſcendendum, & periodica, ASTHMA appellatur. *Cauſæ* ſunt irritationes in pulmonibus vel extra eos. In pulmonibus cauſa eſſe poteſt à gravedine & frigoris ſuſceptione, tunc enim ſucci ſalſi & pituitoſi ſtagnare coguntur in fiſtula pulmonali, illamque convellunt & ad tuſſim ſollicitant. Succi illi ſunt qui ex interiori tunicâ Aſperæ arteriæ promanant: vel ex vaſculis lymphaticis pulmonis ſubſtantiam perreptantibus. Vel quando à ſanguine aut pure in pulmonibus ſtagnante veſiculæ pulmonales obſtruuntur, atque ſic membranæ & nervi ad convulſiones ſollicitantur. Si cauſa ſit interna, venit ea à ſucco nervoſo malè diſpoſito, quà nervi & membranæ pulmonis vel thoracis Tympanitidis in modum expanduntur, ita ut thorax dilatatus conſtringi nequeat, atque ſic aër contentus egredi non poteſt, neque recens hauriri: atque ſic naſcitur *Tuſſis ſicca*, & præcipua videtur in Aſthmate eſſe cauſa: quæ Acceſſiones habet & Intermiſſiones vel potius Remiſſiones, pro variâ aëris & ſucci nervoſi mutatione. Aſthmatis itaque acceſſus ſeu paroxyſmus nihil aliud eſſe videtur, quam intermittens quædam contractio ſeu convulſio, incerto tempore recrudeſcens. In lecto ægri vehementer incaleſcunt ac anxii fiunt, cum alias extra lectum ſeſe non malè habent: nam ob calorem, quem è lecto & ſtragulis ſentiunt, ſanguis & cæteri ſucci ita in-

Tuſſis, Aſthma.

incalescunt ac moventur, ut in tussim & sudorem incidant: nam vasa pulmonalia, ob auctam circulationem magis premuntur, uti & ipsi cutis tubuli sudatorii: quod etiam fit si locum altum ascendant, celeriter eant, aut grave onus ferant, &c.

Si tussis diu perseverat, in ASTHMA mutatur, & Asthma in Hydropem aut Tabem, & tandem in Mortem. In Asthmate Pleuritis aut Peripneumonia, θανάσιμον judicatur. Quia, ut in superioribus dixi, in Pleuritide pulmones ἐπὶ τὸ πολὺ læsi sunt, qua de causa suffocantur, nam vires deficiunt & materiam, â priori asthmate auctam, ejicere nequeunt. In Iunioribus sæpe curatur, in Adultis raro, in senectute nunquam.

Ob minorem enim corruptionem pulmonum, spes major in Junioribus, quam adultis aut senioribus. Raro Plenissimè curatur, prætertim inveratum. Vehemens tussis abortum inferre potest, & Herniam producere. Non raro mutatur in Hæmoptysin aut phthisin. Tussis diuturna cephalalgiam parit, oculosque rubentes & protuberantes: in senibus ad extremum vitæ terminum sæpe durat.

Succi acres sunt temperandi & expellendi, ne pulmones ulterius lædantur; & ad tussiendum sollicitentur. In ipo Asthmate paroxysmus est invadendus & avertendus: sed paroxysmo cessante, causa est respicienda. In hisce morbis *Balsamica* prosunt, *Oleosa blanda* & *Volatilia*. Uti sunt.

Radices Iridis Florentinæ, *Angelicæ*, *Helenii*, *Rapæ*. *Semen Anisi*, *Carei*, *Coriandri*, *Cardamomi*. *Crocus*. *Castoreum*, *Terebinthina*, *Millepedes*, *caryophylli*, *lignum Aloës*, *Ambra grisea*, *Moschus*, *Benzoin*, *Bolus*, *Mastiche*, *Ammoniacum*; *Flores Sambuci*, *Sapo Venetus*, *Amylum*, *Succus Glycyrhizæ*, *Flores sulphuris* & *Benzoini*. *Tinctura croci*, *Antimonii*, *spiritus salis armoniaci*, *Laudanum opiatum*, *pilulæ de cynoglossa*, &c.

Quoniam appetitus sæpe prosternitur, Ventriculus non raro pituita est obsessa: ideoque levi *Vomitorio* saburra educitur, vel vino aut cerevisiâ medicatâ, & blanditer purgante: convenit hic ante omnia *Elixir salutis*: nam *Cathartica* vehementia hic bonum successum annihilarent. *Potus* fit calidus, *Theæ*, *Coffeæ*, *Chocolatæ*, *Lactis crocati*. Vel sumat *decoctum ex salsa*, *china*, *Hyssopo*, *Allio* &c. uti & *Lac cum sapone veneto* coctum & potum conducit, & à *Lacte cum Allio* multum est expectandum, nec non à *vino scillitico*, & *pilulis ex gummi Ammoniaco*, *Assa fœtida*, *Martis vitriolo* &c. sequens Tinctura multi est valoris, ut.

Recipe Spiritus Hederæ Terrestris,
Matricalis, *ana uncias sex.*
Cornu cervi,
Tincturæ croci,
Castorei, *ana drachmam unam.*
Vini Hispanici, aut
Canarini, *uncias viginti.*
Misce detur cochleatim. vel

Sume

Sume Rad. Helenii,
Angelicæ, *ana uncias sex.*
Castorei,
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Fol. Hederæ terestris,
Hyssopi, *ana unciam unam.*
Seminis carei,
Anisi, *ana unciam semis.*
Mastichis, *uncias duas.*
Vini Hispanici, *uncias quadraginta.*
Spir. Salis armoniaci, *uncias quatuor.*
Misce fiat destillatio.
Guttatim in vino Hispanico sumatur. vel,
Fiat infusio ex Spiritus vini, *unciis decem.*
Passularum minorum contusarum, *unciis quatuor.*
Zingiberis, *scrupulo uno.*

Post aliquot dierum infusionem, cochleatim sumatur. Pro necdum adultâ ætate, Infantulis, detur Vinum Hispanicum. Trochisci Bechici, aut Tabellæ fieri possunt, ut.

Recipe Rad. Helenii,
Angelicæ,
Croci,
Caphoræ,
Mastichis, *ana drachmam unam.*
Olei Anisi, *drachmam semis.*
Succi glycyrhizæ, *uncias duas.*
Misce fiant Tabellæ.

De hisce aliquando nonnihil masticari potest: & si Tussis excedat modum, nonnihil *opii præparati* additur.

In *Asthmate* ferè eodem modo ac in *Tussi* proceditur. Quidam Emetica in hoc morbo præscribunt, sed Expertus sum non cum bono successu fieri, quia irritatis succis spasmus sive membranosarum pectoris partium major fit. *Willisius* præscribit *Millepedes* non sine bono successu. Memini ex multiplici observatione Asthmaticos post Musculos (Mosselen) comestos, se multo melius habuisse, procul dubio à sale volatili, quibus abundant. *Diuretica* prosunt. Alvus est laxanda non purganda. Sequentia non sine fructu exhibentur. ut

Recipe Rad. Angelicæ,
Glycyrrhizæ,
Zingiberis, *ana unciam semis.*
Fol. Hyssopi siccati, *Manipulum unum.*
Sem. Anisi, *unciam semis.*

 Carei,

Carei, *drachmas tres.*
Olei Anisi, *guttas viginti.*
Mellis albi despumati, *libram unam.*
Misce. vel

Recipe Terebinthinæ Venetæ coctæ, *unciam semissem.*
Gummi Ammoniaci.
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Misce fiant pilulæ.

Recipe Millepedum, drachmas duas.
Florum Benzoin,
Salis succini, *ana scrupulos duos.*
Extracti Helenii,
Castorei, *ana drachmam semissem.*
Croci, *scrupulum unum.*
Terebinthinæ Venetæ, *quantum sufficit.*
Misce fiant Pilulæ.

Flores & *Tinctura Benzoin* in hac occasione prosunt: uti & sequens *Balsamum Benzoinum.*

Recipe Florum Benzoin, *unciam unam.*
Spiritus Terebinthinæ *uncias quatuor.*
Misce.

Lento solvantur calore, donec Tinctura fiat rubicunda, quæ in Vino Hispanico guttatim sumatur. vel

Recipe Terebinthinæ Venetæ,
Balsami Copaibæ, *ana unciam semis.*
Peruviani,
Croci, *ana drachmas duas.*
Benzoes, *unciam semis.*
Macis, *drachmas tres.*
Moschi, *grana viginti.*
Spiritus Vini, *quantum sufficit.*
Destillentur in Balneo.

Spiritus hujus & Oleum guttatim in vino Hispanico exhiberi possunt.

In Asthmatis paroxysmo *Laudani Opiati* granum unum aut alterum conveniet. Vel grana decem Pilularum de Cynaglossâ; & minoris erit ponderis croci Extractum; vel,

Accipe Opii Thebaici,
Sanguinis Draconis,
Benzoin,
Croci, *ana drachmas duas.*
Ambræ gryseæ, *scrupulum unum.*
Spir. Vini rectificati, *quantum sufficit.*
Fiat. sec. artem Extractum.

Dosis à granis tribus ad quinque, vel *Laudanum Liquidum*, ut

Recipe

Recipe Spiritus Vini ſale Tartari ad rubedinem.
ſaturati, *uncias ſex.*
Opii Thebaici, *drachmas ſex.*
Croci,
Ligni Aloës, *ana drachmam unam.*
Caſtorei,
Caryophyllorum, *ana drachmam ſemis.*
Miſce fiat Tinctura.
Doſis à guttis decem ad viginti & ulterius.

Si ſuffocatio minetur, ad venæ ſectionem deſcendendum eſt; ut pulmones à ſanguinis majori impetu liberentur: atque tunc ſtatim aër liberiorem in pulmones ingreſſum accipit.

Infantibus datur *crocus* cum *melle*; & pectori applicatur Emplaſtrum ex *oleo maceris expreſſo*, & *cumini*, *caphora* (ex radicibus cinamomi) *cerâ* & ſimilibus.

In Indiæ regione *Cormandel* ab ultimis diebus Februarii, ferè uſque Novembris initium ſingulis diebus duo diverſi venti habentur alter à regionis plagâ, alter è mari ſurgit. Circa noctis medium prior incipit, & poſterior circa meridiem; ſed interdum tam prior quam poſterior aliquot dies flare perſeverat, idque abſque ullâ mutatione: & prout tunc à terrâ veniat, vel è mari, tunc aër calidus eſt vel moderatè frigidus; Marinus enim ventus aërem valde temperat, caloremque nimium moderatur: è contra Ventus à continenti, interdum adeo calidus eſt, ut diceres illum ex fornace candenti evomi; verum ſi ventus vitetur, aër non magis calet, ac ſi nullus eſſet ventus. (De Aſthmaticis in Cormandel obſervatio.)

Omnes porro illi qui *Aſthmatici* ſunt, eo tempore vix reſpirare poſſunt, imo in terram ſe proſternere coguntur, quia hoc medio, quemadmodum dicunt levamen ſentiunt: verum quamprimum ventus è mari incipit flare, ſtatim reſpiratio liberior eſt. Hujus rei rationem hinc eſſe ajunt, quod quindecim aut ſexdecim milliaribus ab hoc loco montes ſint ignem eructantes, quorum calor hoc vento è locis illis longinquis huc tranſfertur. Imo & inter montes illos & urbem *Paliacattam* aër interdum valde turbidus viſitur, ac ſi plenus fuiſſet pulvere aut cinere; quod ſæpe evenit, quando ventus iſte duos vel tres dies continuatur. Imo & eo tempore tam magnæ quam parvæ aves advolant, quæ aliis temporibus nunquam viſuntur; atque illæ præ calore & pulvere ita exanimes ſunt factæ, ut ferè manu capiantur.

Mercator .... Manſdale niſi fallor, triginta annorum, cum vivebat, quotidie de tuſſi cum anhelatione pectoris ac gravitate circa hepatis regionem querebatur, ac à motu corporis celeri in cordis palpitationem incidebat, quæ poſtea ſenſim ceſſabat. Aliquot diebus ante obitum crebras lipothymias patiebatur.

THorace diſſecto, aliquot libris lymphæ, recenter ex vaſculis lymphaticis effuſæ, pectoris cavitas repleta erat: cor duplo majus quam ſolet: arteria magna (Valvulæ circa cor oſſeæ)

magna una cum valvulis circa cor, osseam seu potius petrosam duritiem acquisiverat, & iam arctè occlusa, ut vix aciculæ crassiusculæ glandem admitteret, Hepar planè scirrhosum fuit.

Per angustatam & penitus ferè concretam arteriam, tanta sanguinis copia eam pertransire nequibat, quam quidem decebat: ideoque in ipso corde stagnare ac motu suo reflecti cogebatur, unde jugis cordis palpitatio, ejusque laterum dilatatio, & magnitudo solitam peripheriam superans. Cum porro sanguis nec pulmones liberè petransire poterat, lymphatica vascula adeo premebantur & coarctabantur, ut ruptis vasculis, lympha in cordis cavitatem efflueret.

Sanguis interim & cor & pulmones subire impotens factus, in ipso hepate, à quo ad cor magnâ quantitate solet ascendere, morari nimis coactus, ac interim ex mora diuturna in eodem coagulatus fuit, & corruptus, unde circa jecoris regionem dolor gravativus. Cætera viscera satis sana erant, quia à sanguine minus lædi poterant. Vide eandem observationem in obs. Cl. *F. Ruisch.*

Decem annorum puer, Joannes van Gent, *post morbillos in maximam respirandi difficultatem cum gravamine & oppressione circa pectus incidit. Postquam aliquot dies ita agonisans jacuisset, tandem expiravit convulsivus, Libitinaque relictus est.*

Post morbillos &c. anatome.

POst obitum in Cordis thalamo polypus, arteriam pulmonalem obstruens, creverat.

Quid sint *Morbilli* omnibus notum, nempe maculæ rubicundæ, quæ neque in molem attolluntur, neque suppurantur. Eorum curatio si per diaphoretica non fiat, sæpe graves morbos incurrunt; si quando eorum virus in sanguine remaneat, sanguis magis magisque coagulatur, ut in hoc ægro, istud coagulum sæpe intra cordis thalamos remanet, impedimentumque circuitui sanguinis præbet; adeo ut pulmones pertransire impotens, gravamen cum pectoris oppressione, imo lipothymias excitet. A coagulo enim obstructo corde, pulmones sanguine frustrantur & respirandi difficultatem præbent.

Porro sanguis cavitatibus cordis inhærens (quod sæpè in cadaveribus vidi, menstruis suppressis) ibidem columnis & fibris seu tendinibus cordis irretitur tandem duritiem acquirit, & à præterlabente cruore alimentum quodammodo accipit quod instar polypi consideratur.

Convulsivus expiravit, quia in cerebro succi nervosi de novo non poterant segregari, hinc quod remansit Spitituum, tandem acorem contraxit, nervosum genus convulsionibus faciendis excitavit.

Sartoris cujusdam infans, nundum annum numerans, incidit per quatuor aut quinque dies in tussim, cum febricula; paulo post se deterius habuit; interim respirandi difficulate, lingua arida & corporis continuâ inquietudi-

ne

ne corripitur : Symptomatibus interim nihil remittentibus intra biduum mortalitatem exuit.

CAdavere dissecto, pulmones sanguine stagnante turgidi, & sanguinei coloris, nisi hinc & inde nigriores maculæ apparebant. In cordis ventriculis ingentes polypi erant, adipi concreto admodum similes, qui non tantum cordis cavitates, sed & arteriam pulmonalem, & aortam obstruebant. Post febrim & tussim anatome.

Infans frigore correptus facile in tussim incidit; quia frigefactis humoribus, levi occasione obstructiones fiunt: Hæc obstructio jam in pulmonibus facta est & corde. In corde enim Sanguis coagulatus polyporum instar cavitates replebat, quo factum est, ut sanguinis circuitus liberè per cor & pulmones ire non potuerit. Interim stagnantes humores membranaceam pulmonum compagem in motus convulsivos adegerunt, atque hinc tussis. Porro ab eadem causa incalescere incipiebat, & sic febricula excitata est. Sanguis coagulatus cordis cavitates replens, tandem tenacior factus, se instar polyporum habuit, unde & Symptomata ingravescebant. Humores porro in toto corpore stagnantes continuam inquietudinem inferebant, quia ex tardiori motu acescunt. Denique cum Sanguis à polypis obstruentibus, cor & pulmones amplius pertransire non potuit interibat. Vitam tam diu integram servamus, quamdiu Sanguinis periodus abque ullis obstaculis peragitur: sin vero retardetur, morbos incurrimus; ast si penitus desinat, animam deponimus.

Sexageneria Cornelia Hoog-huisen, *admodum pinguis & deses, â quindecim annis difficultate spirandi laboravit, quæ singulis diebus valde increbuit, idque potissimum cum gradus ascenderet. Postea ab aëre austrino & pluvioso coryzam, genæ item dextræ, glandularumque intus contentarum inflammationem passa est. Mandibulæ ita coarctabantur, ut ægra non nisi potulenta quædam sorbillaret. Ad tibiam sinistram sæpe Erysipelate affici solita est, quæ & quandoque exulcerabatur. Pulsus porro aderat inæqualis, & intermittens. Et quamvis genæ tumor detumuerat, mandibulæ nihilominus constrictæ manebant. Postea dexter oculus clausus apparuit, quod ex convulsione aut paralysi factum; deinde Hemiplegia tacta, apoplectica interiit. Toto morbi decursu, perseverante dyspnœa, tussis non adfuit, neque stertor, nisi duodecim horis ante obitum.*

PRæter splenem putridum, pulmones lividi, & lymphatico humore perfusi Sinister pure multo & fœtido refertus. Dexter cordis thalamus, intus non tantum excoriatus, sed & putridus & exulceratus, fibrisque carnosis, leviter tractando, in frusta secedentibus. Auricula dextra solito major, substantia carnosa, partim rubra, partim nigra, ad instar sanguinis concreti, quæ manibus ab invicem fricari non potuit, referta. Post spirandi difficultatem &c. anatome.

Sæpe asthmatici fiunt cachectici & hydropici. Recentis ulceris sanatio difficillima est, inveterati omninò impossibilis, nam ob pulmonum continuum motum, eorum substantia vasculosa magis laceratur, quam sanatur. Sic ægra nostra longo tempore hac respirandi difficultate laborans, tandem cachectica facta est. Cachexia est succi vitiosi abundantia, quam ex ipso corporis habitu cognoscimus, hominem valetudinarium esse. Atque hinc multorum symptomatum fons & origo. Quia læsi pulmones sanati non sunt, ideoque spirandi difficultas singulis diebus increbuit. Porro cum ascensu respiratio retardatur, se exinde pessimè habuit. Cœlo quoque Austrino ac pluvioso, ob aëris crassitiem, minor sanguinis in pulmonibus accensio erat, unde suffocari videbatur: aëre enim sereno vividiores multò sumus quam nebuloso.

Ob motum salivæ in glandulis maxillaribus denegatum, maxillæ intumescentia, quæ non raro gravedine laborantibus accidit. Ex spasmo & mandibularum coarctatio & palpebrarum occlusio fiunt: imo ex cordis convulsione pulsus inæqualis & intermittens. Denique unica medullæ spinalis parte obstructa, eodemque humore cerebro obsesso, primo in hemiplegiam, & deinde in apoplexiam incidit.

Tussis perseverante morbo non adfuit: super hoc docet *Aphor.* 16. *Sect.* VII. à puris sputu tabes: quum vero sputum retentum fuerit, moriuntur. Ob virium imbecillatem nempe & istarum partium paralysin. Sed postea quidem rediit, ab humoris collecti copia, & paralysi desinente: quæ viribus in totum deficientibus, obiit.

Non mirum, aperto cadavere pulmones fuisse purulentos, & cor à fœtente pure intus erosum & exulceratum. Exinde enim sanguis evasit crassus, dextrum thalamum pervadere nequibat, hinc auriculæ distensio. Ab erosione fungosa quædam excrevit substantia, ut sæpe in ulceribus fit: cum enim fibræ læsæ non sistuntur medicamentis, immensum usque excrescunt, atque sic polypi generantur.

Filiolus quinque annorum, malè educatus, dyspnœa sæpe laborat, præsertim si corpus nimium movebat. Postea cum ludendo plurimum incaluisset, in tussim & spirandi difficultatem incidit: his febris & sitis cum diarrhœa, qua flava, alba & subviridia excernebat, adjungebatur. Interim lipothymia, quæ brevi cessabat, corripiebatur. Postea pulsus languidus & frequens. Venter tensus & dolens fuit, terris tandem excessit.

Post Dyspnœam anatome.

ABdomine inspecto, cystis fellea solitò grandior & humore nigricante turgens. Sinister pulmo tam firmiter diaphragmati concreverat, ut difficulter separari potuerit. Sinistra cordis auricula debitò amplior, cui inhærebat materia crassa, compacta, & instar lardi cocti alba.

Ob pravam educationem multum sæpe acidi & viscidi humoris in tenellulorum.

rum ſanguine colligitur: cum igitur ob illam cauſam ſanguis pulmonum veſicularem ſubſtantiam percurrere nequibat, obſtructiones factæ ſunt, unde *Dyſpnœa* ſive Reſpirandi difficultas: cum vero ipſius corpus poſt nimium à luſu exercitium incaluiſſet, ſanguis celerrimo motu inſtigatus, & obſtructiones prætcrire impotens factus, aucta fuit reſpirandi difficultas non tantum, ſed, veſiculis quibuſdam nimis diſtentis aut ruptis, ſanguis aut alii humores extra receptacula ſtillavere; quibus acorem contrahentibus, tuſſis excitata eſt.

Sanguine ab obſtructione moram contrahente, acidum & alcali occaſionem acceperunt, ut ſibi mutuò appropinquarent, ex quibus invicem commixtis efferveſcentia cum calore oritur; atque iſta incaleſcentia febris dicitur.

Porro ex nimiâ acidi in ſanguine quantitate, chylus recens advectus coagulatur, & ſerum à caſeo ſecedit; caſeus ſanguini admiſcetur, ſerum vero per inteſtinorum glandulas deſtillat, cujus acore inteſtina, & folliculus fellis, magis, quam ſolet, convelluntur, & fæcibus deponendis irritantur à convulſionibus cordis aliarumque partium, ac ab incraſſato ſanguine circulatio ritè peragi non potuit, cujus ἐκλείψει lipothymia orta eſt.

Bilis defectus deducitur ex humore atro veſiculæ fellis infarcto, imo ab excretis viridibus: nihil enim bili magis inimicum quam acida, quibus bilis conſtipatur. Erat ſiniſtra cordis auricula debitò amplior, idque ob inhærentem materiam: ſanguis enim ex pulmonibus auriculæ advectus, & auriculam permeare impotens, ipſam magis extendere & expandere neceſſe habuit. Crediderim facile materiam hanc auriculæ infixam, caſeum ex chylo fuiſſe concretum: omnis enim chylus ſanguini infunditur, & ſi alibi acidum moretur, facile coagulationem patitur.

Vidua ſæpe Hyſterica noctu ſurgens è feneſtra jacuit, inde reſpiratio difficilis ad inſtar aſthmatis, cum tuſſi, Hæmoptyſi, febri ac facie rubicunda. In medio pectoris grave pondus cum ardore interno, & puncturis in variis thoracis locis. Tertio die dolorem circa claviculam dextram ſentit. Hiſce aderat magna cordis palpitatio, quæ etiam in Hypochondrio dextro, tum in eodem latere per aliquot horas percipiebatur. Sed è regione cordis perſeverabat, idque ictibus vehementibus; hæc convaluit. Sed aliquot dies poſt in ſedili ſedens repentè in pavimentum concidit exanimis.

Diſſecto cadavere, mediaſtinum lympha cruenta plenum inventum eſt. Pulmones toti purulenti & fœtidi. Ovarium ſiniſtrum, ovum columbinum facile æquabat, lividum, ſphacelatum & intus ſpongioſum. Intus globulus nuclei magnitudine, grumo ſanguinis ſimiſis, concludebatur. Alia.

Calida fortè ſurrecta, refrigerii gratia feneſtram aperuit, ut aura nimirum veſceretur frigida; unde conſtipato ſanguine, ac diaphoreſi impedita, pulmones ab eodem obſtructi, ita ut libera reſpiratio ei denegata fuerit. Ab obſtructione putredo, pus, febris ſimiliaque ſymptomata, quæ ſuperius in aliis ſubjectis

plus ſemel explicuimus. Sanguis coagulatus cordis ventriculos obſtruens, eoſque liberè pervadere impotens, latera cordis ampliavit, ac ob majorem motum Palpitationem induxit. Hiſce tamen nonnihil quietis, quaſi reconvaleſcebat; poſtea vero levi occaſione vel ſponte ſua, vaſcula pulmonum rupta, pus effluxit reſpirandique actionem impedivit.

Quoad ovarium ad ovi columbini magnitudinem auctum, fortè è præviâ obſtructione & inflammatione ortum habuit & paſſioni hyſtericæ anſam præbuit: eſt enim malum cum præcedenti nihil commune habens. Globulus iſte, qui intus erat concluſus, ovum procul omni dubio fuit ab inflammatione auctum, ut in iis quæ rabie uterina, ut vocant, laborant, obſervavi. Illud ovum quoque ſphacelatum fuiſſe & corruptum, eſt à ſanguine cæteriſque ſtagnantibus ſuccis, quibus ova irrorantur, aluntur.

Puellula quædam, tuſſiculâ continuâ & difficultate anhelitus vexabatur. Circa undecimum menſem ætatis ſub axilla dextra exortus eſt abſceſſus: quo aperto; pus copioſe per menſem integrum effluxit: exiguum tamen levamen inde habuit. Tandem occluſo ulcere, ſymptomata, veluti tuſſis & difficultas anhelitus, virium proſtratio & nutrimenti faſtidium, aucta ſunt: ita ut decimo octavo circiter menſe ætatis è vita decederet.

Tertia. POſt mortem, inciſo cadavere, ingens abſceſſus ſub axillâ & quidem inter pleuram & coſtas inventus eſt, in quo pus copioſè repertum fuit.

Effuſum pus ex abſceſſu, ſæpe intra membranas colligitur, & ſacci inſtar dependet. Sæpe hoc contingit in crurum ulceribus, ſi debito loco, aut tempeſtive non aperiantur, pus juxta muſculos deſcendit, & ulcera fiſtuloſa cudit. Mirum infantem maximo dolore cruciatam non fuiſſe, cum, ut vulgo dicitur, ſpuriæ pleuritidis ſpecies ſit.

Quidam per multos annos aſthmate & tuſſi laborans, tandem extenuatus, obiit.

Aſthmatis Anatome. POſt mortem ejus, cadaver diſſectum fuit, in eoque (præter hepatis, lienis, aliorumque viſcerum obſtructionem ac ſcirrhoſitatem) in pulmonis ſubſtantia lapis prædurus, & undique aſper nucis juglandis magnitudine, validiſſimâ quadam tunicâ incluſus, inventus eſt. Præterea hinc inde per pulmonis ſubſtantiam, præcipuè autem circa ramos aſperæ arteriæ, tubercula plurima adhærebant, abſque ullo tamen ulcere pulmones inveniuntur: In pericardio item ad libras duas aquæ continebatur, uti & in pectore multum ejuſdem aquæ innatabat.

Qui-

Quidam repentina morte vivis ereptus.

APerto thorace, inferior dextri pulmonis pars erat consumpta, superstite tamen exteriori membrana, valde incrassata, intusque materia sebaceâ oblitâ, supra diaphragma ingentis molis hydatides succrevere. Sinister pulmo lividus erat. Cordis ventriculi atro sanguine turgidi. Pulmo corruptus.

Hujus repentinæ mortis causa fuit suffocatio, nam sanguis in corde ob crassitiem restagnans, pulmones aëre impleri non amplius potuerunt, unde quoque sanguinis circuitus desistentia.

Jecur pallidum & exsangue; adhærebat pulmo variis in locis pleuræ, pericardio & diaphragmati. In sinistra pulmonis parte ingens apostema, puris varii coloris quatuor libras continebat; præter hoc magnum plurimis in locis plura minora erant: item diversæ magnitudinis scirrhi. Apostema in pulmonibus.

Caleto Hispaniæ hic casus mihi missus.

DOCTISSIME DOMINE,

JUvenili tempore apepsiâ laboravi, sed veneri & vinis hispanicis hic loci strenuè indulsi. Ante annos quatuor memet ad edendum coëgi, & à potatione peperci: sed hora una post pastum interdum vomebam, verum pauca tantum quantitate; imo etiam cum decumbebam tussis oriebatur ad horam unam & ulterius; postea cessavit vomitio; mediocriter edebam, sed tussis augebatur tam noctu quam die, excernebam semper pituitam viscosam & crystallinam. Hoc modo sesquiannum peregi. Ab hoc tempore tussis continuavit, quæ maximè vehemens erat post pastum: quo cibus digestu facilior, eo tussis vehementior, sic etiam cum me ad decubitum componebam, exacerbabatur tussis; lipothymiæ subinde intermiscebantur. Ante duos annos febri gravi vexabar sex diebus, sed tunc à tussi levabar. Tunc pedes tumere incipiebant, ut & scrotum: hoc sustinui per 14 dies, sed absque ullâ Medicinâ stillabat donec evacuatum erat; post illud tempus laxum pependit: & tussis ut ante iterum insecuta. Nunc ante annum denuò me corripuit febris gravis, hac sublatâ, vesicæ collum comprimebatur; hisce cessantibus dolor crudelis lumborum per totam medullam spinalem ad superiorem partem usque, me invasit: qui duos dies intermittebat, redibatque. Hisce sublatis pedes tumefacti ulceribus defœdabantur, quibus aquosa materia exstillabat; interdum febricula vexor erratica, quæ soporem præcedaneum habebat, deinde tussis, post tussim cordis anxietas, imo lipothymia: post hæc iterum sopori deditus eram. In principio semper medicina profuit, postea me malè habui. Nunc edendo insatiabilis sum. Potus quivis mihi flatus pariunt. Consultatio tussi &c.

Responsio.

Domine.

AD tuas literas sequentia in genere respondebo. Tibi est spirituum & virium defectus : imo totum corpus saburrâ viscida & acri abundat. In principio non adeo quidem acris fuit, ideoque cibi appetitus debelis; nam succus appetitum excitans à vinis fortibus subjugabatur; & spiritus corpore contenti per diaphoresin insensibilem (uti à spirituoso vino) decedebant; accedit, ubi pauci tantum sumuntur cibi, paucos etiam spiritus generari.

Nunc evaporatis spiritibus, pituita acrior facta est, quod liquet ex tussi & cibi majori appetentia. Tussis sic excitatur, quia pituita acris in vesiculis pulmonalibus hæret; hinc membranosarum partium titillatio, qua convulsio, ut idquod molestum, excutiatur, tussisque appellatur. Sic ob acrimoniam succi ventricularis Fames fuit aucta, hinc cibi voracitas; quia bonus non elaboratur chylus, nutritio non procedit.

A succis hisce acribus lumbalium & intercostalium nervi, quibus & vesica gaudet, vellicabantur, hinc lumborum dolor & compressio vesicæ spincteris.

Porro, cum lympha in vasis lymphaticis viscida est, & tardigrada, à pedibus sursum incedere nequit, hinc crura inferiora &c. tument: & ruptis lymphaticis, ulcera oboriebantur.

Ex eodem fundamento lipothymiæ; quando sanguis pulmones pertransire nequit: & cerebri canaliculis ferè obstructis, oritur sopor, deinde si pituita incalescat, febricula.

Morbus hic lentus est, & raro superabilis, & si quid faciendum, acidum absorbentia, viscidum incidentia & diaphoresin procurantia hic sunt interne adhibenda. Oculi cancri, lixivium salis tartari &c. Acidum temperant, & urinam præcipitant: Tinctura ex *radicibus* Angelicæ, Galangæ, Zedoariæ, Ostrutii, Helenii: *Seminibus* fœniculi, anisi, carui, cardamomi minoris &c. *Corticibus* cinamomi, Winterani: *Foliis* rutæ, rorismarini, lauri, Majoranæ &c. Viscidum incidunt & diaphoresin procurant: interim motus corporis sit modicus, nam continuò sedendo morbus augetur. Sint cibi Eupepti ex gallinis, carne vitulinâ, piscibus fluviatilibus. Si cerevisia apud vos haberi nequit, vinum bibe aquâ dilutum.

Post paucos menses me adiit, & plane restitutus fuit.

De Asthmate obs. Nobilis Juvenis *Isaacus Hasselaar* à primis incunabulis asthmate interpolato afflictus; cum vigesimum sextum annum ageret 1698. in Galliam profectus, totâ illâ æstate Asthmaticos paroxysmos nunquam fuit passus, sed redux in Hollandiam statim eodem obrutus. Itaque aër huic morbo pruducendo multum contribuere potest.

Vir quidam nobilis 52 annorum, Elbingâ sequentem casum mihi misit. Laborabat raucedine ferè continuâ, tussi humida, respiratione difficili cum sonitu,

mitu, cum febri hectica ut Asthmaticis & Phthisicis solet; aliquando sanguinem, nonnunquam pus screatu expuit. Sputum aquæ calidæ & salitæ injectum, fundum petit. Queritur porro de ventriculi dolore, nauseâ, cibi fastidio, pollutione nocturna: urina turbida, fœtens cum arenulis matulæ adhærentibus.

Asthma cum variis symptomatis.

Nobilissime Heros,

Quæ ex vestra epistola percepi, apertè dicam. Laboras Asthmate & Phthisi, quod satis ex Symptomatibus indicatur. Nempe ex tussi, febriculâ cum pulsu veloci & frequenti, quæ intermittens sed simul erratica, in sudores finiens; ex sonitu & sibilo inter respirandum; ex sanguinis & puris expuitione &c. accedit sputi in aqua demersio: hæc omnia indicant pulmones intus esse læsos & laceratos, nam si sputum aquæ superficiei innataret, signum esset aëris admixti, quod non est, ergo in pulmonibus tantum colligitur quasi in sacco membranaceo, qui se in bronchia exonerat, tum cum sanguine, tum cum pure.

Brevi omnia symptomata dependent à succis viscidis & acribus. Acini glandulosi, quibus trachea intus investitur, succum effundunt tenacem, & acrem, unde raucedo: Qui humor per tracheæ ramos in pulmonum vesiculas delabitur, ibique rodens tussim excitat: interim sanguis præterfluens inficitur, unde illa febricula: & quia succi illi corrupti nutritioni inepti evaserunt, corpus emaciatur. Idem succus in ventriculum stillans ἀπεψίαν parit & cibi fastidium, quia fermentum est tenax & debile: & quoniam particulas acres sibi admixtas habet, ad nauseam, quæ ad vomitum conamen est, ventriculum sollicitat, eumque doloris sensu afficit. Sic ob seminis materiam acrem, ad pollutionem sollicitatio. Urina denique quoniam sale acri scatet, facile ad latera in sabulum crystallizatur.

Vestra Dominatio à me solamen petit & Remedia. Suadeo itaque quotidie decoctum potes ex salsa parill. china, glycyrrhiza &c. paratum. Deinde balsamum sulphuris anisatum, acidum temperantia, ex corallis, oculis cancri, &c. cum Tinctura Vitæ, ex aromatibus, aloe, Myrrha & croco paratum, ut nempe ventricularis succus restauretur, & diaphoresis procuretur.

Horum usu se semper melius habuit, ita ut ferè restitutus videretur, sed ob annos, vires debiles, pulmonum læsionem, planè in integrum restaurari nequibat.

Phthisis, est totius corporis ex ulcere pulmonum tabes, cum Hectica febri; sæpe cum tussi, sanguinis, aut puris excretione. Tres Phthiseos ponuntur gradus. *Primus* est in quo Extabescentia vix animadvertitur. *Alter*, quando partes carnosæ & pingues evidenter extenuantur. *Tertius*, qui insanabilis judicatur & ossa vix cute teguntur, ideoque sensim sensimque extenuantur atque pereunt. Fit vel casu, vel ex contagio aut Hæreditate. De causis id *Institutionibus*, ut & præcedente capite.

Phthisis.

In principio facile curatur; in secundo gradu vix ulla spes reliqua: ast in tertio rarissimè aut nunquam curatur. Si fœteat saliva, capilli decidant, aut Diarrhœa superveniat, signa sunt lethalia.

Succis

Succis enim omnibus corruptis, omnis spes reliqua inanis; & ob eam rationem Phthisis hæreditaria raro curam admittit.

Curandum primo ut Symptomata mitigentur, ut Tussis molesta, & nocturna, excreatio difficilis, respirationis difficultas, sudor nocturnus, diarrhœa &c. deinde ut sanguinis mixtura corrigatur, ac motui debito restauretur. Deinde ut materia purulenta excreetur, ulcusque consolidetur. Tertio ut optima diæta vires restituantur. Optimum est quotidie inculpabilem conficere chylum, ex cibis citò nutrientibus, uti sunt ova sorbilia, pullorum jus, aut etiam vitulorum aut vervecum. Jus Herbarum ex Cherefolio, Betâ, Malvâ, Urticâ, &c. Puls ex orizâ; placentâ lacteâ vel ex chærefolio; pulticulâ, ὠόγαλα, caro perdicum, leporum, amygdala, perca, porculus, lucius &c. prosunt vitulorum pedes cum passulis.

Ut pus elutrietur *bechica* sunt adhibenda, & vulneraria ut ulcus detergatur ac sanetur. In hoc casu apprime conducunt *Balsamum Sulphuris*, *Tinctura Sulphuris*, *Succini*, *Croci*, &c. consolidando singulis diebus devorentur quinque aut sex Pilullæ ex sequentibus.

Recipe Terebinthinæ Venetæ coctæ, *unciam semis*.
Balsami copaybæ, *drachmam unam*.
Pulv. Glycyrhizæ, *quantum sufficit*.
Misce fiant Pilulæ parvæ.

Hæ constant ex particulis ramosis & volatilibus, quibus sanguinis obtunditur acidum, nam acidæ cuspides à ramosis circumvolvuntur, & hoc modo quasi in vaginis teguntur: porro cuspides pungentes in poris alcalicis figuntur: atque hoc modo sanguis ab hoste liberatur, fluidior & motui circulari aptior fit: remoto itaque hoste, reliqua per se consolidantur. In hoc *caphura* plurimum est æstimanda, multum enim continet salis volatilis oleosi, & tam copiosè, quam mihi in ullis vegetabilibus notum. In pueris Junioribus plurimum valet chelidonia major.

TINCTURA SULPHURIS NOSTRA SIMPLEX.

Recipe Vini canarini, *libras duas*.
Florum sulphuris, *uncias sex*.
Digerantur leni calore viginti quatuor horas. Prodest plurimum, si in pectore non sentiatur calor ut quibusdam fit. Cochleatim sumatur, vel

Recipe Pulveris Chocolatæ, *uncias duas*.
Enulæ companæ, *unciam semis*.
Spiritus Terebinthinæ, *drachmam semis*.
Caphoræ, *grana quatuor*.
Tinct. Sulphuris simplicis nostræ, *quantum sufficit*.
Misce fiat conditum. vel

Recipe Spir. Hederæ terrestris,
Liliorum convallium, *ana uncias duas.*
Salis volatilis Oleosi, *unciam semis.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Croci, *drachmam semis.*
Succi Glycyrhizæ, *quantum ad dulcedinem sufficit.*
Misce detur cochleatim. vel,

Recipe Florum Sulphuris, *drachmas duas.*
Antimonii diaphoretici, *drachmam unam.*
Croci, *scrupulum unum.*
Oculi cancri, *drachmas tres.*
Succi Glycyrhizæ, *uncias tres.*
Balf. peruviani, *guttas viginti.*
Spir. Vini Camphorati, *quantum sufficit.*
Misce fiant Trochisci.

Apprimè conveniunt decocta ex sassafras, Guajaco, Chinâ, salsâ parillâ &c. quibus adjungi possunt vulneraria & pectoralia dicta. Si causa sit ex stomacho viscidis humoribus irritato, Emetica conducunt. Vitriolata, acidulæ, saccharata, mellita pulmonibus phthisi affectis, aliisque partibus tabe laborantibus, summè nocent.

Convenit aliquando potus chocolatæ, nam, quia constat ex Particulis balsamicis præsertim propter vanilios (vulgo *Banieljes.*) hisce non tantum ulcera deterguntur, sed & acidum involvitur, atque insuper nutrit. Theæ quoque aut Coffeæ usu, multa salium peregrinorum spicula per urinam deponuntur, uti & per diaphoresin.

In India orientali commendatur imprimis potus qui Lusitanis vocatur *Vin de palmes* & Indis *surie*: qui matutino & vespertino tempore potatur. Sed hic loci sorbent lac caprinum recens mulctum, quod bene nutrit. Vin de palmes.

VOMICA, est pulmonis ulceratio, quæ in principio absque ullis signis communiter fit. Primo tussi sicca, postea humida, quæ propter diuturnitatem morbi, respirandi difficultatem inducit; corpus tum sensim extenuatur, neque tussiendo rejicitur pus neque sanguis. *Causa* abscessus, est in pulmonibus ipsis vel in quavis aliâ parte, nam ex aliis partibus sæpe pus una cum sanguine in pulmonibus deponitur, ibique in vesiculis pulmonalibus hæret, vicinasque partes corrumpit. Sit ut sit, materia hæc in Principio acris non est nec rodens: sensim tamen ob succos continuò affluentes materia augetur, & cellula ista dilatatur, ita ut pus in Vesicâ videatur collectum, quæ tussiendo non ejicitur, quia ab omni parte conclusa est: sensim tamen aliquo modo convellit vicinas membranas aut nervos, hinc tussicula sicca. Sanguis præterfluens à purulentâ materiâ continuò inficitur, exinde accedit febricula; quâ corpus contabescit. Propter obstructionem Tracheæ ramuli obstruuntur, unde dyspnœa. Non vacat periculo, nam rumpente aut nimis premente Vomicâ, Mors subitò invadit. Si per tra- Vomica.

cheam extussiri possit illud purulentum, spes affulget. Facile in Phthisin incidunt ægri, sed plerumque ægri moriuntur. Medici, quamquam intelligunt sæpe, tamen nunquam ægris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, cum ad prædictionem cautio adjungitur.

Annitendum ut materies extussiatur, deinde ulcus detergendum & consolidandum, In hoc casu præstat *Terebinthina*, *Balsamum copaivæ*, *Peruvianum*, *Balsamum sulphuris*. *Tinctura croci*, & *sulphuris*, spiritus *Hederæ terrestris*, omnia *Acidum Temperantia*, *Bechica* &c. de quibus mentio in curatione Pleuritidis & Asthmatis est facta. His adjunge omnia Vulneraria, ut *Aristolochiæ* species. *Veronica*, *Betonica*, *Alchimilla*, *Sanicula*, *Pyrola*. *Crocus*, &c. Potus Theæ, Coffeæ & Chocolatæ, uti & lactis non nocet.

Ad respirationem læsam præcipuè pertinet *Suffocatio*: impedimenta sunt removenda: si quis se ipsum suspenderit, is solvendus, vena aperienda, ut sanguinis circulus iterum in motum reducatur: artuum frictiones ut & spinæ dorsi sunt instituendæ præsertim cum vino penetranti; sumat quoque haustum spirituosi alicujus liquoris: novi exemplum (ut alibi relatum nisi fallor) judicis jussu suspensi, qui, postquam aliquandiu suspensus fuerat, atque pro mortuo habitus, phlebotomia instituta, in vitam fuit revocatus.

Si in faucibus hæreant boli, ita ut fere videantur suffocari, tunc facies livet, idque ob venas compressas, tum acantabolo seu balenâ cui in cuspide spongia affixa est, detrudendi sunt, si potu descensus promoveri nequeat.

Sin ab assumptione spiritus salis armoniaci, aut spiritus vitrioli suffocatio imminet, aqua vel cerevisia recens prodest, quia vis illa temperatur, & frangitur.

Si sanguis in pulmonibus stagnat, ut in subitaneo terrore, febribus corpulentorum, &c. Venæ adhibeatur sectio, ut sanguis cursum circularem servet: alias in terrore aut gaudio effuso soleo θώρηξιν propinare, ut serventur vires.

Quam primum quis aqua suffocatus videtur, statim ante focum ejus corpus ab uno latere in alterum est volvendum, & concutiendum, ut aqua pulmonibus exeat, interim aspergenda facies vino, quod & naribus admoveri debet, idemque calidè cum aromate sumat: deinde si ad se redeat, æger lecto committendus, & sudor provocandus. Si vix ad se redeat, vomitorium per siphonem œsophagum injiciatur: Si vomitus sequatur bonum, si vero non, malum.

Si ex prunarum aut carbonum effluviis, aëre recenti opus est: cum anno 1670 Franequeræ Medicinæ fundamenta jaciebam, erat mihi cubiculum mediocre, sine camino aut aëris ventilabro, jubebam famulum mihi apportaret ignitabulum, omnibus clausis, brevi post videbar in vertiginem verti, & colores ante oculum fiebant ποικιλοι. Animadvertens hæc, quoad potui aperiebam januam, & pene præ anxietate de gradibus cecidissem, nisi famulus qui aderat, me prehendisset: ad me, ob recentis aëris haustum rediens, fenestras aperiebam, ignem removebam: atque sic suffocationem evitavi. Ob ignis & carbonum effluvia in Ecclesiis aliquando syncopen & lipothymiam patiuntur mulier-

mulierculæ, quæ recentem aërem intrantes ſtatim vires recuperant. In cryptis ſubterraneis aut altiſſimis puteis, etiam acceſſu aëris novi reſtituuntur: in hoc caſu facies vino rhenano, aceto, aut aqua frigida eſt aſpergenda.

Si *Suffocatio* ſit *convulſiva*, uſurpanda veniunt, quæ ſolemus, in motibus epilepticis & Hyſtericis dictis, præſcribere.

VI. CAPUT.

DE SYNCOPE, LIPOTHYMIA, ECLYSI; CORDIS PALPITATIONE AC TREMORE.

SYNCOPE eſt magna virium debilitas; gradus numerantur vulgo tres. Primus dicitur ECLYSIS quando quis nonnihil debilitatur, ita ut officio adhuc fungi poſſit. Latinis *diſſolutio* Secundus eſt LIPOTHYMIA ſive DELIQUIUM, quando ægri ferè in terram proſternuntur. Tertius eſt SYNCOPE ſive DEFECTUS, quando coguntur in terram proſterni aut decumbere: hisce accedit ASPHYXIA, cum pulſus deficere videtur. Per ſe veniunt, vel ab alio morbo originem habent. *Signa* ſunt puſillanimitas, ideoque imbecilles, fœminæ, &c. hiſce magis corripiuntur, præſertim inſtantibus menſibus: derepentè ſæpe paroxyſmus eas invadit. Adeſt animi perturbatio, ſudor frigidus, debilis pulſus, Extremitatum frigus, faciei pallor, gravitas capitis, &c. *Cauſa externa* eſt vel *interna*. Externæ ſunt conſternatio; gaudium effuſum; Faſtidium alicujus rei viſæ, auditæ &c. averſatio alicujus odoris, ut Moſchi, Pomorum, Roſarum, Fætoris, ira &c. ob nervorum cardiacorum convulſionem, ſpiritus deficiunt; vel uti in gaudio vel irâ citiſſimè effunduntur, ita ut brevi generari iterum è ſanguine nequeant. Iſtis itaque contractis nervis, atque ſpiritibus deficientibus, ceſſat motus ſanguinis periodicus: hinc totius corporis ECLIPSIS, quæ gradibus differt, hinc illa nomina diverſa: nam circulatio magis vel minus ceſſare poteſt. Porro quia ſanguis per pulmones & cor meare nequit, fit ſtagnatio quædam, quia liquor tenuis ex cute exprimitur, unde ſudor frigidus: & ob eandem ſtagnationem extremorum frigus, quia influxus ille calidus nunc ceſſat. A carbonibus accenſis idem fit, ſi in cubiculo clauſo accendantur, ſed ille defectus commodè ad Apoplexiam refertur. *Cauſæ internæ* ſunt cogitationes graves, vires debiles, febres malignæ, ſtomachi convulſiones, aut cordis, aut arteriarum cor ingredientium, quod in menſtruis ſupreſſis non raro evenit, aut liene malè diſpoſito, vermibus, &c. Sic nimius eſus, Hypercatharſis, larga ſanguinis emiſſio, longa inedia, &c. Hiſce cauſis etiam ventriculi ac per conſequens cordis nervi contrahuntur, ita ut ſanguinis circulus retardari cogatur. Proxima itaque cauſa eſt vel convulſio partium, quâ circulatio non procedit: vel eſt per ſe tarda circulatio, quâ ſucci circumduci nequeunt.

Syncope. Eclyſis, lipothymia. Aſphyxia.

Morbus iſte periculo non vacat, nam ſi diu duret, tunc circulus ſanguinis non tantum ceſſat, ſed omnes ſucci incraſſantur; quibus condenſatis, cada-

ver relinquitur: animalium enim vita consistit in celerrimâ sanguinis circulatione. Si æger ab haustu vini, aspersione frigidæ, sternutamento, &c. non reficiatur, lethale est. Si à purgatione, venesectione, metu, Tristitiâ, &c. proveniat, non tam periculosum est, si in tempore media adhibeantur.

Medicamenta hic adhibenda sunt, quæ constant ex sale oleoso-volatili ac penetrante, uti sunt omnia aromatica ac spirituosa: quædam etiam ex alcalicis constant, ad acidum domandum. Penetrantibus illis statim circulatio promovetur, & tunc statim reficiuntur ægri. De quibus in *Institutionibus nostris.* Hæc medicamina vocantur, *Cardiaca*, seu *Cordialia*, sed potius sanguinem & succos reficiunt, nam cor caro est, uti omnes musculi.

Cum veniat ab aëre suffocativo, uti in Ecclesiis, aliisque congregationibus magnis, aut à carbonibus, aspersio aquæ frigidæ in faciem juvat: aut vinum rhenanum vel acetum vini naribus admovetur; vel ori vinum Rhenanum infundatur. In hoc casu nihil melius est quam frigida & acida spirituosa, quia particulæ suffocantes hamatæ sunt, quæ statim acidas acutas præhendunt, atque sic recenti aëri datur introitus. Si, ægri aërem recentem intrent, statim reficiuntur. Accedente hoc symptomate, tunc in pulvinaria decumbat oportet supinus.

Si ob acre in ventriculo fermentum acidat ut in Bulimia, Vini meri haustus præstat: & in plurimis Tabacum, quia propter tenues particulas, acidum temperatur, vel saltem è ventriculo eluitur. Quidam pane vescuntur vino intincto. Porro ne paroxysmus redeat, cibi boni succi sunt sumendi. Si ex morbis Hystericis aut lienis, &c. proveniat, tunc *Curatio* instituenda pro morbi indole. Si ex Veneno, sero sæpe medela adhibetur: dato lac dulce, in tempore: aut cerevisiam cum butyro aut oleo, adde Theriacæ, *drachmas duas.* Deinde vomitu peracto, sudatio est instituenda. Si veniat à Venesectione aut Purgatione, ægri *Vino*, *aquâ cinamomi*, &c. reficiendi, & cibis restaurandi; deinde quieti componendi, sumendo nonnihil *Theriacæ*, aut *Laudani opiati.* Si à terrore, irâ, gaudio effuso, statim vena tundatur, quia circulatio aliquando cessat, & hoc modo iterum restituitur: Verum si sudatione aut vini generosi hausti restitui possit, quemadmodum potest, melius esset. Sin veniat à nimiâ sudatione, ægri sunt aquâ frigidâ aspergendi: & roborantia sunt usurpanda, ut *vinum*, *Caryophylli*, *cinamomum*, *spiritus vini*, &c. ut circulatio iterum promoveatur. Formulas quasdam adjungam roborantes, ut:

Claretum Cinamomi.

Recipe. Cinamomi, *uncias duas.*
Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Zingiberis, *scrupulum unum.*
Spir. Vini rect. *libras duas.*

Infundantur aliquot dies in vitro clauso, materiam aliquando agitando: colatur

jaturæ adde *facchari candi*, libram femis, *Aquæ rofarum*, libras duas: adde infuper *Ambræ Grifeæ*, grana decem, *Mofchi*, grana quatuor. Servetur ad ufum, & detur cochleatim. vel

TINCTURA FRAGORUM.

Affunde quantitati *Fragorum* tantum *Vini fpiritus*, donec quatuor digitos fuperemineat. Exponatur mixtura aliquot dies folis radiis, deinde exprime, materiæ expreffæ nova fraga injice, atque hoc fexies repete. Deinde ufui ferva; cochleatim fumi poteft fine aut cum additione.

VINUM CERASORUM NIGRORUM.

Succus cerafòrum nigrorum fermentetur, fingulis libris adde unciam unam *facchari albi*. coletur per manicam Hippocratis.

ALIUS MODUS.

Affunde *cerafis nigris* fufficientem *fpiritus vini* quantitatem; fingulis libris adde *Caryophyllorum*, drachmas tres. *Sacchari albiffimi* uncias duas: fiat aliquot dierum infufio, tunc liquorem habebis fummè roborantem.

Hifce annumera *Tincturam Cinamomi*, *Caryophyllorum*, *Mofchi*, *Ambræ Grifeæ*, *Elixir Citri*, *Spiritus Liliorum convallium* & *Florum Aurantiarum*. *Sal volatile oleofum*. vel

Recipe Olei Caryophyllorum, *Guttas fex*.
Cinamomi, *guttas duas*.
Alcohol vini, *unciam unam*.
Mifceantur. Adde
Vini gallici, *uncias duas*.
Detur ufui; vel

Recipe Spiritus liliorum convallium, *unciam femis*.
Aquæ Rofarum, *uncias duas*.
Mifce. vel

Recipe Vini Hifpanici, *uncias quatuor*.
Salis volatilis oleofi, *drachmam unam*.
Mifce.

Quidam hifce & fimilibus curari non poffunt, verum aceti odore indigent, vel vini rhenani, aut aëre recenti, aquæ frigidæ afperfione, ut ante dictum: itaque caufæ funt refpiciendæ. Aliquando fola cingula lumbis adhibita, folamen adferunt, præfertim fi ex Hyfterica paffione originem habeat. Sic etiam aromata funt refpicienda; quidam *Cinamomum* ferunt, alii non: quidam *mofchum*, &c. averfantur, alii iterum amant.

Fabri lignarii trimestris infans, alias sanus & bene dispositus, cum mater cum eo luderet ante focum, subito moritur.

Cadáveris subitò demortui Anatome.

CAdavere dissecto dexter thalamus Sanguine coagulato plenus erat. Cætera Sana inventa.

Inter ludendum proculdubio infans risit, unde infantibus convulsio: partes enim totius corpusculi flaccidæ admodum sunt, quo, ad quemvis motum immodicum Epileptici fiunt. Nervi non consueverunt nisi modicè moveri, unde si nimis moveantur, statim cerebrales succi deficiunt, qui alias in promptu erant ad tardè movendum, hinc istius laticis ἔκλειψις: postea à Viscidioribus particulis obstruuntur, & vitam cum morte mutant.

Hac convulsione porro factum est, ipsum cor ejusque vasa appendentia adeo contraherentur, ut Sanguinis circumductio prohiberetur unde mors; quod interim Thalamo dextro inhærebat, coagulabatur, quod sæpe in demortuis fit. Videantur quædam exempla apud doctiss. Virum C. *Stalpart Van der Wiel.*

Miles generosus ab alio ad pugnandum irritatus, sub mammilla sinistrâ usque in substantiam cordis digladiatur; à pugnando tamen non cessabat, sed hostem fugientem ducentis passibus insequebatur, tandemque animam eodem in loco dabat.

Cordis Vulnus.

THorace post obitum dissecto, vulnus digitum indicem admittebat, ac plurimum sanguinis effusi supra diaphragma visebatur.

Cor dissectum habere, præsertim si vulnus in ventriculos penetret, lethale; quia sanguinis circumductioni fons est cor. Læso quippe corde, effunditur Sanguis in thoracis cavitatem, qui alias per arteriam magnam in universum corpus vehi oportuerit: & effuso sanguine, convulsoque corde, vita desistit. Sed fugientem Hostem aliquot passibus insecutus est, quia pauco tempore omnis sanguis ex vulnere effundi non potuit.

Quatuordecim annorum virgo, sæpius antea vomitu humoris viscidi, semel aut bis in die idque potissimum cum è lecto surgebat, aliquando cum cardialgiâ, afficiebatur. Dolor aderat in sinistræ scapulæ parte altiori & brachii summitate, qua humero jungitur. Postea diarrhæa cum febri correpta est. Pulsus sæpe intermittens: dolore in lævâ parte fixè permanente, non poterat in illud latus decumbere, quin ilicò cardialgia & tussis eam invaserit. Tussis sicca non semper, sed per intervalla. Flatus ἄνω & κάτω aliquando mittebat. Somnus ferè nullus; urina pallida & crassa. Et, quamvis hæc aliquoties exacerbabantur, nonnunquam remittebantur; tussis cum respirandi difficultate per-

ma-

manebant. Tandem Hæmoptysi spumosa subitò correpta, subitò extincta est.

APerta thoracis cavitate, pulmones albidi costis utrinque & diaphragmati undique adhærentes: Cor fuit coloris albicantis & media fermè sui parte, quæ diaphragma respicit exesum, ulcerosum & putridum. In pericardio nullus latex. Cordis ulcus.

Neque oculorum ὀξυδερκία neque mentis τέκμαρσις Virginem hanc cordis abscessu laborare, divinasset. Ita sæpe eludit ars magistrum. Ex omnibus Symptomatis liquet eam fuisse scorbuticam, hoc est, acido & viscidis humoribus abundantem, unde ex saburra ventriculi irritans vomitus, cardialgia, tussis, flatus, & sexaginta alia. Vomitus concitatur, cum ventriculus ejusmodi materia acido viscida saburratus sit: propter tenacitatem facile per pylorum non expellitur: unde ob particulas acutas ei inhærentes ventriculus ad vomitum concitatur. Ita nervis ventriculi cum cordis nervis communionem habentibus, cardialgia paritur. Pituita ista seu pigri humores hoc statu permanere non potentes, tandem etiam ut in ventriculo, ita in intestinis motus convulsivos concitarunt: unde diarrhæa seu alvi fluxus, qui non aliundè venit quam ab aucto motu peristaltico. Lenti humores sæpè alcalicis particulis & acidis abundantibus, si alibi morentur, effervescentiam ineunt, eosque humores in bullas elevant, quibus ruptis, flatus excitantur.

Obstructis & irritatis pulmonibus tussis & respirandi difficultas: ruptisque vasis sanguis cruentus. Nervis cardiacis cum nervis plexus inferioris paris vagi, imo cum cervicalibus ac intercostalibus communem nexum habentibus, dolorem in scapulæ parte persentiscit. Cordis ulcus ob cardialgiam cæteraque symptomata non animadvertit. Quis (proh superi, quantum mortalia pectora cæcæ noctis habent?) de cordis ulcere ex his symptomatis somniasset; nam quoad morbi αἰτιολογίαν non patebat.

Virgo bis decem annos nata, à longo tempore pulsu intermittente, ejusque inæqualitate laboravit, qua tandem obiit. Post pulsum intermittentem, mors.

INspecto thorace, ulcus in corde fuit, quo cor fermè ad dimidium consumptum fuit.

Impedito à motu corde; etiam arteriæ laborant, nam quo ritu sanguis è corde effunditur, eodem modo ab arteriis accipitur: si cor convulsionibus, ut hic, tentetur, arteriæ obedientes, eundem sequuntur motum.

Mercatoris filius quinque annos natus, sæpe pulsus inæqualitate vexatus, interiit. Eadem observatio.

AUricula cordis dextra, multo quam solet major, materia quadam mucosa, dura & concreta, nuci ferè juglandis similis referta.

Rusti-

Rusticus quadraginta & quinque annos natus, plaustri, fœno onusti, eversionem ruinamque in se passus, de punctorio; simulque gravativo doloris sensu in pectore, nec non de cordis quadam compressione & respirandi difficultate, quæritur. Thoracis Vertebræ, quæ citra ullam costarum fracturam contortæ & subluxatæ conspiciebantur; levi negotio fuerunt restitutæ, ipseque ægrotus post quatriduum adeo levatus, ut ad consuetos labores redierit. Verum aliquot elapsis diebus ardenti febri conflictari cœpit, cum asthmate, deliratione, vigiliis perennibus, siti maximâ, genarumque rubore, & lipothymia sibi mutuò succedentibus: ita demum undecima morbi die (cum præsertim à vini usu non abstinuisset) vitam finivit.

Cordis vulnus. Pericardium pure repletum.

AD aperto cadavere, Pericardium pure sanioso scatebat, cui velut immersum Cor, magno sui parte ad utramque potissimum auriculam partim exesum, partim etiam marcidum visebatur: quinimo contagium supernam sinistri ventriculi regionem jam invaserat: insuper & ab ipso corde, saniosa quædam materia exiliit; pulmo ejusdem labis particeps.

Ab hoc onere gravissimo, non mirum vascula quædam, internam Pericardii partem, respicientia rupisse: liquor jam stagnans tandem putrefactus, ipsum quoque Cor invasit. Circulatione hoc modo impedita, respiratio difficilis oriebatur, cui aderat lipothymia, nam vix ulli cerebrales succi ad Cor perveniebant. Sanguine quoque restitante, febris; nam acidum & alcali occasionem habebant mutuò pugnandi. Particulæ acres, cerebrum vellicantes & vigiliam & delirium pepererunt.

Studiosi duo, altercationibus subortis, cultros stringunt, unde unus inter tertiam quartamque costam vulnus alteri sub sterno inflixit. Læsus non tantum domum ivit, sed ferè ad quinque dies supervixit.

Officulum in corde.

CAdavere aperto, Cor obliquo & angusto foramine læsum fuit.

Non mirum læsum per aliquot dies superstitem, cum omnis sanguis ob angustum vulnus, non potuit tam citò elabi, verum si amplum & magnum fuisset, statim animam creatori reddidisset.

Cadavere alicujus nobilissimi viri dissecto, in cordis sinistro thalamo officulum triangulare repertam. Folliculus quoque fellis calculis turgebat, ut & renes.

Palpitatio cordis.

PALPITATIO CORDIS est durus ac coactus cordis motus, qui externè non tantum manu sentitur, sed & pulsus vehemens conspicitur, imo nonnunquam auditur. Causas vide in *Institutionibus nostris.*

Raro sanantur, quando in corde officula, cartilagines, vermes, sanguis coagulatus, polypi &c. continentur. Verum si originem ex sanguine incrassato,

to ; uti in lienosis, cacochymicis, scorbuticis, &c. habeat: spes affulget. Si in cordis palpitatione aliquando pulsus sensim remittatur, sæpe imminet syncope & sine vitæ periculo non est.

Si sit incurabilis tunc palliativè incedendum, quantum fieri possit. Si suffocatio aut syncope ex sanguine coagulato, &c. imminere videatur, ægro phlebotomia succurrendum, liberior nempe ut fiat sanguinis circulus. Si ex convulsionibus, spasmodica sunt applicanda. Si ex sanguine incrassato, tunc moliendum ut attenuetur per temperantia, per salia volatilia oleosa. Sequentia usui veniant oportet. ut

Recipe Aquæ Hyssopi,
Vitæ Matthioli, *ana uncias duas.*
Tincturæ Chalybis, *unciam unam.*
Elixiris Proprietatis,
Spiritus urinæ, *ana drachmam semis.*
Laudani Opiati, *granum unum.*
Olei Caryophyllorum, *guttas quatuor.*
Misce. vel

Recipe Aquæ Petroselini,
Fœniculi,
Menthæ, *ana unciam unam.*
Vitæ Matthioli, *sesquiunciam.*
Spir. Salis Armoniaci, *drachmam semis.*
Cochleariæ, *unciam unam.*
Olei Macis stillatitii, *guttas quinque.*
Laudani Opiati, *granum unum.*
Misce, vel,

Sume Spiritus Cochleariæ, *uncias decem.*
Salis volatilis oleosi, *uncias duas.*
Misce. vel,

Recipe Tincturæ Croci *unciam unam.*
Castorei, *drachmas duas.*
Ambræ grifeæ, *drachmam unam.*
Misce.

Suspendatur nodulus de collo, circa cordis regionem, ex *Caphora*, *Castoreo*, *assafœtida*, &c.

Hæc & similia si quotidie in usum vocantur, non parum emolumenti adferunt. *Pilulæ ex gummi Ammoniaco*, martis vitriolo &c. usu veniant oportet.

Iuvenis 20 circiter annorum, corpore gracili & macilento, aliquot annos CORDIS PALPITATIONE *afflictus erat, ita validâ, ut costæ loco debito excederent; extuberantia enim in latere sinistro evidenter conspiciebatur, quam si manu tangebas, fortiter admodum cor insiliens sentiebas; interim tamen arteria-* Cordis palpitatio, ejusque anatome,

rum pulsus in carpis erat admodum debilis. Porrò post quemvis motum celerem, statim anhelus fiebat, & cordis Palpitatio augebatur cum virium deliquio. Postea curru longum iter fecerat, Paroxysmus ingravescebat, cum crebris lipothymiis, atque cum frigore partium extremarum, diem obiit.

Cadavere aperto, erat cor tumidum, præsertim dexter ventriculus, qui solitò major, & sanguine coagulato turgens: latusque musculare valde incrassatum erat atque robustum. Coagulato quoque sanguine vena & Arteria pulmonalis turgebant. Vena quæ sanguinem in ventriculum sinistrum fert, erat cartilaginea, & intus feré occlusa, quo obstaculo sanguinis in eum cursus ferè denegatus fuit.

Causa hujus palpitationis manifesta est, omne enim malum ab occlusione venæ pulmonalis dependebat. Cum enim sanguini per cordis sinistram cavitatem liber transitus non patescit, in cordis ventriculo dextro ac pulmonibus, eorumque vasis certè stagnare cogitur; & per consequens novimus sanguinem stagnantem coagulari, hinc sanguis grumosus & coagulatus ortum habuit, imo & cordis vasorumque pulmonalium intumefactio, præsertim dextri ventriculi, qui & magis muscularis, crassus & robustus erat, quia occlusa vena pulmonali fibræ cavitatis dextræ eo fortius sanguinem in pulmones propellere debebant, hinc vis istarum aucta fuit, & fibræ magis magisque distentæ, ut illi qui à juventute continuis laboribus assuescunt, robustiores, & magis torosi fiunt, quam qui delicatiori vita fruuntur.

Facilè quoque percipimus, quare cor tam vehementer costis allidebatur, ac costæ extrorsum protrudebantnr, hoc quippe factum fuit à motu cordis fortissimo, nam cum sanguis venam pulmonalem subire non poterat, motus quasi duplicabatur, quia sanguis se reflectere cogebatur.

Ad quemvis motum concitatiorem anhelus fiebat; ex eo quod sanguis tunc celeriori motu per pulmones concitatus, ibidem gradum progressionis sistebat; atque hoc modo, impletis à sanguine stagnante pulmonibus, aëris introitus excludebatur, & anhelus fieri coactus fuit.

Arteriarum pulsatio in manuum carpis admodum remissa fuit, non mirum, nam ex cordis sinistro Thalamo paucum sanguinis exiebat, unde & succi cerebrales pauca quantitate in cerebri glandulosa parte segregabantur, qui & elater pulsuum, omniumque actionum in humano corpore sunt.

Morte tandem appropinquante, sanguis ferè in pulmonibus fixus stagnabat, quare & partium externarum frigus oriebatur, nec non lipothymiæ crebræ.

Civis quidam quinquagenarius de dolore continuo capitis & circa scapulæ dextræ regionem queritur, imo de tussi ac palpitatione cordis, atque his aliquot mensibus vexatus fuit.

Alia. APerto cadavere, hepar erat scirrhosum; lien ex obstructione solito major. Pectus humore lymphatico plenum fuit: pulmonis dextra pars ferè absumpta, & sinistra magnoperè inflammata. Pericardium haud mediocriter dilatatum pu-

puris & saniosi sanguinis ultra quatuor libras continebat. Cor læsum non erat nisi superficie tenus.

Quid obstructiones ex acido & viscidis humoribus faciant, in superioribus plus semel dixi. Ex hepatis scirrho & lienis intumescentia, pulmonisque dextri consumptione, liquet, liquores per universum corpus circulari ductu liberè vehi impotentes, in iis visceribus moram contraxisse, ex mora corruptio, inflammatio, dolor, tussis, cæteraque symptomata. Prima humanæ sapientæ laus est, valde similia posse distinguere. Quis Apollo Hydrocardiam divinasset. Est procul à nobis sæpe præsentia veri.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Post mortui cadaveris ἐπίσκεψιν pectus & pericardium, ex ruptis ab obstructione lymphaticis, lymphâ corruptâ plenum. Æger, cum in vivis esset, de destillatione frigida ad latera colli in pectus querebatur. Num ex cerebro, cujus dolore molestabatur, per membranarum intercapedines, liquor ibi restitans in pulmones & pericardium descenderit nec ne, dubium cum viæ non pateant. Fortasse leves nervorum convulsiones fuerunt.

Humores in pericardo collecti, suâ acrimoniâ ipsum cor affecerunt, unde sæpè in palpitationem incidit. Imo ob copiam collecti in pericardio humoris, cordis latera adeo compressa, sanguinem demittere non potuerunt, quod sæpe fit, cum sanguini liber transitus per cordis thalamos denegatur; nunquam quis in palpitationem incidit, nisi in corde vel circa ipsum, obstaculum sit: quod ex inspectis cadaveribus semper manifestum est.

Vir nobilis post naufragii terrorem queritur de palpitatione cordis ipsum ab aliquot diebus infestante: pulsus ei continuo inæqualis. Cum hoc symptoma diu perseverasset in difficultatem spirandi incidit. Postea omnibus in pejus ruentibus, pulsus in carpo nullus; at supra regionem cordis frequens, debilis admodum & inæqualis: crura & pedes inflati. Ante mortem sanguinem nigerrimum, crassum & glomeratum excernebat. Æger, ad extrema redactus, moritur.

Visceribus perscrutatis, cordis uterque thalamus concreto sanguine distentus: imo ipsi pulmones plurimo sanguine referti. In sinistrâ cordis cavitate carunculæ satis magnæ inventæ, substantiam pulmoum æmulantes quæ arteriam magnam obstruebant. Tertia.

Post Terrorem sæpe coagulatur sanguis, qui in pulmonibus & corde hærens ejusmodi symptomata concitat.

Virgo bis decem annos nata, à longo tempore pulsu intermittente, ejusque inæqualitate laboravit, quæ tandem obiit.

Inspecto thorace, ulcus in corde fuit, quo cor fermè ad dimidium consumptum fuit. Post pulsum inæqualem mors & anatome.

Impedito à motu cordc, etiam arteriæ laborant, nam quo ritu sanguis è corde effunditur, eodem modo ab arteriis accipitur: si cor convulsionibus, ut hic, tentetur, arteriæ obedientes eundem sequuntur motum.

Nullo quidem nomine ortus quidam, à tribus annis in palpitationem cordis incidit, qui, cum nimium laborando se fatigasset, magis exacerbatur.

Post cordis palpitationem cordis, anatome.

POst obitum, in aorta supra valvulas semilunares, tria corpuscula membranis tecta, invicemque unita, inventa, quibus sanguinis exitus præcludebatur. Ad ejusdem arteriæ ex corde exitum, infra unius præcedentis valvulam, osseum quid longitudine digiti transversi repertum.

Pauperis alicujus filius, annorum undecim ferè natus ab alto cecidit in pavimentum ligneum. Vomitus sanguinis per nares & aures effluebat, alias se bene habebat. Dolebat quidem continuò caput, sed nulla contusio aut vulnus, nec febris, ut solet, apparebant. Signis omnibus se benigne habentibus, morbus neglectus est. Mensibus quinque aut sex fere elapsis, colli vertebræ relaxantur, adeo ut caput erectum tenere aut erigere non potuerit. Relaxantibus interim dorsi ligamentis in cyphosin & morbum asthmaticum incidit. Femur dextrum vix movebat: Atheromata sub claviculis ab utroque sterni latere inveniebantur. Symptomatis exacerbantibus, loquela deficiebat. Interim Medicus vocatus collum in integrum & loquelam pro parte restituit. Sed postea inter jugulares venas & Tracheam, prope aurem sinistram tumor primo & deinde abscessus factus est: Cum aperiebatur, primis tribus diebus ultra sex libras puris effundit, idque cum levamine cephalalgiæ: sed vires quotidie magis magisque absumebantur. Postea alius abscessus ortus est, qui pus à colli parte interna in pulmones & œsophagum effundebat, hinc vomitus, nausea, & tussis cum respirandi difficultate. Et quamvis ulcus colli se bene haberet, periit nihilominus convulsivus.

Longe post casum ab alto Symptomata, quæ mors insequebatur; ejusque cadaveris anatome.

ABdomine inciso, Hepar scirrhosum & folliculus fellis prægrandis.

Pulmo visciditatibus scatebat. Arteria magna corde egrediens non tantum petrosa, sed ei tubercula calculosa nucis moschatæ magnitudine adnata erant. Ejusque rami sursum ascendentes iisdem calculis rigidi fuerant. Ipsaque trachea eadem materia gypsea obsessa fuit.

Tumoribus circa claviculas incisis, meri puris copia haud exigua pultis instar, extrahebatur; non sine costarum ac sterni carie.

In occipite similis substantia lapidea inventa est, eaque membrana intra crassam

crassam & tenuem meningem inclusa : & quantum videbatur in crassæ meningis duplicatura, nam ei tam firmiter adhæruit, ut non nisi vi avulsa fuerit. In cerebri cavitatibus lymphæ pellucidæ ultra duas libras inventum est.

Ob Vasorum sanguiferorum in naribus & cerebro à lapsu rupturam, facile percipitur, quomodo sanguis per easdem vias sese exoneraverit. A cerebro concusso, succorumque cerebralium motu ἀνομάλῳ orta nervorum, versus ventriculum, tendentium Convulsio, quæ *Vomitus* appellatur : is sæpe vulneribus capitis internis supervenit. Postea solum caput dolebat, quietis cæteris symptomatis : & hanc ob causam morbus neglectui habitus.

Sed unde dolor ? Ab effusâ scilicet materiâ, cum exitum nullum inveniebat, corrupta, meninges lædebantur, unde dolor perennans. Corruptum illud per occipitis foramen subsidens, non tantum nervorum par decimum, cervicis musculorum motorium, compressit, ne spiritus nervosi justo modo musculos irradiare possent, sed & ipsa medulla spinalis intra colli vertebras contenta, adeo gravata & compressa fuit ut paralysi relaxari debuerit : atque tandem subsidente in dorsum usque materia, etiam dorsi vertebræ corruptæ & relaxatæ sunt, unde *Cyphosis*, sive spinæ dorsalis versus posteriora incurvatio. Sic quoque ad ossis sacri regionem lumborumque vertebras descendens femoris nervi compressi, adeo ut paralysis etiam insequeretur. A Cyphosi asthmaticus factus, quia pulmones se liberè, ut solebant, movere non poterant. A materia in capite aucta etiam nonum nervorum par, quod linguæ motui inservit, pressum, mutus evasit. Erupit tandem materia peccans extra meninges vertebrarum cavitates investientes, unde intra jugulares venas & asperam arteriam & prope aurem sinistram tumor & abscessus, cujus apertura caput doloribus levatum : ex respirationis debilitate vires prostrati pus etiam descendens pulmones œsophagumque obruebat, & mordacitate sua & tussim & vomitum & nauseam cum respirandi difficultate excitavit. Viribus prorsus deperditis ob summam succorum acrimoniam etiam convulsivus obiit.

Ob humorum summam acredinem, sanguis corruptus & inspissatus, Hepatis machinam permeare impotens, eam obstructionibus imperviam fecit & scirrhositatibus obsessit : ita eandem ob causam folliculus bilarius bile petrosis particulis inspissata turgebat. Sic & pulmones materia purulenta obruta, vesiculæ respiratoriæ obstruebantur. Trachea & arteria magna corde egrediens, à succis acribus & salinis ita convellebantur, ut post factam obstructionem, in paralysin non tantum inciderint, sed materia obstruens ibi concreta est, & in dies sensim sensimque aggesta tandem tophos produxit. Tumores, è clavicularum regione, à pure deorsum per musculorum membranas ruente, nati, mordacitate sua costas & sternum carie infecerunt. Aperto cranio ex particularum salinarum intra meninges mora, calculi concreti sunt. Sic quoque multum lymphæ, inter meningum per vertebrarum foramina exeuntium vaginam, continuò depluentis, inventum : unde omnium in hoc ægro malorum fons, & origo.

Juvenis ab incunabilis gibbo cum asthmate laborans decimo quinto ætatis anno phthisicus periit.

Sectio gibbosi & phthisici.

APerto capite, crista galli, quæ septi instar os ethmodes in duos partes dividit, in latitudinem & altitudinem ita aucta fuit, ut totum os cribriforme obtegeret, ejusque foramina quasi obstrueret: imo post coctum cranium nulla cavitas in eo patuit. Officula porro maxillæ superioris, quæ canthum oculi majorem constituunt, ita accreverant, ut mirum non sit, frustula quædam vertebrarum in ipsis pulmonibus esse inventa, cum per se partim, partim à respirationis quasi tractu ut nasi septum fere attingerent. Ossa omnia præter consuetudinem tenera & prope instar ceræ mollia erant. Dorsi vertebra sexta, septima, octava, nona & decima, quæ gibbum constituebant, carie exesæ & in partes fractæ fuerunt, præsertim ab interna parte. Harum particulæ in ipsis pulmonibus à parte dorsi ulceratis, inveniebantur.

Quem non latuisset causa morbi: inest sæpe & incredibili verum, & in verisimili mendacium: ideoque medicina ipsis medicis nil nisi ratione utentibus conjecturalis est. Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur, inquit *Cous Hippocrates*: à præpostero partu sæpè infantibus contingit Vertebras luxari; unde, collabescente Thorace, pulmones comprimuntur, & respirandi actionem impediunt. Provectiori ætate, gibbo etiam accrescente, omnes membranæ, quibus pulmones vertebrarum regioni connectuntur, magis dilatantur, & vascula quædam interrepentia rumpuntur: ex quibus liquor stillat, qui reduci ineptus, ibidem stagnare cogitur, & corrumpendo vicinas partes, pulmones nempe & vertebras, corrumpit. Perceptu igitur difficile non erit, juvenem illum pulmones exulceratos, vertebrasque cariosas habuisse; cum ob membranarum conclusionem pus in cavitatem thoracis dilabi non potuerit, ideoque circa vertebras quasi in nido purulentum omne conclusum fuit. Atque sic mirum non est, frustula quædam vertebrarum in ipsis pulmonibus esse inventa, cum per se partim, partim à respirationis quasi tractu, in pulmones ceciderint.

Rogabit me quis, cur ante pubertatem, non moriebatur, secundum *Hippocratis* textum? Regero, adolescentem hunc fortasse pubertatis notam externam quidem habuisse, ast quoad coeundi potestatem (quæ propriè pubertatem facit) eum ad id opus ineptum fuisse, vero quidem simile est. Ejus impotentia, non tantum ex morbi dispositione, sed ex ossium teneritudine & mollitie apparet.

Structuram cristæ Galli in osse ethmoide monstrosam, nihil ad morbi genesin contribuisse, credo: nam per illud cribrum vasa sanguinea & nervi quidem excurrunt, sed per illud nihil humoris ex ventriculis cerebri in nares destillat verum omnis humor per infundibulum ablegatur.

Quod autem spectat ad maxillæ superioris officula, narium cavitates respiratorias præcludentia: respirationi quidem impedimento fuerunt, ast quia per os; liber in pulmones aëri aditus patebat, nihil aut parum huic morbo ansam dedisse credibile est.

Juvenis

Juveni cuidam in tribus prioribus costis brevibus gravitas producitur, unde flatulentia quadam œdematosa, deinde gangræna & caries secuta, ac postea mors.

APerto Thorace in Mediastini intercapedine multum puris continebatur. Similisque vomica ossis sterni interiori parti adhæruit intra pleuram, ubi Mediastinum affigitur: ita ut una cum altera commune iter haberet. Vomica in Mediastini intercapedine.

Abdominis quoque Viscera multo pure madida.

Ab illato ictu plurima, procul dubio, vasa lymphatica rupta fuisse credendum, unde lymphæ intra membranas effusio. Lympha interim concrescens, puris præbuit materiam.

Jecur pallidum & exsangue; adhærebat pulmo variis in locis pleuræ, pericardio & diaphragmati. In sinistra pulmonis parte ingens apostema, puris varii coloris quatuor libras continebat; præter hoc magnum plurimis in locis plura minora erant: item diversæ magnitudinis scirrhi. Apostema in Pulmonibus.

Valetudinarius quidam putabat sibi in pratis animalculum quoddam per os irrepsisse, & exinde tormina cæteraque symptomata subsecuta fuisse.

PRope lineam albam livida quædam excrescentia erat. In abdomen paucum seri non graveolentis erupit. Omentum parvum. Hepar prægrande. Folliculus fellis serosa bile distentus. In Thoracem multum lymphæ effusum. Pulmones maculis lividis variegati. Cor erat firmum, magnum & ponderosum: capacitas dextræ auriculæ plus solito capax. Arteria ad sinistrum ventriculum erat putrefacta. Officulum in Corde repertum.

Quidam nobilis annos natus quadraginta & quatuor, gracilis, pallidus, ad iram promptus, & per multos dies versatus in locis, ubi erant cadavera inhumata, conqueri cœpit, quadraginta circiter diebus, de dolore brachii sinistri, ab indicis punctura suborto, ac deinde sub axilla glandulosæ substantiæ communicatis, ubi & tumor non magnus, sed profundus, & dolor subortus est talis ac tantus, ut febri occasionem dederit, diu duranti, imo pluries repetenti, necdum cessanti, somnumque ademerit, nec non motum non totius brachii tantum, sed totius corporis impediverit, unde & virium labefactatio & corporis macies. Tandem circa vigesimum diem, tumore suppurato, abscessuque disrupto unciæ viginti saniei subcruentæ, liquidæ, fœtidæ inde effluxerunt. His denique symptomatis mitigatis, supervenit diarrhœa mate-

ria flavæ, & ad nigredinem vergentis, modo cum sanguine, modò cum pure.

Apostema in glandulis subaxillaribus.

APerto corpore, inventi sunt pulmones putridi, semicorrupti, ex vario colore nigricantes: jecur totum quasi in Apostema conversum: omnia denique viscera putrilagine erant infecta.

Non tam à læsa axilla, puncturave obiisse eum crediderim, quam ab infecto, à cadaverum fœtore, sanguine; continua enim respiratione particulas è cadaveribus emanantes exhausit & hoc ostendunt satis pulmones purulenti, cæteraque viscera putrilagine infecta.

Morbo admodum intricato quædam mulier correpta fuit, nunc enim palpitatione cordis, nunc dolore & torminibus ventris vexabatur: interim appetitus non multum prostratus fuit, ita ut pro more alimenta sumeret, quibus tamen parum nutriebatur. Tussiculâ quinetiam, palpitatione cordis, & difficultate respirandi laborabat. Cum circiter annos quatuor vitam sane calamitosam vixisset, ac sceleti ferè instar extenuata esset, paulatim stupore & frigore in sinistra manu, præcipuè circa extremitates digitorum, correpta est: Symptomata tamen hæc ab initio tam exigua erant, vix ut percipi possent: nec aderat tumor, multo minus inflammatio, imo nec dolor ullus. Interea tamen extremitates digitorum & tota manus paulatim & absque dolore sphacelata & penitus emortua est. Postea brachium ad cubitum usque, simul & digiti carbonum instar nigri erant, frigidissimi, & ita extenuati, ut ossa vix tenuissima cute obtegerentur; nulla tamen aderat inflammatio, neque dolor; brachium postea feliciter supra cubitum amputatum est: nihilominus tamen circa undecimam horam post brachii abscissionem, gangræna denuo truncum invasit, ita ut paucis post diebus è vita discederet.

Morbus intricatus pectoris, abdominis &c.

CAdavere dissecto, abdomen serosi humoris plenum & extensum erat. Mesenterium steatomatis multis scatebat. Sub vena portæ, & quidem in ipso pancreate scirrhus admodum magnus conspiciebatur. Hepar durum, pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat. Pulmo dextrâ parte materia purulenta ac fœtida; sinistrâ vero humore seroso, imbutus erat. Per totam pulmonis substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra, atramenti instar, contenta fuerat, conspiebantur. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diversi coloris, parvi tamen omnes reperiebantur. Cor sanguine plane exhaustum, extenuatum, ideoque valde diminutum & parvum erat. Vena pulmonalis in monstrosam amplitudinem extensa erat: nam humore aquoso fuit impleta.

Ægram hanc sanguinem habuisse admodum crassum, ex gangræna satis liquet: non enim ex inflammatione ortum habuit, sed ex sanguine in motu coagulato. Est mihi adhuc cognata, quæ ante aliquot annos sanguinem suum seroso lacte aliisque acetariis ita corruperat, ut postea in febrim incideret, non tantum ungues nigredine commaculabantur, sed iste color per integrum annum sub unguibus latebat: unde igitur iste color? nisi à sanguine, ibidem loci coagulato. Scribit *Thucydides*, cum pestis Athenis sæviret, præter alia symptomata etiam summas manus, summosque pedes invasisse: quibus nonnulli amissis liberabantur, Quomodo hoc aliter factum fuisset, nisi ex sanguine coagulato & corrupto, in manibus pedibusque restitante: & hoc accidit iis, qui frigidi temperamenti sunt.

Revera nutritionis particeps esse non potuit, quoniam Viscera abdominis omnia obstructa erant, imo ob Hepatis duritiem & scirrhositatem, bilis deficiebat, quæ toti sanguini balsamum existit, eique fluiditatem, corporique optimam διάθεσιν procurat: effluvia etiam à corpore decedentia maximâ ex parte à bilis copiâ dependent. Deficiente quoque bile, chylus manet crassus & viscidus, scirrositatesquè mesenterii glandulis, lienis item, Hepatis, pulmonis, aliarumque partium adfert: pulmonibus hoc modo obstructis, respiratio impedita fuit, ex humorum acrimonia, eorumque vellicatione tussis excitata, pulmonumque ἀφέρεσις, quæ & *phthisis* appellatur. Serositates ex sinistra pulmonali, vasis lymphaticis ruptæ fuerunt. Vena isthæc laxioris texturæ est, non ex una membrana, ut veteres voluere; verum industria hujus seculi Anatomicorum, eam ex variis tunicis constare detexit. Hæc venæ pulmonalis tunica admodum laxa, & à reliquo vase soluta existit, in tantum ut ubivis aperta per totum inflari, & quasi vas distinctum esset, plurimum extendi possit; unde suspicari licuit, hoc ductu peculiari lympham à glandulis substratis secretam reduci: verum obortâ obstructione, eam immensum usque posse distendi, ut in hoc cadavere liquet.

Hinc facile percipiendum est, unde cordis *palpitatio originem* traxerit, nempe ab obstructa vena pulmonali: nam in Hydrope hoc adeo ejus capacitas coarctabatur, ut sanguini per eam via denegata fuerit, tunc resilire coactus cor se immodicè movere debuit. Omnis enim palpitatio fit à causa obstruente circa cor: quotquot mihi contigere cadavera, semper vel Polypum, vel sanguinem coagulatum, vermes, ossificationes, aut simile quid reperi.

De TREMORE CORDIS etiam in *Institutionibus* mentionem fecimus. Quamvis non sit periculosus, comitatur tamen sæpe ægros ad mortem usque. *Curatio* etiam eodem modo instituitur ac de palpitatione dictum. Tremor Cordis.

VII. Caput.

DE MORBIS HEPATIS, ICTERO, HYDROPE ASCITE, ANASARCA, LEUCOPHLEGMATIA, HYDROCEPHALO, CHLOROSI; DE INFLAMMATIONE, OBSTRUCTIONE, SCIRRHO HEPATIS. &c.

E Pectore descendimus ad Hepatis Viscus, quod nobis nonnunquam ἰλιάδα κακῶν producit, illud peccat quando ob sanguinem tenacem vel bilis viscida segregatur; vel ob defectum nimis aquosa; vel ob salis abundantiam limosa ac calculosa. Atqui sic facile ductus bilarii obstruuntur: & quidquid bilis remanserit in viscido sanguine manet, totamque cutim flavedine tingit, qui morbus tunc Icterus appellatur. Cujus causas in *Institutionibus* invenies.

Icterus. Morbus iste non est admodum periculosus, nisi adsit continua febris, Hepatis inflammatio, scirrhus, debilitas, calculi in Vesiculâ, &c.

Pituita viscida primum est incidenda, ac per consequens sunt obstructiones deobstruendæ, deinde procurandum, ut Bilis defectus suppleatur. Ultimò symptomata sunt respicienda. In hoc casu conveniunt aperientia, & saturantia. ut sunt.

Radices Graminis, Chelidonii majoris, Urticæ, Asparagi, Rhabarbari, Rubiæ tinctorum, Polypodii. Folia Chelidonii majoris, Urticæ majoris, Verbenæ, Fragariæ, Theæ, Taraxici, Cichorei, Fumariæ, Agrimoniæ, Argentinæ. Crocus. Semen cannabis, Urticæ, Sinapi, Nux Moschata, Baccæ Juniperi, Passulæ. Gummi Ammoniacum. Oculi cancri, sapo Venetus, Lac, stercus anseris, equinum, lumbrici terræ, Millepedes. Chalybs, Sulphur. Spiritus salis armoniaci, urinæ, cornu cervi, salia volatilia urinosa, Vitriolum Martis.

Aliquando Emetica hic locum inveniunt, vi enim vomitionis obstructio sæpe folliculi fellis tollitur. Pituitam expellentia non sunt negligenda: uti sunt laxantia ex *Rhabarbaro*: respondente alvo fæces ob bilis defectum inveniuntur albidæ vel grisei coloris. Deinde sequentia veniunt præscribenda, ut

Recipe Sem. Cannabis contusi, *uncias tres.*
Saponis Veneti, *drachmas duas.*
Lactis vaccini, *quantum sufficit.*
Coquantur ad Uncias Viginti, Colatura
Detur usui.

Collige Lumbricorum terrestrium aquâ lotorum, *uncias duas.*
Coquantur ex lacte ad uncias viginti,
Colaturæ adde
Croci, *scrupulum unum.*
Detur pro potu. vel,

Recipe

Recipe Rad. Chelidonii majoris,
Urticæ majoris, *ana unciam unam.*
Stercoris anserini,
Limaturæ chalybis, *ana uncias duas.*
Lumbricorum terrestrium, *unciam unam.*
Croci, *scrupulum semis.*
Vini albi, *libras sex.*
Misce fiat Vinum Medicatum. vel

Recipe Tinct. Croci, *drachmas duas.*
Cinamomi,
Spiritus cornu cervi, *ana unciam semis.*
Misce.
Sumantur ter de die viginti guttæ cum vino. vel

Recipe Millepedum viventium, *numero centum.*
Lumbricorum terrestrium siccatorum,
Tartari Vitriolati, *ana drachmas duas.*
Nucis Moschatæ, *scrupulos duos.*
Croci, *scrupulum unum.*
Chalybis cum sulphure præp. *drachmam unam.*
Sacchari albi, *uncias duas.*
Misce fiant Tabellæ.

De hisce sumatur singulis diebus uncia semis.
Allii decoctum in hoc casu etiam magni est valoris.

Homo facie icteritia à multis annis tumore in sinistro Hypochondrio laboravit cum dolore intermittente. Tentatus interdum dysuria, nonnunquam vomitu materiæ nigræ. Postea emaciatus obiit.

INtestina, præter solitum, flava. Vesica fellea præter serosum humorem variisque lapillis ac grumis nihil continebat. Lien immensæ molis, libras medicas quinque facile superans: Renes nigri, in pelvi sinistrâ aliquantulum puris. Icterici &c. anatome.

Ingens splenis moles fuit causa difficultatis urinæ; Vesicâ enim urinariâ pressâ, urina reddi non potuit, hinc dysuria. Ob ipsius visceris obstructionem, sanguis, qui alias ex ventriculi tunicis in splenis ramos transit, regurgitans, in ventriculum erupit, unde vomitus nigri. Vasa enim splenica etiam, ut de vesica dictum, premebantur. Quid de icterico vultu dicendum, lapillisque in folliculo fellis inventis, superius diximus.

Quamvis proprie HYDROPS ASCITES non pertinet ad hepar, nihilominus tamen, quia oritur sæpe ob defectum bilis, & vasa lymphatica hepa- Hydrops Ascites.

 tis

Hydatides. tis obstructa, unde HYDATIDES, uti in aliis partibus, enascuntur hic describam, quibus ruptis ingens colligitur in abdomine aquæ copia, qua abdomen immensum usque intumescit; atque sic hoc onere compressis vasis in inguine lymphaticis, oriuntur, ut in gravidis crura tumida, atque scrotum tumidum. Hinc ob effusionem hujus lymphæ siti continuâ plerumque laborant. Idem fit à liene obstructo, tunc enim vasa lymphatica eodem modo tumere possunt, & rumpi, sic & vasa mesenterii lymphatica. Ita tument quoque eadem intra duplicaturam peritonæi euntia, nec non quæ ovaria cingunt, quorum hydatidibus sæpe ova sunt in ingentem molem extensa. Si porro vasa lymphatica obstructa sint in pectore, ibi etiam hydatides enascuntur, atque tunc effusâ aquâ, HYDROPS oritur THORACIS: si idem contingat in cerebro oritur in infantibus HYDROCEPHALOS, quod in adultis etiam fieri potest, verum quia cranium ab invicem discedere non potest, ut in infantibus ab aqua conclusa corrumpitur, hinc Apoplexiæ, Convulsiones, capitis dolores, & θάλασσα κακῶν. In abdomine in causa esse possunt vasa lactea rupta, imo & ductus Thoracicus: ac ureteres per vulnus aut inflammationem. De causis consule *Institutiones* meas.

Hydrops Thoracis. Hydrocephalos.

Si vasa lymphatica rupta non sint, facile in principio curantur: & si existente Anasarcâ superveniat *Ascites*, facilius curatur, quam si proveniat ex ruptis vasculis, aut alicujus visceris ulcerationibus. Si urina sit pauca, rubicunda, lixiviosa, malum: signum enim est omne liquidum extravasari, & sanguinem admodum esse crassum. Purgando si detumescat venter, est bonum omen, & non sine spe. Si aqua acris fiat & fœtida, viscera corrumpuntur. Post quartanam asthma, scorbutum raro spes est, quia omnia in pejus ruunt.

Primo inter signa habentur abdomen tumefactum, & si digito comprimatur, cavitatis impressæ vestigium relinquit; respiratio fit difficilis, uti & in Pectoris Hydrope. *Sitis* adest intolerabilis, quia sanguis ab humido continuo orbatur, hinc saliva sequestrari nequit. *Facies pallet*, & extenuatur, quia non nutritur; *Febris* adest *Lenta*, quia, quod mirum non est, in lecto decumbentibus aqua in pectore vel abdomine de latere in latus fluit. Aliquando urina est rubra, aquosa, crassa vel turbida.

In Hoc causæ sunt abigendæ casu, & quidquid aquæ collectum, expellendum. Ergo hic opus est Aperientibus, incidentibus & diaphoresin mediocrem procurantibus, nec non urinam expellentibus. Si quis inclinationem habet ad vomendum, sumat unciam unam *oxysacchari vomitivi*. Quamvis in hoc casu Emetica & Purgantia non admodum laudo, præsertim deperditis viribus: verum ut nonnullis satisfaciam, usui esse possunt in robustis, & formulas quasdam præscribam, ut

Recipe Guttæ Gambæ, *grana duodecim*.
Olei caryophyllorum, *guttas duas*.
Tartari Vitriolati, *scrupulum semis*.
Misce fiat Pulvis. vel,

Recipe Guttæ Gambæ, *grana sex*.
Resinæ Jalappæ, *grana septem*.

Ole-

Olei Cinamomi, *guttam unam.*
Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat Haustus. vel,

Sume Aloës lucidæ, *drachmam unam.*
Guttæ Gambæ, *scrupulos duos.*
Gummi Ammoniaci, *drachmam semis.*
Tartari Vitriolati, *drachmas duas.*
Olei caryophyllorum, *guttas sex.*
Misce fiant Pilulæ.
Dosis à scrupulo uno ad drachmam integram. vel,

Recipe Pilulæ Aloëphanginæ, *drachmam semis.*
Mannæ Calabrinæ, *sesquiunciam.*
Misce fiat Haustus. vel,

Recipe Electuarii Hydragogi Sylvii, *unciam semis.*
Aquæ Fœniculi, *quantum sufficit.*
Misce fiat Haustus. vel,

Recipe Pulv. Jalappæ; *drachmam unam.*
Aquæ Cinamomi,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Misce fiat Haustus. vel,

Recipe Rad. Iridis Nostratis,
Enulæ campanæ, *ana unciam semis.*
Cort. Mediani sambuci,
Baccarum Juniperi, *ana unciam unam.*
Herb. Eupatorii,
Centaurii minoris,
Absinthii latifolii, *ana Manipulum unum.*
Oculorum cancri, *drachmas duas.*
Rhei electi, *unciam semis.*
Jalappæ, *drachmas duas.*
Vini optimi, *libras sex.*
Misce fiat Vinum Medicatum.
Dosis ad uncias duas vel tres pro ætate & viribus.
Si metus sit perditionis virium, Enemata sunt usurpanda, aut suppositoria. ut,

Recipe Urinæ humanæ, *uncias decem.*
Salis prunellæ,
Terebinthinæ Venetæ, *ana drachmas duas.*
Vitelli ovi, *quantum dissolvendæ Terebinthinæ sufficit.*

Misce fiat Enema. vel,

Recipe Fermenti acidi, *unciam unam.*
Salis communis, *drachmas duas.*
Urinæ, *uncias octo.*
Olei Rutæ, *unciam unam.*
Mellis, *uncias duas.*
Misce fiat Clyster.

Interim continuo sumant *Lac*, cui incoctum est *Allium*; uti & Chalybeata: ex. Gr.

Recipe Gummi Ammoniaci,
Assæ fætidæ, *ana drachmas duas.*
Vitrioli Martis, *drachmam unam.*
Vini scyllitici, *quantum sufficit.*
Misce fiant Pilulæ, quinque ex scrupulo uno.
Ex quibus singulis diebus quatuor sumantur.

Vitriolum cæruleum est in Hydropum speciebus præstantissimum remedium, si in spiritu cornu cervi rectificato solvatur, & aliquot guttæ singulis diebus cum vino sumantur.

Remedium optimum est levem concitare diaphoresin: ideoque vitet æger omnia frigida, & sese in continuo calore contineat oportet. In lecto habeat ad latera & ad pedes arenam calidam vel lateres calidos. Interim quoque salia volatilia aromatica in usum veniant. *Externè* sequentia sunt applicanda, ut

Recipe Ung. Martiati, *drachmas tres.*
Olei Caphoræ orientalis, *drachmas duas.*
Lauri, *unciam semis.*

Recipe Stercoris Vaccini sicci, *libram unam.*
Sem. Cumini,
Bacc. Lauri, *ana unciam semis.*
Urinæ, *quantum sufficit.*
Misce fiat Cataplasma. vel

Recipe Empl. de Baccis Lauri,
Cumino, *ana quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum.

Æger abstineat à multo potu, potius cerevisiam bonæ notæ aut vinum quam tenuis potus, nisi in hac occasione liquor debitâ quantitate emingatur, & tunc lac, Thea aut coffea essent boni usus, sed quia hoc raro fit, noxius magis esset quam proficuus. Cibi sint Eupepti, ut Gallinæ, columbæ, perdices, caro vitulina, agnina, lepores, cuniculi, &c. Crura tumida in arenâ calidâ

calidâ ponantur, & in lecto eadem foveantur, ut sudor porrumpat. Sic decocta ex Sassafras & Guajaco, non sunt spernenda.

Si hæc omnia incassum sint tentata, ad *Paracentesin* est descendendum, atque sic per vices aqua est educenda; de qua in *Chirurgia.*

Quæstio movetur, quomodo aquæ, pus &c. ex abdominis cavitate per vesicam exonerari possint. Sed Experimenta hanc nebulam abigent. Si vesica recens corpori eximatur, & invertatur, & eidem urinam prius contentam infundas, omnis urina sensim guttatim quasi transudabit. Hinc concludendum vesicam habere poros foris intro spectantes, & ne è vesicâ in abdomen profluat, adesse valvulas exiguas, effluxum inhibentes. Si in inversa vesica sal armoniacum, sal vulgare, alumen &c. committas, funiculo constringas & aquæ calidæ immergas, salia liquescent; unde, nisi ab aqua vesicæ porulos penetrante? Sic quemadmodum in hoc casu, ita etiam in thoracis &c. fieri vero non est absimile. Quomodo aqua &c. per urinam educatur.

Ne deviemus ulterius quam decet:

Hydrocephalos est tantum Hydrops intra cranium, qui maximè infantibus evenit, quibus cranii parietes in immensum usque ab invicem dilatantur, ita ut caput supra modum excrescat & aliquot sæpe libras aquæ contineat. Mirum est infantes hoc morbo non pluries tentari, quia inter gestandum, ob matrum animi pathemata, & inter pariendum ab obstetricibus sæpe multum patiuntur, unde cerebrum adhuc molle maximoperè lædi potest, ac vasa lymphatica rumpi; quibus ruptis multum aquæ extravasatur, quâ occasione cranium necdum coadunatum in ingentem molem excrescit.

Etiam post partum non minus cerebrum afficitur, dum caput tenellum comitur, ac cunis agitur. Quando infantes parum adoleverint, minus malum illud oboritur, quia cranii ossa sunt invicem coalita, & non facile separari queunt. Septem mensium gestationis fœtum 1675 Leovardiæ aperui, in cujus capite erant quatuor libræ aquæ. In hoc casu maxima infantium pars moriuntur.

Quoad curam, optimum censeo, ut caput continuo calore foveatur, & si in cunis decumbant, ut circa caput lapis calidus, aut arena calida ponatur, ut obstructio reseretur, & aqua viam debitam eat, sed hoc rarum esset, quia ἐπὶ τὸ πολὺ aqua est extravasata, atque tunc retrogradi nescit. Interna vix infantibus dari possunt, alias sudorifera essent proficua. Quidam paracenthesin proponunt, sed in ea opinione non sum, quod multum hoc remedio possint moliri: aquâ enim depromptâ alia statim insequitur: Et si diu duraverit ac cranium maximè fuerit distensum, vix claudi potest: ita ut plerumque ad cæteros abeant.

Inter Hydropis species etiam recensetur TYMPANITES, sive *Hydrops siccus*, quæ propriè loquendo Hydrops non est, sed causa existere potest. Estque tumor abdominis immobilis, continuus, æqualis, durus & renitens, percussus Tympani in modum sonitum edens, nam à Tympano etiam nomen habet. *Causa* est species *Spasmi* qua peritonæum tantum, vel etiam intestina supra modum expanduntur. Non tantum in abdomine illud malum hæret, sed aliquando in thorace, uti de Asthmate dictum. Etiam per integrum corpus esse potest Teste *T. Bartholino*, *Riverio* aliisque. Consule plura in *Institutionibus meis.* Tympanites.

Præce-

Præcedentes Tympanitidis causæ aliquando sunt colicus dolor, Hypochondriaca passio, Hysterica passio, &c. per se nihil periculi habet, nisi superveniat (compressis vasis lymphaticis) Ascites, & tunc mors pulsat divitum ac pauperum tabernas. Si superveniat stranguria, pessimum, quia vesica & ureteres vel etiam spasmo afficiuntur vel quia ab intestinis inflatis nimium comprimuntur.

Causa removenda est, & inflatio diminuenda. *Purgantia*, hic vix requiruntur, præsertim fortia: quamvis exemplum habeo alicujus virginis, quæ *succo ebuli* subitò curata fuit. Laxantia sunt concedenda, idque tantum interdum; fiat Vinum medicatum, ut

Recipe Fol. senæ, *unciam unam.*
Agarici,
Jalappæ,
Tartari rhenani, *ana unciam semis.*
Absinthii pontici,
Centaurii minoris, *manipulum unum.*
Bacc. Sambuci,
Sem. Genistæ, *ana drachmas tres.*
Cort. Citri,
Caryophyllorum, *ana drachmas duas.*
Sem. Coriandri, *drachmam unam.*
Vini albi, *libram unam.*
Misce fiat Vinum Medicatum.

Dosis ad unciam unam vel duas pro viribus.

Si alvus constipata sit & planè non respondeat, clysteres suprapræscripti injiciendi sunt. Præstant in hoc casu omnia *Aromatica*, & *salia volatilia oleosa*, uti & *diuretica.* Exempli gratia.

TINCTURA MILLEPDUM.

Sume Millepedum, *uncias tres.*
Nucis Moschatæ, *drachmas tres.*
Fol. Hederæ terrestris rubræ, siccæ, *manipulos duos.*
Spir. vini Juniperini, *sesquilibram.*
Misce fiat Tinctura.
vel,

Recipe Tartari vitriolati, *unciam unam.*
Ocul. cancri,
Vitrioli chalybis, *ana drachmas duas.*
Sem. Nasturtii, *drachmam unam.*
Terebinthinæ Venetæ, *quantum sufficit.*
Misce fiant pilulæ ex scrupulo quinque.

Dosis

Dosis singulis diebus quinque: abdomini applicari possunt quædam *nervina*, uti *oxycroceum*, cum *oleo ex nuce Moschata*: *Emplastrum de baccis lauri* aut *de cumino cum oleis stillatitiis*, &c. vel applicetur *cataplasma ex stercore vaccino* & *canino*. Si mutetur in Asciten, remedia supra præscripta sunt adhibenda.

ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA, est Hydrops totius corporis, vel alicujus Partis, qui digitis pressus, cavitatem relinquit: cui aliquando ascites supervenit. *Leucophlegmatia* & *Anasarca* sive *Intercus*, gradibus tantum differunt, nam in *Leucophlegmatia* materia longè viscidior est quam in *Anasarcâ*. *Causa* est vasorum lymphaticorum totius corporis obstructio, à lymphâ incrassatâ & sanguine particulis volatilibus & motivis orbato: vasis itaque lymphâ turgidis, tota cutis peripheria etiam intumescit; quâ digitis compressâ, cavitas relinquitur. In particulari parte aliquando unicum vas ruptum est, vel quædam compressa, ut in prægnantibus, & qui desidem vitam agunt. Hoc modo sæpe matutino tempore facies tumet, præsertim sub oculis, quia decumbente corpore lympha deorsum tam facile descendere non potest, ac quando erectum habemus situm. è Contra pedes matutino tempore sunt detumefacti, quia è pedibus versus inguina, &c. facilius fluit quam in erecto situ nobis stantibus. *Externæ causæ* esse possunt, nimius Spiritus vini haustus, cujus volatilitate omne volatile & activum è sanguine per diaphoresin nimiam foras rapitur: hinc admodum refrigeratur, & viscitatibus abundat, & nisi hoc spiritu continuè reficiantur ferè exanimes fiunt & admodum frigidi: ideoque in curatione illa ab hoc spiritu subitò non sunt arcendi, sed singulis diebus aut biduis dosis est diminuenda, ne subitaneâ abstinentiâ ex improvisò deficiant. Tardè potius desuescant, ut particulæ motivæ & suppressæ recolligantur. Venæsectiones & purgationes, nimius Theæ aut coffeæ potus, idem præstant; priores duæ exhauriunt planè vires, & vappam relinquunt. Sic potus illi calidi non tantum ob caliditatem enervant ventriculi tonum, nam ad mollitiem ferè coquitur, hinc quia officio fungi nequit, tota œconomia animalis cessat: sed & quidquid activum & volatile per diaphoresin fugatur vel per renes cum urinâ præcipitatur. Lympha quoque coagulatur ut ovi albumen à spiritu vini. Vel, ut spiritus salis armoniaci cum salè tartari destillatus ab alcohol vini. Idem fieri in Leucophlegmatia verisimile est. Anasarca & Leucophlegmatia.

Plurimi ex Europæis in insula Ceilonica Leucophlegmatici fiunt, qui morbus ei regioni endemius est. Illi, si Bataviam veniant, horum lingua *Suriekatten* appellantur; sunt animalcula sciurorum instar, sed paulo majora, continuò arboribus insidentia, ex quibus *surie*, seu vinum palmæ depromunt. Causa est iste potus *surie*, spiritus orizæ, (vulgo *Arak*,) cerevisia fictitia, quam vocant **set-bier**, fructus, Venus nimia, &c. & curantur Medicamentis, quæ nobis in hoc morbo in usu sunt. Leucophlegmatia ceilonica.

Tantum periculi non habet ac cæteri Hydropum species. Ascites post Anasarcam cum urinæ copia, & siti tolerabili præstat quam contrarium. Anasarca ex phthisi aut Tympanitide, malum portendit.

Intentio & Remedia eadem sunt, ac in ascite. Sed hic *Vesicatoria* locum habent, ut & *illinitiones* ex penetrantibus & volatilibus. Corpora semper in calore tenenda, sequentia usui esse possunt, ad bibendum, ut

Recipe Salis Absinthii non admodum albi, *unciam semis.*
Vini albi, *uncias viginti.*
Misce.
Dosis ad uncias tres. vel

Recipe Tartari albi cum nitro calcinati, *uncias tres.*
Spiritus Vini, *libram semis.*
Aquæ petroselini, *uncias octo.*
Misce, detur cochleatim.

Chlorosis. Hujus indolis ferè CHLOROSIS est. Morbus *Virgineus*, seu *Febris alba* aut *Amatoria* vel *Icterus albus.* Circa tempus præsertim cum menstrua expectantur, virgines pallent, & ex viridi ferè livescunt & facies tumet, & non raro quoque pedes. De causis consule *Institutiones nostras.* Morbus hic longæ est durationis & sine periculo. Matrimonio sæpe liberantur, propter fermentum virile, cujus ope succi mulierum aliter disponuntur. Si sæpe huic morbo obnoxiæ sint, redduntur infœcundæ, vel infantes quos pariunt, imbecilles sunt.

Si alibi, quod certum est, obstructiones sint, deobstruentia sunt usurpanda. Si menstrua non fluant, tunc Hysterica in usum vocanda. Si in intestinis saburra sit pituitæ, tunc alvus *Rhabarbaro*, *senis*, *agarico*, &c. est laxanda. Hic Venæsectio locum non habet, quia sanguis non fervet calore aut abundat. Utantur singulis diebus *Tincturâ Croci*, *Succini*, *Martis*. *Spiritus Sabinæ*. &c. vel

Recipe Spiritus Sabinæ,
Cornu cervi, *ana partes æquales.*
Misce.

Guttatim in vino quotidie prodest. Magni quoque usus est *decoctio florum camomillæ*, uti & *Vinum martiale*; his accedit *caphora* cum *croco* & *spiritu vini*, quæ ob particulas activas prosunt. Balneum fiat ex *Artemisiâ*, *Sabinâ*, *Pulegio*, *Matricariâ*, *semine dauci* & *levistici*, &c. non minoris momenti sunt Pilulæ sequentes: ut

Recipe Gummi Ammoniaci, *drachmas tres.*
Aloës,
Limaturæ chalybis, *ana drachmas duas.*
Myrrhæ, *drachmam unam.*
Croci, *scrupulum unum.*
Tartari vitriolati, *drachmas tres.*
Olei Macis destillati, *guttas decem.*
Misce fiant pilulæ ex scrupulo quinque.

Recipe

Recipe Limaturæ chalybis tenuissimè tritæ,
Vel cum sulphure præparatæ, *unciam unam.*
Ocul. Cancri,
Corallorum rubrorum,
Cinamomi, *ana drachmas duas.*
Croci, *drachmam unam.*
Misce.
Dosis erit drachma una.

Siccus sit cibus & facilis digestionis, ex gallinis, perdicibus, oryzâ, carne ovillâ & vitulinâ: pisces sint porculus, perca, lucius, solea, &c. cerevisia sit optimè defæcata, & vinum merum. Exercitia sint modica, & somnus paulo brevior; aër siccus. Potus Theæ & Coffeæ sint modici usus: quotidiana croci assumptio non erit inutilis.

Deficiente bile, quotidie amara sunt assumenda ex *absinthio*, *carduo benedicto*, *centaurio minori*, *Eupatorio aquatico*, & exinde componatur vinum medicatum, de quo bis singulis diebus bibatur Haustus. Si bilis fuerit vitellina, porracea, æruginosa, nigra, illa venit ab abundante acido, tum *chalybeata* & omnia acidum emendantia sunt in usum vocanda.

Cum de Hepatis agitur morbis, quandoque inflammatione & ulcere laborat, quæ oritur ex succis ibi stagnantibus, & incalescentibus: inflammatio illa variat pro diversitate particularum, & pororum, exinde vocatur Phlegmone, Erysipelas, &c.

Quoad curationem, parum refert in quo loco sit, num in concava, num in convexa parte, aut in substantiâ intermediâ. Gravitas sentitur in dextro latere, nam hepar ob inflammationem peritonæum premit, præsertim si in gibba fuerit parte, & hoc maximè animadvertitur cum æger ab uno latere in aliud se volutet. Si circa ligamentum suspensorium sit, tunc dolor gravativus circa costas nothas sentitur, & per membranarum continuationem ad jugulum ipsum adscendit. Febris quoque adest, quæ continua est; remittens & exacerbans, cum magno ardore & siti aliquando, si inflammatio fuerit magna. Ob diaphragma compressum, adesse debet respiratio difficilis: adest sæpe tunc temporis tussis molesta; pulsus inæqualis, durus & non raro serratilis: cibi adest fastidium, vomunt sæpe biliosa: cutis flava est: adest sæpe alvus adstricta ob bilis penuriam, vel loturæ carnium instar, urina rubra est ob febrim. Vix dignoscitur ab inflammatione musculorum abdominis, sed in ea dolor magis externus est, cutisque circumtensa, & musculi tractando non cedunt, ac tumor non est profundus, neque facies adeo flavedine suffunditur. Hepatis inflammatio.

Causæ externæ esse possunt contusio, casus ab alto in hepatis regionem, nimia corporis calefactio.

Symptomata quoque differunt, alia enim sunt in convexa, alia in concava parte: in *convexa* enim ferè pleuritidem æmulantur: ast in concava, urgent magis *Symptomata* ventriculi & intestinorum. *Non facile hepar inflammatur*, aut si id contingat, febris tamen & æstus ac cognata symptomata non adeo intensa sunt, quam pro ratione partis esse debeant, quia hepar parvam habet arteriolam; hinc pulsatio quoque minor adesse solet.

In genere adest *sensus gravativus*, circa ejus regionem in dextro hypochondrio, cum dolore simul obscuro & tensivo, qui *sub suppuratione punctorius* plus minus evadere solet. Mox *febris* adest minus ferè tamen acuta, sed sæpius *lenta*, prout nempe est inflammatio. Nam perpetuò inflammationis magnitudinem vehementia febris analogice comitatur. *Tussis Sicca* seu inanis per intervalla affligit: *difficultas respirandi* adest; *decubitus* in latere affecto est *difficilis*, non secus ac in latere opposito, unde ferè supini jacent ægri, *pulsus* celer, frequens, inæqualis: *sitis* intensa, *anorexia*, *lingua arida*, *calor mordax* totius corporis &c. Quod si major adsit inflammatio, dolor ad jugulum adscendens percipitur, quasi ad inferiora traheretur, præsertim dum vehementius æger inspirat, idque propter pondus Hepatis inflammati, mediante ligamento lato diaphragmati, juxta connexionem hujus cum cordis, alligati.

Porro *si pars cava afficitur*, frequens oboritur, adeo ut ferè perpetuò singultiant; *Vomitus* materiæ biliosæ interdum & *diarrhœa* adest. Si vero *pars gibba afficitur*, acris est *dolor* circa *cordis* foveam, decubitus in dextrum latus est difficilior, dolor expressurâ exacerbatur, *tumor* manifestius apparet, partes ad jugulum dextrum, deorsum trahi videntur & symptomata cætera, partes thoracis apparenter affectas sequi videntur. Contrarium vero in *parte cavâ affectâ*, in quâ ipsi interdum *dolores ventris* concurrunt, ut inflammatio hepatis pro *colica* à quibusdam habita fuerit, & quoniam subinde pleuritidem mentiri videtur, etiam cum hac à quibusdam nod raro confunditur. Propterea probè discernenda sunt & in specie, si pleuritis circa costas breves dextri hypochondrii afflixerit, facillimè cum Hepatitide confundi potest.

Differentia hæc est, quod dolor punctorius in *pleuritide* sit longe acutior; in *hepatis inflammatione* parvus vel nullus, ita etiam spiratio in hepatis inflamtione adest difficilis, exspiratio vero facilis, cum utraque difficilis sit *in pleuritide*; tussis longè vehementior ac ferè humida est in pleuritide, quæ in hepatite est mitior, arida, &c. *Pulsus pleuriticorum* est durus, ac ut vocant, serratus, qui in *hepatitide* magis ad undosum accedit. Denique pondus gravans & quasi deorsum tundens thoracem, percipitur in latere dextro, *in Hepatitide*, ubi etiam non raro tumor renitens quidam tactu percipitur; quæ minus in *Pleuritide* apparent.

Sic *musculorum abdominis inflammatio*, juxta hypochondrii dextri regionem etiam subinde cum hepatitide confunditur. Sed *differentia* patet, quod in musculorum inflammatione adest *dolor pulsatorius*, qui nullus aut saltem exiguus est in inflammatione hepatis propter parvam ejus arteriolam; pectoris quoque symptomata *in musculorum abdominis inflammatione* absunt. Denique tactus percipit *tumorem* circumscriptum, nec adeo nimis profundè situm, extuberantia quoque magis sensilis observatur interim tamen cavendum, ne fallamur, si tumor in medio ventre appareat, cum quibusdam etiam hepar ad medium ventris extendatur.

Hepatis inflammatio periculo non vacat, sæpe enim terminatur in vitæ exitum, vel in tabem aut hydropem. Ob vasa in concavâ parte hepar subeuntia majus periculum est expectandum, quam si in gibba esset parte, quamvis alii aliter sentiunt, qui dicunt majus imminere periculum ob cordis viciniam, sed hoc est ridiculum, quia vasa cordi sunt proximiora quoad eorum vinculum.

Quo

Quo ſymptomata pauciora & benigniora, eo melius. Singultus ob nervos ventriculi & œſophagi communes affectos, malum portendit, Si adſit Diarrhœa, rariſſimè in melius tendit, niſi Διαχωρήματα ſint bonæ conſiſtentiæ. Si omni δυνάμει inflammatio reſolvi non poſſit, terminatur in ulcus vel in Scirrhum & rariſſimè evadunt, niſi pus per alvum aut urinas poſſet expelli. Facile exinde in Tabem, vel Hydropem labuntur, cum febri lenta.

Quæ eſt *in cava hepatis parte*, magis inappetentiam, nauſeam, vomitum bilioſum, ſitim ingentem adfert; *quæ in gibba*, majorem reſpirandi difficultatem, frequentiorem tuſſim & dolorem uſque ad dextræ partis jugulum infert, & ea, *quæ in gibbâ parte* eſt, gravior eſt quam illa quæ in *cava*. *Hepatis inflammatio*, ſi diem vigeſimum primum excedat & febris perduret, tumore non ſubſiſtente, in ſuppurationem fertur.

Certiſſima *ſigna inflammationis* ſunt, febris ardens, ſitis inexhauſta, lingua ſcabra, refrigeratio extremorum, dum interiora uruntur. Vomitus item niger & porraceus. *Morti Proximis* venter intumeſcit, rupto abſceſſu & frigidum ſudant circa collum & faciem, atque animo linquuntur. Cum hepatis inflammationem febris ardens & continua comitatur, malum eſt, quia vehementer viſcus inflammatum ſignificatur.

Curandum ut in principio inflammatio profligatur, & facto ulcere, ut quam primum ulcus curetur. Si alvus non reſpondeat, clyſteribus eſt ſollicitanda. Curatio interim procedat, ut diximus in Ventriculi inflammatione, tam internis quam externis. Bibat æger *Scorzoneræ decoctum cum Cornu cervi*. Vel *Aquam coctam* cum tandundem *vitrioli martis*, ne palato officiat: Externè Cataplaſma adhiberi poteſt ex *Phellandrio*, *Abſinthio*, *Salviâ*, *Lavendulâ*, &c. & ſi Inflammatio quarto vel quinto die non profligetur: omni curâ moliendum ut ſuppuratio promoveatur, & bibat decoctum ex *Rapis*, *Ficibus*, *Paſſulis*, &c. & externè imponatur *Emplaſtrum* ex *Meliloto* & *Gummi Ammoniaco*. Si per aliquas vias pus ſibi viam cudat, bonum, alias in abdominis cavitatem affunditur, quod non niſi aperto abdomine exhauriri poteſt. Ut ſanetur ulcus, quotidie ſumat *Terebinthinam Venetam* cum *ovi Vitello*, aut *Balſamum Peruvianum* aut *copaibæ*, vel *Balſamum ſulphuris terebinthinatum*.

Obſtructiones in Hepate fiunt ut plurimum ſive à ſanguine incraſſato & grumoſo, qui venam cavam intrare non poteſt, vel lymphâ nimis incraſſatâ vel aliis ſuccis glanduloſos acinos obſtruentibus; vel ipſa bilis necdum ſecreta, quando eſt glutinoſa, viſcida, aut amurcæ inſtar, aut arenoſa, calculoſa. Particulæ porro obſtruentes tempore ſenſim ibi morantur, ac ſcirrhum efficiunt, & non raro, obſtructis vaſis lymphaticis, Hydropem, vel ulcerationes & tandem mortem. Hepatis obſtructio.

In hoc caſu ſunt obſtructiones fugandæ; acida peccantia corrigenda, vel viſcida incidenda, & ſi ſcirrhi adſunt, emolliendi, maturandi. In hoc caſu opus eſt deobſtruentibus, antiſcorbuticis, chalybeatis, ſalibus volatilibus, &c. laxantia uſu veniant oportet, deinde reſolventia & deobſtruentia ſunt præſcribenda, ut

Recipe Tartari Vitriolati, *unciam ſemis*.

Cryſtalli Tartari, *drachmas duas.*
Chalybis cum ſulphure præparati, *drachmam unam.*
Miſce fiant pulveres numero octo. vel,

Recipe Spir. vini, *uncias duas.*
Gummi Ammoniaci, *ſcrupulum unum.*
Spir. ſalis armoniaci, *drachmam unam.*
Tincturæ chalybis, *uncias quatuor.*
Miſce vel,

Recipe Tartari Vitriolati,
Cremoris Tartari, *ana drachmas duas.*
Saponis Veneti, *drachmam unam.*
Oculi cancri, *drachmas tres.*
Sacchari albi, *uncias tres.*
Miſce fiant Tabellæ. vel

Recipe Scoriæ ferri,
Corticum arantiorum, *ana unciam unam.*
Tartari Rhenani, *ſeſquiunciam.*
Oculorum Cancri, *drachmas tres.*
Salis Abſinthii, *drachmam unam.*
Elixiris proprietatis, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat conditum. vel,

Recipe Tincturæ Martis, *unciam unam.*
Elixiris proprietatis, *drachmam unam.*
Miſce.
Detur cum cereviſiâ aut vino ad guttas decem. vel,

Sume Limaturæ Chalybis, *uncias duas.*
Corticum Arantiorum, *unciam unam.*
Myrrhæ,
Croci, *ana drachmam unam.*
Vini Rhenani, *uncias viginti.*
Miſce fiat vinum Medicatum.

Hiſce adde *Tincturam Aſſæ Fœtidæ* & *Galbani* ſi quotidie guttatim ſumatur: ut & uſus pilularum ex *Gummi Ammoniaco* & *chalybeatis.* Externè applicari poteſt Emplaſtrum ex *Gummi caranna* & *Tacamahaca*: vel *Emplaſtrum de Tabaco*: ut

Recipe Succi tabaci, *uncias octo.*
Gummi Ammoniaci, *uncias ſex.*
Spiritus Vini Rectificati, *uncias quatuor.*

Ole

Olei Amygdalarum dulcium, *uncias tres.*
Ceræ flavæ, *quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum.
Ex *Tabaco* etiam Cataplasmata & Fotus fieri possunt.

ANno 1676. Calendarum Januarii decimo septimo dissecui Leovardiæ septem mensium abortum. Mater gravida ac paupercula desiderabat comedere carnem vaccinam salitam, quam præ egestate ad lubitum habere non potuit; tandem à vicinis vel ab aliis civibus eandem nacta est. Cum porro ferè satiebatur, ecce quidam cornice fores pulsat, quas ut aperiat, à mensa surgit & per gradus descendens, cecidit, frustum istius carnis adhuc buccâ tenens. Postea abortivit. Hydrocephalus.

Abortum paulo post præsente *Augustino Reinalda* aliisque Chirurgis aperuimus. Caput permagnum, intra spatium crassæ & tenuis meningis duæ circiter libræ lymphæ cruentæ continebantur Glandula pinealis solitò major & lympha turgida. Cerebrum aquosum & molle. In ore habebat vesicam lividam & carni salitæ, coctæque similem: primo intuitu carnosum quid esse putabam, sed incisione facta, lymphæ unciæ ferè triginta ad laqueare vi quasi adactæ, saliebant: hæc vesica totum os implebat, ac linguam adeo premebat, ut ab interiore gingiva oriri videretur, cum alias ortum multò posterius habuert, nempe à posteriori Faucium parte, ubi colli vertebris cohæret membrana, fauces investiens, & meritò *Faucium Hydrops* appellari potest. Faucium hydrops

Cystis aquosa videbatur mihi esse pars œsophagi posterior, & hinc liquet cur ventriculus adeo parvus fuerit, hujus vesiculæ constituendæ gratiâ, ventriculus sursum trahi debuit.

Porro quoad hydrocephalon ex lapsu matris ortum, dicimus matrem una cum fœtu eadem quasi vitâ frui, eodem modo ac surculus arbori insertus; omne enim quicquid patitur mater gravida, idem patitur embryon, matris terror fuit & embryonis; vascula lymphatica matris, satis rigida ac tenacia erant ne à terrore rumperentur, sed in fœtu nondum excluso mollia admodum, ac facile fragilia, unde vascula lymphatica, cerebro contenta, rupta fuerunt; liquorque effusus, cranium necdum coalitum, immensum dilatarunt, hinc *Hydrocephalos* seu *Capitis Hydrops.*

Sed unde vesicula ori contenta? Experientia satis docuit, quid non possit matris imaginatio. Fibræ nempe œsophagi adeo à liquore ex ruptis lymphaticorum vasculis dilatatæ fuerunt, ut vesicula extra os quasi propendere coacta fuerit: interim vascula quædam sanguinea, cruorem reducere impotentia, rubedinem & livorem vesiculæ induxerunt, eo modo ac si carnem saliram, voraciter à matre ingestam, repræsentaret.

Cerdo quidam inflammatione jecoris laborans, taliter qualiter se habuit; incidit tandem in fluxum alvinum, quo sanguis concretus excernebatur. Languebat sex menses & emaciatus fuit usque ad mortem.

Hepatis Inflammatio.

CUm cadaver aperiebatur, mirum; loco hepatis facculus crassus & membranosus inventus est, cui pus cruentum, & aquosa quædam inerant. Dixi sæpius à chylo acido, sanguinem ita inspissari, ut circulationi ineptus evadat; exinde obstructiones sive in Hepate, ut hic, vel in alio quovis viscere pariuntur. Particulæ caseosæ chyli in tenuioribus jecoris canaliculis sedem fixerunt; erant enim tam crassæ, ut eos permeare non potuerint: hinc primo obstructio. Succi porro, qui continua circumductione circa obstructionem restitare cogebantur, incalescere incipiebant: succi enim quodammodo stagnantes, occasionem majorem nanciscuntur, quam cum celerrimo itu vehebantur: atque hæc incalescentia à Medicis *Inflammatio* seu *Phlegmone* apappellatur. Succi interim ibi tardius moti acorem contrahunt, unde pus. Pus enim nihil aliud est, quam succus chylosus leviter coagulatus; quod si diu in parte quavis remaneat, corrumpitur & fœtet. In hoc cadavere omne pus in hepatis membranâ remansit, & quicquid intus Hepatis substantiam constituebat, continua rosione consumptum est: hinc pus non unius formæ sed cruentum & aquosum, nam vascula erosa sanguinem & lympham aliquatenus adhuc adferebant. Non mirum videri oportet eum fuisse imbecillem & mortis instar emaciatum, cum omnis succus nutritius continuo corrumpebatur, Imo corrupto chylo, latex serosus nteſtina erosit, adeo ut sanguinea vascula sangninem effunderent, qui coagulatus per anum excernebatur; atque sit debuit extrema sua fata claudere. Quanta cimmeriis tenebris non involvuntur, quæ vel sphinx non divinaret.

Vir quinquagenarius, diebus canicularibus in febrim tertianam, deinde appropinquante autumno in quartanam, rhythmum ordinarium non tenentem, incidit. Mense novembri Hydropicus factus, initio Februarii sequentis anni, durante tertiana plurimis julapiis refrigerantibus ac purgantibus, à Pseudomedicis & Philonide indoctioribus præscriptis, usus fuit.

Hydropici anatome.

SYderatis intestinis, Hydris similibus, cum corrupto omento ac jecore scirrhoso inventus est.

Sæpè vidimus eos, qui tempestate calida multum frigidioris potus ingurgitassent, in febres cujusvis generis incidisse. Nusquam quidem notum non est, Medicos etiam febricitantibus medicamenta refrigerantia præscribere? refrigerantia, imo ipsa aqua frigida in quartanis largiter & sæpe hausta, non raro Hydropem infert, Sed si febrium indolem paulo subtilius excoluissent, ad majorem scientiam pervenissent. Febris enim nihil aliud est, quam humo-

morum corporis acor, quo non tantum ſanguis nimium inſpiſſatur, ſed acid particulis in cerebro effrænis, totum ſyſtema nervoſum ad convulſiones ferè irritat; adeo ut febris ſit convulſio, præcipuè cerebri & cordis. Atque hinc omne frigus. Porro cum ſanguis tardius incedit, particulæ acidæ & alcalicæ in ſanguine exiſtentes, ſibi invicem approximantur, & exinde febris calor exæſtuans. Quando ſanguis celerrime vaſcula pertranſeat, fermentandi præceps præſcinditur occaſio. Putreſcunt, ni moveantur aquæ. Nulli liquores fermentantur, niſi ſint quieti.

Si mea hypotheſis veri habeat ſimilitudinem, cur quæſo non potius ſanguinis acidum temperantibus, diaphoreticiſque utantur, quam potionibus ſanguinem refrigerantibus. Acido domato, humorum circuitus acceleratur; ſudationeque facta, materia peccans foras eliminatur. Frigida & acida, ex quibus julapia conſtituuntur, Sanguinem figunt, inſpiſſant, & circumductioni ineptum reddunt.

Diſcimus experientia quotidianâ, eos, qui incaluere nimium, poſt frigidi potus hauſtum, pleuriticos fieri, altosve ejuſdem normæ morbos incurrere: quare *Medici Experientales*, ſemper *Deam Experientiam* & *Naturam* invocantes, ejusmodi exempla non intueuntur: ſi his frigida noceant cur non illis. Sanguis igitur refrigeratoriis opus non habet, ſed potius calidis, ut eo melius ipſius motus acceleretur: præſcribo potum calidum, ex Theâ, coffeâ, ſalviâ, origano, aut croco, hæc aquâ fervidâ diluuntur, & magnâ quantitate abſorbentur; hinc ſudor non paucus, ſitis extinguitur, & æſtus febrilis exploditur. Ex hoc diſcimus omnem experientiam, non ſemper fidendam, ſed rationem debere eam comitari. Veteres, *Hippocrate* & *Eraſiſtrato* ducibus, non contenti Febres & ulcera agitare, morborum quoque indolem ex aliquâ parte ſcrutati ſunt, non ideo quidem Medicos fuiſſe ſolæ experientiæ innitentes, verum omnia, quantum ingenii acumine poterant, ideo quoque majores Medicos extitiſſe. Ratione vero opus eſt ipſi medicinæ, ſi non ſemper, tamen ſæpe, teſte *Celſo*.

Non obiiſſet patiens noſter ab Hydrope, ſi meo ritu medicatus fuiſſet. Ipſius enim ſanguis è refrigerantibus & acidis tam denſus factus, ut obſtructionibus faciendis, aptiſſimus eſſet. à Nimia ſanguinis conſtipatione liberatus quidem fuit à febre, quia, domatis particulis alcalicis, acidum cum viſcidis particulis fere ſolum ſupererat, & exinde febrili calore amplius accendi non potuit. Cui rei faciendæ tunc ſanguis craſſus aptius fuiſſet, niſi obſtructionibus inducendis? Vaſis lymphaticis undelibet obſtructis, & craſſâ lymphâ infarctis, multum lymphæ primo colligitur; deinde ruptis vaſis, omnis liquor in abdomen effunditur, Hydropemque inducit.

Lympha jam effuſa fit acris, viſceraque abdominis corrodit, quia ſphacelo corripiebantur & Hydris ſimilia erant. Jecur, ex obſtructionibus nimiis, obſtructum, ſcirrhum patiebatur? Nimiis enim refrigerantibus & purgationibus, vires deperditæ non reſtaurantur, aſt indies decreſcunt. Hinc ſanguis incraſſatus non tantum non liberè vaſcula hepatica permeabat; verum ob virium inopiam cordis non ſolum, ſed & vaſorum omnium ſyſtole & diaſtole

non parum imminuebantur; adeo ut sanguis lentissimo gradu incedens, in ipsis vasis stagnare tandem coactus fuit. Atque hac occasione Hepati scirrhus inductus. Scirrhus enim nihil aliud est, quam sanguis, aut liquor, in ipsis vasis cujusvis partis, instar coaguli, coactus & induratus.

Quaeritur puella de dolore ac tumore ubi abdominis recti musculi sterno junguntur; imo ad oculum & tactum intumescentia apparuit; digitis facile cedebat.

Hepatis inflammatio & ulcus.

POst mortem in hepate ulcus virosum & valde foetens inventum est. Peritonaeum ob viciniam corruptum erat.

Inflammatio Hepatis circa rectorum musculorum regionem apparens eos musculos elevavit, atque sic decepti Medici. Ars nostra in plurimis conjecturalis dicenda, nam quae intus latent, conjectura saepe assequuntur, idque invitâ ratione. Laboravit aegra ex jecoris tumore, qui postea maturatus, ipsum peritonaeum corrupit; hinc illae lachrymae & mare malorum.

Infans unius anni, post nativitatem Hydrocephalos factus; obiit.

Hydrocephalus dissectus.

DIssectum caput tres libras, Romani ponderis, limpidae & subsalsae aquae, cerebrum vero valde depressum & flaccidum, continebat.

à Nimia cunarum commotione, cerebrum saepè ita concutitur, donec vascula cerebri tenella rumpant: Cranium interim per suturas, necdum ut in adultis, firmiter concretum, ab effluente latice facile immensum usque dilatatur, & ad Hydrocephali genesin ansam praebet.

Mulieris se gravidam putantis abdomen sensim intumuit. Gestationis tempore elapso, Hydrope laborare judicata est: per triennium venter ita intumuit, ut oneri ferendo vix sufficeret. Tandem febri continuâ, dyspnaeâ, siti immani & inquietudine emaciata animam reddidit. In vivis multo potu frigido & fructibus crudis usa fuit.

Hydropis Anatome.

COntinebat abdomen lymphae nonaginta libras. Peritonaeum parti anticae ventriculi tam firmiter adhaerebat, ut non nisi cultello separari potuerit, adeo ut vulnus, per quod lympha educta fuerat, in ipsum ventriculum penetrabat. Ambo ventriculi orificia eundem situm fere obtinebant, seque invicem tangebant: Omentum superiorem partem accupabat. Jecur è loco valde elevatum. Ventriculus per medium dissectus ulnam mercatoriam vulgarem susuperabat, fibris, quae membranam interiorem contexebant, à se invicem latè diffitis. Cystis aquosa de pylori medio pendebat, interior ventriculi membran hydatidibus scae ebat.

Quantum frigida & fructus acidi nocent, cuivis notum: frigida sanguinem instar gelatinae concrescere faciunt, acida vero eundem coagulant: atque haec duo mulierem hanc vexarunt.

Rarum

Rarum certè Hydropis ventriculi exemplum est: novimus Hydropem esse vel generaliter per universum corpus, vel in particularibus partibus tantum reside-re, atque illa sors nostræ mulieri in ventriculi membranis contigit. Vasculis lym-pham, per universam texturam, vehentibus, dilatatis, primo Hydatides seu a-quulæ ortæ sunt, & deinde post eorum rupturam, lymphæ intra ventriculi tu-nicas effusio, hinc quoque laterum ingens dilatatio, intra cujus intercapedinem immensa liquoris copia, dissecantibus inventa.

Ob sanguinem aliquando refrigeratum & deinde incalescentem, febri labo-ravit: ex diætâ liquet multum cruditatis & aciditatis in sanguine reliquisque suc-cis accumulasse. Ex Febri, ob salivæ defectum oriebatur sitis ingens. Inquie-tudine fatigata est, quia acidi & viscidi humores, particulas acutas habentes, membra omnia vellicabant, unde quasi totius corporis dolor. Sitim patientes cibos vix capere aut deglutire queunt, imo abhorrent; accedit apetitus prostra-tus & ventriculi ab aqua ad interiora coarctatio, unde vix cibum, nisi cum sum-mâ difficultate sumere quivit: non mirum igitur illam ad extremam maciem fuisse radactam.

Facile mihi persuaderem, ex potu frigido, quem æstate largiter ingessit, lympham, ventriculi parietes percurrentem, fuisse constipatam, unde vascu-lorum dilatatio & ruptio: unde venter post annum unum & alterum immen-sum usque extensus fuit.

Sexagenarius per quadriennium initio levi, post gravi pectoris angustiâ de-tinetur. Is subito inopinatâ morte, quasi fulmine ictus, corruit.

DIscissâ cartilagine costis annexâ, mox lympha ex viridi citrina, cum impe-tu prosilit. Pulmones maculis nigris etiam diversi coloris, instar sperma-tis ranarum occurrunt, ex quibus sanguis nigerrimus profluxit. Apoplexia & pectoris hydrops.

Apoplecticus obiit, nam in pectoris cavitate lympha erupit, ob cujus copiam pulmones se liberè movere non potuerunt, atque sic per eos sanguinem amplius moveri concessum non fuit: cerebrum interim ab ejus irrigatione frustratum, corpus corruit.

Ante annos duos laboravit Filia quædam quatuordecim annos nata Hy-drope quæ medicamentorum usu, curata fuit: ab illo tamen tempore integra valetudine fructa non est. Incidebat tandem in febrim continuò affligentem: aderat alvus plus debitò lubrica, plurima viscida & cruda egerebat. Venter denuò intumuit, & aliquando crura. Sic do-lorem punctorium per vices in abdomine sentiebat; presso etiam abdo-mine, ob dolorem restitit. Venter tumebat, præsertim in ambitu Ven-triculi. Tumore presso, plurimum præsertim in sinistro latere duobus digitis ab umbilico, dolebat, ubi ab initio morbi, dolorem punctorium

aliquoties perpessa fuit. Aperto tumore nullum pus, sed postea nonnihil effluxit. Omnibus in pejus ruentibus, obiit.

Pus & putrilago in abdomine.

INteraneis exploratis, in tumoris loco, abdominis musculi, putredine affecti conspiciebantur, idque ab umbilici sinistra parte, à dextris vero, intestina peritonæo adhærebant. Jecur flavum, mole suâ mediam Thoracis partem implebat; omnia pure & putrilagine non sine gravissimo fœtore erant referta. Summa aderat macies in toto corpore.

Pus effusum omnia corrupit, omniaque viscera suâ mordacitate vastavit: adeo ut per corruptum diaphragma Hepar Cordi vicinum erat.

Juvenis quidam Sutor vix viginti quatuor annorum, cùm messis tempore sub ferventissimo sole pluribus diebus messorem egisset, & quadam die propter sitis vehementiam, aquâ frigidâ derepentè, sese impleverat febri continuâ correptus fuit: ex quâ male curatus in Cachexiam incidit: itaque nunc tertianâ, nunc quartanâ laboravit.

Post menses octo, quum ex morbo isto diuturno vires plane prostratæ essent, omnesque partes corporis (ventre tamen excepto, qui admodum inflatus erat) imo & ipsa crura, supra modum extenuata essent, è vitâ discessit.

Post cachexiam anatome.

DIssecto Cadavere, in ventre pus album, bene digestum, & minimè fœtidum (quale ex abscessibus manare consuevit) inventum est, idque ultra libras undecim Romanas. Ulcus nullum. Splen & Hepar scirrhosum. Reliqua viscera se bene habebant.

Quantum frigidus potus bibentibus noceat, unicuique notum. Sanguis enim æstuans statim à frigore coagulatur; coagulum illud in hac aut illa parte sedem figens, varia symptomata producit. Primo oritur febris; postea, sanguine corrupto, emaciantur, atque perditum eunt. Mirum hic nullum adfuisse ulcus: ergo credendum hocce purulentum ex vasculis lymphaticis aliunde emanasse; fortè & in interiore jecoris parte pus quoddam generatum & per vascula, oculos effugientia, ejectum fuit.

Matrona quædam cacochymica, circa quintum mensem impregnationis, parturientium doloribus correpta, post maximos & diuturnos conatus, gemellos cum multâ aquâ enixa est, fœmellam sc. ac masculum.

Alia.

ABdomen masculi, non secus ac hydropicorum, lympha impletum erat. Testes in ipsa ventris capacitate residebant; vasa ad testiculos euntia, pro consueto breviora erant. Vasa deferentia quam solet longiora. Testes ejusque vasa præter modum rubicunda. Hepar debitò majus, inflatum & aliquo modo lividum. Mesenterium similiter, uti & renes inflammati. Vesica rugosa

gosa planè & vacua, præterquam quod humor viscidus ei ad latera, non secus ac in intestinis videre licebat, adhæsit. Cutis undique maculis lividis, quales in febribus pestilentialibus conspici solent, conspersa erat.

Exemplum Hydrocephali, habetis in præcedentibus, quem ipse ante aliquot annos dissecui. In hoc infantulo Hepar obstructum fuisse mihi vero simile videtur. Matre fortè perversâ victus ratione usâ, infantulis obstructio contigit: adeo ut, vasculis lymphaticis ruptis, liquor in abdominis cavum eruperit. Maculas, quibus cutis erat conspersa, ex suffocatione inter parturiendum obortas credo; nam ex difficili partu vasa sæpe adeo comprimuntur, ut sanguis huc illuc ire nequeat, interim coagulatur, suoque colore cutim sugillatam reddit. Quoad testiculos intus latentes, lusus informandis membris, est, ut aliquando fit. Novi Studiosum cui etiam antea planè latuere, cujus unus testiculus, dexter nisi fallor, Herniâ obortâ, extrorsum trusus est; qui & sanatâ herniâ, extus mansit, cum alter alterius lateris intus manserit. Inflammationem Mesenterii uti & renum factam arbitror ex aquâ jam in ventrem effusâ, cujus corruptione vicinæ partes haud raro læduntur. Vesicam intus muco oblinirì facile mihi persuadeo; cum ut intestina, folliculus fellis &c. glandulosis acinis investitur, quorum ope præcavetur, ne urina acris vesicam mordacitate suâ invadat. In suppressâ urinâ iste mucus sæpe vesicæ collum ita obstruit, ut non, nisi mediante cathetere, mingere queas.

Hydropica quædam ab hydrope liberatur, verum in abdomine quædam durities remansit, lapidis instar dura, postea ob inordinatam victus rationem, mensiumque inorditatè fluentium, suppressionem, iterum in Hydropem incidit, à quo postea obiit.

CAdavere dissecto, malum aquæ profluit. Universa intestina, & ambo latera, circa diaphragma, multis millibus granulorum referta visebantur: insuper etiam spatium illud, quod inter intestina & mesenterium, cui annexa hærent, interiacet; muco quodam viscido, gelatinæ colorem ac substantiam referente, repletum scatebat, Reliqua viscera (excepto solo pulmone, qui in locis quibusdam quoque granulis infectus conspiciebatur) omni labe sensibili carebant. Cæterum, dissectâ vesicâ felleâ, lapillus, magnitudine nucis juglandis, est inventus. Uterus erat flaccidus, sanguine restitante in vasis turgidus. Hydropis anatome.

Quid sit Hydrops in præcedentidus satis superque explicavi. Granula illa, quæ ubique visebantur, erant glandulæ minimæ, jam ob aquæ copiam & ex viscido humore obstructi & eoque magis turgidulæ. A viscidâ bile in vesiculâ hepatariâ sæpe, ut ante vidimus, lapilli & arenulæ concrescunt.

Mulieris Venter, post puerperium in tantam excrevit magnitudinem, ut circumferentia, ducto per medium umbilici filo, pedes geometricos quinque contineret. Miserè per aliquod tempus vixit, tandem triduò

ante obitum, rupto umbilico, ultra mensuras octodecim aquæ effluxit.

Alia.] APerto Cadavere, iterum aquæ ultra mensuras viginti effluxit. Præterea Ovarium dextrum ad Ovi anserini magnitudinem adauctum, pilis, materiæ cuidam purulentæ & oleaginosæ commixtis, infarctum fuit; major autem pars pilorum, quasi confuse in globum acta, prædictæ materiæ immixta fuit: multi quoque interiori membranæ tenaciter adhærebant.

Virgo quinquagenaria cacochymica, in uteri Hydropem incidit, qui ad triennium duravit.

Uteri Hydrops. TAndem post obitum dissecto cadavere, non tantum uterus pustulis, aquâ referris, inventus, sed in ipso etiam abdomine saniosa colluvies fœtida subpurulenta ad aliquot heminas deprehensa fuit.

Cacochymia est corruptio sanguinis & humorum, unde obstructiones, & vaseulorum lymphaticorum eruptiones, hac de causâ aqua facile intra membranas effluit, Hydatidesque elevat.

Fœminæ alicujus venter instar prægnantis intumuit, subsequentibus etiam pedibus tumore duro, nullas ex pressurâ foveas recipiente, præditis.

Secunda. POst mortem Hepar & Lien sine noxâ, pulmo semiputridus: uterus exemptus intumescens libras octoginta septem mercatorias ponderavit, partim ichore flavo, partim etiam materiâ adiposâ, & oleaginosâ repletus, in medio ipsius uteri cum prædictâ materiâ copiosi pili, instar lanæ mollioris, flavescentis, inventi sunt.

Nobilis fœmina vidua, per multos annos pedem graviter ulceratum & fontanellam etiam in altero pede habuit. Horum diuturnâ molestiâ defessa per Chirurgum consolidari curavit, quo facto, statim spirandi difficultas occupat, appetitu edendi non dejecto, imo, ipsa dicente, jam vegetior reddita, ita ut desiderio indulgere, ob asthma, nunquam ausa fuerit. Tandem totum corpus intumuit, & asthmate aucto, viribusque diuturnitate fractis & attritis, vitam reddidit.

Cacochymicæ anatome. IN hujus post mortem latere sinistro, ad lienis situm, abscessus, quem omnium cum admiratione occultum habuerat, apertus inventus est, ex quo, defunctâ jam ipsâ, magna fœdissimæ saniei copia effluxit.

Sunt perplurimi, & nomine & superficie nasuti Medici, qui causam hujus asthmatis & ulceris occulti, fontanellæ aut ulceris consolidationi imputarent: quod

quod revera non est, si quis solummodo consideret, fontanellam, esse aliud nihil, quam ulcus artificiosum, cujus puris evomitus non ab omni parte corporis corraditur, sed in ipso hoc ulcere producitur, à succo nempe chyloso, ex vasculis in ulcere ruptis, emanante, & ob acoris contractionem, coagulante. Sunt certè cæci, & talpis terram rostro evertentibus cæciores, qui hoc non animadvertunt. Ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει, vulpes bovem ducit, ut est in in proverbio.

Unde ejus ulcus in altero pede ortum duxit? nisi ab humoribus eodem in loco restagnantibus, unde inflammatio & ulcus: vascula interim lymphatica, continuò lympham reddentia, ulcus, ne ad consolidationem duceretur, perpetuum produxerunt.

Eandem ob restagnationem, ulcus in latere sinistro, productum; eademque causa pulmones reddidit obstructos, aërique spirando minus permeabiles, unde respirandi difficultas & asthma.

Vir quidam aliquando febricula & tussi infestatur: hæc omnia tempore in pejus ruere cœperunt, adeo ut ob suffocationis metum, erectè sedere coactus fuit. Viribus interim deperditis, obiit, postquam à longo tempore ἀσφυξίᾳ laboraverat.

THorace aperto, ingens aquæ fœtentis copia effluxit, pulmo sinister putridus. Splen quoque multum puris continebat. In arteriæ magnæ initio, quidam sanguinis grumi aderant. Thoracis hydrops.

A corrupto pulmone, respirandi difficultas; cor si sanguinis quantitatem sufficientem ex pulmonibus obsessis non accipiat, sese debito modo non expandit, nec contrahit, unde & pulsus defectus, præsertim si arteriæ à sanguine grumoso obstruantur. Ob pulmonum quoque corruptelam, vasa lymphatica rupta sunt, ex quibus liquor emanavit, quia à fœtentibus pulmonibus, fœtidus redditus est.

Quidam post nimiam vini ingurgitationem in tussim vehementem incidit, adeo ut sæpe suffocationis esset metus: postea pedes valde intumuere. Ingravescente tandem dyspnæâ: spolia vitæ exuit: in dextro latere semper decubuit.

IN aperto corpore hæc inventa sunt. Jecur scirrhosum & plumbei coloris. Lien flaccidus & debitò major. Ren lateris dextri calculo cum arenulis plurimis fuit obsessum. Cacochymiaci anatome.

Auricula Cordis dextra sanguine grumoso turgebat. Pulmones exucci & lividi. Intra membranam pleuræ & pulmonum serum acre & mucus inventus.

Quidam repentina morte è vivis ereptus.

Alia. APerto thorace, inferior dextri pulmonis pars erat consumpta, superstite tamen exteriori membranâ, valde incrassatâ; intusque materiâ sebaceâ oblitâ: supra diaphragma ingentis molis hydatides succrevere. Sinister pulmo lividus erat. Cordis ventriculi atro sanguine turgidi.

Hujus repentinæ mortis causa fuit suffocatio, nam sanguis in corde ob crassitiem restagnans, pulmones aëre impleri non amplius potuerunt, unde quoque sanguinis circuitus desistentia.

Virgini pauperculæ adversâ valetudine aliquandiu usæ cepit abdomen intumescere (Anno 1660 à quo tempore tumor paulatim & ita increvit) ut præ pondere, decem & octo annis molestissimè vixerit, antequam miseriarum suarum invenerit finem.

Tertia. TOtum corpus quodammodo erat ematiatum, sed abdomen in tantam molem excreverat, ut reliquæ partes vix conspicerentur, & ferè à nemine, qui demonstrationi non adfuit, concipi queat. Aperto abdomine nulla aqua effluxit, sed omnis continebatur in dextrâ uteri tubâ, & quidem solummodo in ejus parte juxta testiculum, nec non in ligamento isto lato, quod ab Anatomicis alæ vespertilionis vulgo assimilatur; eaque ab aquarum copiâ ita erat dilatatâ, ut inflicto parvo vulnusculo centum & duodecim libræ effulxerint. Aqua hæc erat limpida, fontanæ ad instar, saporis subsalsi. Substantia in qua continebatur crassitiem habebat semidigiti: externæ superficiei multæ vesiculæ aquosæ, nec non portiones adiposæ plurimæ adhærebant. In latere opposito eodem in loco tumor conspiciebatur tenax, continens in se purulentam, fungosam, cartilagineam, viscidam, & nescio quam putridam materiam, nec non plurimas vesiculas limpido humore repletas, ultra decem libras pendens: cujus externæ parti adhærebat alius tumor, magnitudine duarum manuum sibi invicem complicatarum, flavus, mollis, friabilis, materiam continens purulentam casei putrefacti ad instar. Ovarium erat mediocris magnitudinis, ac dimidiâ ex parte corruptum. Uterus tamen debitè erat constitutus, & decentem habebat magnitudinem, atque in ejus cavitate ne guttula quidem aquæ conspiciebatur. Meatus ex utero tubas spectantes erant aperti, ita ut liberè & sine ullo impedimento ex utero in tubas utrasque stylus penetraret, usque ad tubarum medietatem, ultra quam ulterior progressus nequaquam concedebatur. Hepar extrinsecus erat fœdi coloris; & multis hydatidibus obsessum, quarum aliæ ovi columbini, aliæ ferè ovi gallinacei, aliæ minoris erant magnititudinis; quibus tamen non solum hepar, sed etiam aliæ in abdominis partes scatebant: interior hepatis substantia satis sani & rubicundi coloris conspiciebatur. Lien similiter bene erat constitutus. Ventriculus ad minimum apparebat quadruplò major, fœtenti materiâ plenus. Intestina

omnia erant atri coloris & ferè sphacelata. Cum cultro perforatum esset diaphragma, magna rubicundi humoris copia cum impetu effluxit. Cætera ob magnum fœtorem non inquisita.

Anno 1678 vocatus hic loci apud puerperam, *Abrahami Scotani* uxorem, in plateâ vulgo *d'oude zyds Narm-steeg* habitantem: videbam infantem ante triginta horas natum: qui, crepundiis dissolutis, pugni magnitudine quasi vesicularem tumorem, in dorsi medio gerebat, digitis cedentem. Is post diem tertium moriebatur: aperto tumore, aqua profluxit lympida, in membranâ, quâ alias cingitur medulla spinalis, conclusa: vertebræ ibidem loci, à posteriori parte, erant fissæ; & in duas partes divisæ, quod facile fit, quia vertebræ posterius distinctis, & ab invicem separatis constet officulis. Simile exemplum vide in observationibus Ruischianis. Medullæ spinalis Hydrops.

VIII. CAPUT.

DE LIENIS INFLAMMATIONE, ULCERATIONE, OBSTRUCTIONE, AUT SCIRRHO: ITEM DE HYPOCHONDRIACA PASSIONE.

Lienis inflammatio, obstructio, scirrhus.

Inflammationes, *ulcerationes*, *Obstructiones*, & *scirrhi Lienis*: nunc tractandi, sed Lienis inflammatio non est adeo obvia: & si prostet, tunc *fervor*, *dolor*, ac ferè *tumor* cum *pondere* nonnihil gravante in profundo hypochondrii sinistri percipitur. Sed quia inflammatio renis ejusdem lateris cum lienis facile confundi potest; præcipuè *dolor pulsatorius* considerandus est, qui in *lienis inflammatione* propter arterias copiosas sat sensibilis est, quod applicata manu regioni lienis, pulsatio ferè sensibilis percipi possit, de quo tamen meritò dubitatur; cum è contra in *rene inflammato* mitior talis pulsatio esse soleat. *Febris* adest *continua*, *difficultas*, (ex diaphragmate per consensum affecto,) *in respiratione* simul adest.

Inflammatio illa malè præsertim si tractetur, facile in scirrhum abit. Solvitur sæpe hæmorrhagia, diarrhæa, urinæ profluvio, &c.

Hypochondriaca passio.

Hæc eodem modo tractari solent ac de Hepate dictum. Sed hisce conjungitur aliud symptoma HYPOCHONDRIACA PASSIO dicta, ex lienis obstructione, qua per totum corpus indefinita accidentia concitantur. Maximè evenit tristibus, & taciturnis ac delicatulis, præsertim crescente ætate. Post prandium & cænam dolores in abdomine, interdum nausea cum vomendi conatibus; cibi sunt appetentes, sed post estum gravantur: cibi vertuntur in materiam viscido-aquosam, acidam, acerbam, salsam, quæ aliquando in os re-

regurgitant, in abdomine murmura exaudiuntur ac inflationes : continua adest sputatio, quia sanguis incrassatus moram trahit in glandulis salivalibus, & hac occasione plus salivæ excernitur. Tumor è regione lienis sentitur cum pulsatione; propter lienem tumidum etiam in motu impeditur diaphragma; unde respiratio difficilis; unde Anxietates, suffocationes, lipothymiæ. Conjungitur non raro horror febrilis, quem calor cum sudore viscido insequitur. Et quia sanguis in liene obstructo quasi regurgitat, cor se à sanguine influxo liberare nequit, hinc cordis palpitatio & respirandi quoque difficultas: eopropter non raro in syncopen labuntur, & non sine Vitæ periculo constituuntur. Constipatam sæpe habent alvum, cujus egesta, limosa, tenacia, viscida, nigra apparent. Oculi non raro obscuri sunt; ægri assiduo cogitabundi & inquieti, semper timidi, nemini fidentes : accedit aliquando delirium quod dicitur Melancholicum; urina nunc tenuis est, & instantem paroxysmum significat, sine Hypostasi, aut concoctionis indicio; nonnunquam turbida, crassa, rubra, acris; non raro fœtida, quæ si fuerit frigefacta arenulas rubras interdum deponit. Pulsus nunc durus, nunc tardior, nunc concitatior, frequenter intermittens. Cephalalgia sæpe immanis. Porro quibusdam Vertigines, Maniæ, convulsiones, memoria abolita vel imminuta, aurium sonitus, lassitudines, formicationes, stupores, vigiliæ, sommi perturbati, insomnia terribilia advenire solent. Ardens calor in malis, & tota facie, manuum volis & pedum plantis, aliaque plurima.

Causa consistit, ut aliorum morborum in sanguine incrassato, qui nequiens per capillares lienis arteriolas meare, ibidem retardantur; & quoniam plus sanguinis accedit, quam per venam portæ & Hepar remeare potest, debet lien magnoperè extendi & tumefieri. Tumefacto liene expandi debent ejus membranæ & ferè ab invicem divelli, unde dolor, qui augetur post exercitia, aut usum aromaticorum, quibus cursus sanguinis magis promovetur, hinc extensio major & dolor exacerbatur. Arteriæ interim lienis comprimuntur hinc pulsatio augetur, eodem modo ac pulsus sentitur, inflammato digito. Sanguis porro in liene moram trahens, ibi purpureum deponit colorem, qui ob crassitiem & coagulationem, livorem induit, hinc lienes lividi, & facies sæpe livida. Lienis nervo irritato aut convulsione quodammodo læso, oritur cordis tremor. Quomodo adeo tristes sint, dictum *in Institutionibus*, nempe ob spiritum animalium penuriam. Ob Ventriculi nervorum interventu cum liene communionem, ventriculo non raro *Nausea* accedit & *Vomitus*, quibus non parum contribuit fermenti succi gastrici corruptio, ex sanguine depravato stillante. Murmura in intestinis etiam ob nervorum societatem causantur, nam fistula intestinalis hoc modo inflari potest : cui accedit pituita in intestinis, & inde quoque flatus. *Causæ externæ* sunt perversa victus ratio; acidi nimii usus, præsertim uti in nostris regionibus solet; comestio lactucæ cum multo aceto, & insuper lac : potus cerevisiæ acidæ aut seri aut lactis ebutyrati, uti in Frisia præsertim solet.

Morbus iste non quidem lethalis est, sed diuturnus : post curationem sæpe recrudescit. Urina crassa præstat tenui. Sed si nigra fuerit sine febri curatio-

nis

nis spes est, sed contrarium evenit in febribus continuis. Alvus laxa præstat strictâ. Mutatur quidem in Epilepsiam, Apoplexiam, cæcitatem quibus Murmura in Hypochondriis, iisque tumefactis accedunt, cum lumbari dolore, laxantur alvo, nisi adveniant flatus, aut urinæ copia, quod quidem in febribus fit. Dolor sine inflammatione, febri solvuntur.

Primo sanguis incrassatus est attenuandus: viæ primæ purgandæ; & symptomata prospicienda: atque hæc consistunt maximè in acidum temperantibus, ex quibus etiam bilis augmentum sumit. Si in ventriculo sint humores pituitosi tum vomendum, & singulis mensibus repetendum, cum *sale vitrioli*, *oxymelle scillitico*, *cerevisiâ cum oleo*, &c.

Quoad purgantia, hæc fieri possunt ex *Scammonio*, *Aloë*, *guttâ gambâ*, *Colocynthide* una cum *Tartaro Vitriolato*, *Vitriolo Martis*, *Gummi Ammoniaco* &c. Præstant etiam Pilulæ Bontii ex *Aloë*, *Gummi Ammoniaco* & *Tartaro Vitriolato*, Lienis regioni applicandum Emplastrum ex *Gummi Caranna* in *Oleo Terebinthinæ* soluto, vel *Emplastrum de Tabaco*, aut *cataplasma ex Tabaco*. Sumatur interim vinum aliquod chalybeatum: aut *Tartarus chalybeatus* ex *Martis Magisterio* & *cremore tartari*. Quidam *Apozemata* parant ex *Polypodio*, *radicibus Graminis*, *Fœniculi*, *Asparagi*, *Cichorei*, *Buglossæ*. *Foliis Agrimoniæ*, *Ceterach*, *Capilli Veneris*, *Scolopendriæ*, *Fumariæ*, *Buglossæ*, *Endiviæ*, *Acetosæ*, *Cuscutâ*, *Epithymo*, *Lupulo*, *Corticibus Tamarisci*, *Capparum*, *Foliis Senæ*, *Agarico*, *Rhabarbaro* &c. Hæc quidem omnia bona, sed quia Apozemata Nauseam sumentibus pariunt, propter odorem, ac ingratum saporem, uti & ob succum longum, iis non utimur, sed præstat potius extractum ex iisdem parare atque sic breviorem dosin ægris elargiri. Qui sunt succi calidi, sequentibus utantur temperatioribus.

Recipe Ocul. cancri, *unciam semis*.
Croci,
Caryophyllorum, *ana drachmam semis*.
Florum salis armoniaci,
Macis, *ana drachmam semis*.
Elixiris citri, *quantum sufficit*.
Misce fiat conditum.

De quo aliquando drachmæ duæ sumendæ. Temperat enim Acidum, & quidquid tardigradum, ad motum stimulat. vel,

Recipe Tinct. Gummi Ammoniaci.
Croci,
Elix. Proprietatis sine acido, *ana partes æquales*.
Misce. vel,

Sume Spir. Cornu cervi aromatisati, *partem unam*.

Tinct. chalybis, *partes duas.*
Misce.

Hæ mixturæ guttatim aliquoties in die sumi debent. Conciliant enim sanguini fluiditatem, ut spiritus cerebrales meliorentur: quidquid enim ex sale volatili constat, ad illud procurandum utile est. *Chelarum cancri pulveres*, omniaque *chalybeata* acido domando magnoperè conducunt: & ut vires efficaciores fiant, non inutile est potum calidum Theæ superbibere, ut eo citius medicamenta distribuantur, sanguinemque incorrupta intrent. Potus enim fluidus & simul calidus non parum ad fluiditatem conducit. Valet etiam illud sequens.

Accipe Olei Macis, *guttas viginti.*
Spiritus salis armoniaci, *uncias duas.*
Vini, *uncias quatuor.*
Misce.

Abstinendum ab omnibus acidis, acerbis, lacte ebutyrato, caseo, salsamentis, infumatis. Cibus sit caro recens junior, pisciculi durioris & ficcioris carnis, asparagi, spinachium, Beta, cherefolium, Cichoreum, sinapi, Articocali, Lupuli stolones, ova sorbilia, &c. recens sit cerevisia, & vinum merum, Exercitium modicum.

Si lieni adveniat Inflammatio, Apostematio aut scirrhus, eodem modo est procedendum ac de Hepate præcedenti capite dictum.

Domina splene ingentis molis diu vexata, purgans assumpsit annuum, ex se alias bene habens, hac vice ad quatuor dies infinitis vicibus corpus discruciatum (iræ sanguinem commoventi causa adscripta) alvo ex parte tranquillâ reddita, venæ sectio instituta, post hæc constipatio nata cum scybala vehementiâ ejicere conaretur, in vomitum per triduum durans cum summâ debilitate & perpetuo narium stillicidio incidit. Postea primo vertigine levi & deinde apoplexiâ se tactam imaginatur. Ex syncope tandem obiit.

Cachecticæ anatome.

RECluso abdomine, lien maximæ molis erat: sex libras civiles pendebat. Interior ejus substantia picem saturato nigrore referebat. Fœtor aderat: Stomachus putridus & inflammatus. Imo in utroque latere, ubi ab hepate & liene cingitur, non aliter, ac si combustus esset. Intus exulcerationem patiebatur: à lienis regione erat disruptus.

Nihil auxilii attulit nec Purgatio nec Phlebotomia; expedit enim considerare morbos, num oporteat purgare, sanguinemve effundere, nec ne. In hac ægra obstructio in liene, idque à crasso sanguine: illud malum medicamentis pellitur chalybeatis & volatilibus, quibus obstructiones tolluntur. Expul-

puli sæpius ejusmodi obstructiones cornu cervini oleo rectificato ac camini fuligine. In hac matrona sangnis non tantum erat crassus, sed post catharsin & sectam venam, multo spissior redditus est: adeo ut lienis tumor ingravescere incepit; cujus ingenti mole ventriculus cum intestinis ita premebantur, ut ingesta per pylorum vix ascendere, ac per intestina vix descendere potuerunt: exinde ventriculus semiputridus factus est, quia contenta acescebant, acoremque contraxerant. Ob intestinorum compressionem fuit alvus constipata; hinc cum vi conaretur fœces deponere, in narium Hæmorrhagiam incidit: in hoc conatu quid fit, quam quod inspirando & diaphragmatis compressione, arteria è corde descendens adeo comprimatur, ut sanguis potius versus superiora ruat, quam ad partes infra diaphragma: & ob hanc causam vultus tumet, luridoque colore sæpe tingitur. Tumescentibus igitur arteriis sanguinisque aditu libero versus cor præcluso, vascula sanguinea nares perreptantia facile in ῥῆιν sive disruptionem incidunt.

Ex Cerebri Paralysi, primo Vertigine, & deinde Apoplexia correpta; decessit.

Mulier quædam jam pridem morbo detenta, sibi persuadebat, fœtum mortuum post partum alterius (qui tum post triduum mortuus) per menses quatuordecim in utero remansisse. Id vero quod ipsam in hac opinione falsa confirmaverat, erat in latere sinistro durities manifesta, oblonga, ac ex inferiori parte rotunda, caput infantis repræsentans, quæ ad ilia usque se extendebat, comprehendens simul regisnem umbilici, una cum lateris dextri costis brevioribus.

Cadavere inciso, tantæ magnitudinis Hepar erat, ut lobus stomachum versus sub costis sinistri lateris breviores transgrederentur. Splen quoque immensæ magnitudinis, durus, & in inferiori parte versus ileum rotundus, sanguine nigro plenus, hepatis lobo adnatus conspiciebatur. Venæ ejus cum arteriis, mediocris pollicis magnitudinem excedebant: vas quod dicitur breve, exiguum, & obstructum erat. Hepatis & lienis obstructio.

Et Hepatis & Lienis obstructio fuit, quorum extensione, mulier opinione falsâ detenta fuit. Hæc immensa utriusque visceris magnitudo plane ab obstructionibus dependet, sive à morbo, quo olim laboraverat, sive postea hæc symptomata oborta fuerint. Mala sæpe utuntur mulierculæ diætâ, acidis plerumque cibos immodicâ quantitate corrumpunt, hinc chylus & sanguis corruptus, crassus & inspissatus.

IX. Caput.

DE MORBIS QUI ADVENIUNT RENIBUS AC VESICÆ, UTI DE INFLAMMATIONIBUS, ULCERATIONIBUS, NEPHRITIDE, CALCULO, ISCHURIA, STRANGURIA, DYSURIA, DIABETE, SANGUINIS MICTIONE. &c.

Renum & vesicæ inflammatio.

AB Hepatis & Lienis morbis tandem descendimus ad curatonem Symptomatum, quæ *renibus* ac *vesica* accedunt. Primo itaque de utriusque *Inflammatione* agemus: quid sit Inflammatio in genere in *Institutionibus nostris* & alibi in *Chirurgia* diximus, nempe alicujus partis intumescentia cum calore, rubedine, pulsatione, &c. ab obstructione canaliculorum. Raro renes inflammantur, sed quia fit, ejus signa, prognostica, & curatio sunt hic describenda: sic vesica etiam raro inflammatiobus occupatur.

Causæ possunt esse urina acris & ardens; obstructiones in canaliculis minimis, quibus succus lacteus & nutritius vehitur. Vasculorum ruptiones ab ictu, vulnere, saltu, rerum gravium elevatione, ac latione, cursu nimio, &c. hæc omnia facile ansam inflammationibus elargiuntur.

Signa quoad renum inflammationem est in ea parte dolor gravis circa costas nothas, dorsum & vesicam, non raro cum pulsatione: ægri sese non nisi cum dolore erigere valent, neque vix pedibus insistere, difficulter sese in latus oppositum convertunt, aut supini in ventrem jacent: risum, tussim, sternutationes aut alios commotiones non ferunt, crus ob musculos psoas & nervos compressos, stupore afficitur aut quodam dolore. Ob urinam acrem & ardentem, non nisi cum difficultate mingunt: Alvus pigra est, urina aliquando est purulenta aut sanguinolenta, quamvis in principio clara, quæ sensim rubicundior fit & intensior, adest febris continua cum vigiliis, delirio sæpe, nauseâ, Vomitu, ventris distensione, extremorum frigore, &c. Proxima coli pars non raro quoque inflammatione afficitur.

Calculus à nephritide seu renum inflammatione distinguitur: quod nephritidi perpetuò sit juncta febris continua; calculo vero minimè aut admodum raro adsit eadem. Quod dolor in inflammatione sit magis continuus & pulsanti similis, in calculo vero magis interpolatus seu periodicus & gravativus. Quod plerumque renes inflammati comitem habeant urinæ stillicidium, seu mictionis difficultatem: contra vero se res habet, ubi renes calculo sunt obsessi, in quo affectu non semper Ischuria se offert, sed tunc demum, ubi calculus ipsis ureteribus firmiter fuerit impactus.

Vesica inflammatur à sectione calculi, aliove vulnere; ab ictu, contusione, cantharidibus: adest ordinario *Tensio*, *durities*, *ardor* & dolor in regione vesicæ & pubis.

Inflammatâ vero vesicâ perinæum cum pubis regione rubore, dolore ac ardore occupantur. Dysuria adest, & si quid mingitur, non sine acredine & ar-

dor

dore redditur: totaliter aliquando supprimitur. Ob viciniam etiam rectum intestinum afficitur, atque tunc alvus est astricta vel desidendi continua est cupido: adest febris, vigiliæ, deliria, & hujusmodi alia.

Renum inflammatio malum est anceps & non sine vitæ discrimine, præsertim si deliria adsint, convulsiones, frigidi sudores, extremitatum frigus, &c. ast si suppuratio superveniat & pus per ureteres & vesicam evacuetur non malum est, alias periculosum. Idem de vesicâ dicendum.

In curatione renum & vesicæ inflammatio est dissipanda omni vi tam externis quam internis. Vena aperiatur ut tumor factus minuatur, atque dolor sistatur. Clyster etiam est injiciendus ne excrementa in colo contenta renibus aut vesicæ ob onus & pondus noceant, atque is aliquando repetendus. Quia adest febris nihil melius est quam bibere decoctum ex *Scorzonera & Cornu cervino*, uti & potus Theæ, coffeæ, aut decoctionem ex sallâ & chinâ cum radicibus glycyrhizæ: si adsint vigiliæ, ut sæpe contigit, *capita*, addi possunt, *papaveris cum seminibus*. Externè adhiberi possunt Epithemata ex spiritu vini caphorato vel fomentum aliquod ex Malvâ, Parietaria, cherefolio, &c. Vel applicandus est sacculus ex farinâ hordei & arenâ calidâ, calor enim penetrans dissolvit & dissipat inflammationem, quod refrigerantibus fieri non potest, uti veterum solebat Authoritas. Cæterum prospicienda quoque sunt symptomata sudoriferis, temperantibus &c.

Sæpe huic morbo præcedit sanguinis *mictus*, quando vas ruptum fuerit, in Renibus præsertim, rarissimè in Ureteribus aut Vesicâ, tunc semper absque intolerabili dolore una cum urinâ mejitur sanguis, ut sit urina semper cruenta, & cum grumis sanguineis. Causa consistit in Vasorum ruptione ut supra dictum, vel à calculo, cujus attriu etiam vasa læduntur. Hujus sanguinis evacuatio larga non est sine vitæ discrimine, quia vires dilabuntur, atque sic Tabes aut Hydrops inducitur, noli movere camarinam: non raro in *Ulcus Renum* mutatur. Ob sanguinis grumos nonnunquam *Ischuria* producitur. Sanguinis mictus.

In hoc casu præter alvum laxam, acidum temperantibus opus sunt, deinde balsamicis ex *terebinthina*, *Balsamo Copaibæ*, *de peru*, &c quibus, si fluxus fuerit nimius sæpe nonnihil opii admiscendum. Emplastra etiam externè sunt applicanda ex oxycroceo & similibus. Potus sit lac calidum, aut Theæ infusio, ne scilicet frigidis sanguis grumescat. Si à calculo veniat, Hostis tantum est demulcendus, noli irritare crabrones, μὴ δαμῶς τὰς σφηκιὰς ἐρεθίζειν.

Inflammationibus ac sanguinis mictui sæpe RENUM AC VESICÆ succedit ULCUS, quod est cum vel sine calculo aut arenis. Sed quæritur signum, num ex renibus proveniat, num ex vesicâ? sed hoc indicatur ex doloris loco, si in lumbis sit, certissimum est renes laborare; sin vero in perinæo aut è regione pubis, pus è vesicâ exoneratur, & tunc tam magnâ quantitate non excernitur. Certissimum signum est puris cum urinâ mictus. Aliquando est album, nonnunquam sanguinolentum, non raro fœtet admodum, sæpe non item. Interdum consistentia est, ut pus vulgare, sed vidi tam tenax instar glutinis in spissam consistentiam cocti (in gubernatore Hulsdano) non sine vehementi fœtore, quod non nisi cum insigni dolore mingebatur. In aliis facile e- Renum & vesicæ ulcus.

mim-

mingitur, nisi adsit in vesicâ calculus, quod expertus nuper in famulo meo; cujus renes ambo erant pleni pure, & in vesica calculus, qui in vivis non nisi cum difficultate lotium reddebat. Hæc ulcera sine vitæ periculo non sunt, & raro curantur, quia est morbus internus, præsertim si in renibus adsit calculus, aut sabulum fixum. Sæpe adest febris cum tabe, vigiliæ, &c.

Hic solummodo detergendum & consolidandum. Præter alvum laxam, in hoc casu commendo acidum temperantia, quibus aciditas puris inhibetur. Deinde balsamica præscribo, ex terebinthinâ cum ovo sorbili, aut balsamum copaibæ & de peru, uti & balsamum sulphuris Terebinthinatum. Bibere possunt aquam mulsam chalybeatam. Si, propter urinæ acrimoniam, lotium reddi non possit, aquam mellitam siphone pudendo ad vesicam usque immittant, ex quâ non exiguum in plurimis solamen vidi. Pilulæ interim ex gummi ammoniaco, chalybeatis, &c. sumantur. Potus convenit ex coffeâ & glycyrhizâ: vel lac dulce, uti & Chocolata & Thea. Externè etiam Emplastra penetrantia adhiberi possunt vel linimenta calida & penetrantia ex oleo radicum cinamomi vulgo oleum caphoræ. Mercurialia nonnunquam data, ut Mercurius dulcis, etiam consolidat.

Nephritis & calculus. Inter renum morbos etiam recensetur NEPHRITIS & CALCULUS, ab invicem magnitudine differentes; nam in Nephritide Arenulæ & minimi calculi seu grumi tantum excernuntur: sed in calculo lapis ob magnitudinem excerni non potest. *Nephritis* itaque est in renibus arenularum collectio, quibus ureteres, vesica vel penis sæpe obstruuntur, hisce accedunt dolores immanes, sæpe cum stupore cruris ejusdem lateris in quo dolor est, cum vomitu, &c. In lumbis quibus renes adhærent, dolor est intolerabilis: in principio urina clara est, postea vel guttatim excernitur vel mictus plane denegatur; procedunt arenulæ vel minimi calculi, quibus urethra sæpe planè obstruitur, uti & ureteres, qui quoniam semper non sunt æqualis amplitudinis, sed aliquando magis coarctati, & interdum magis laxi (annotante *Cl. Ant. Nuk*) hinc est quod calculi in iis sæpe hærent, & non æquali viâ ad vesicam delabuntur. Sæpe testiculus lateris affecti sursum trahitur: nonnunquam adest Colica passio.

De *caussis* quibus Arenulæ & calculi generantur vide *Institutiones meas*: & quemadmodum calculorum materia in renibus crescit, sic eodem modo intra vesicæ membranas nascitur, præsertim in acinis vesicæ glandulosis, quod expertus in puero sex annorum, quem post obitum dissecui, cui intra vesicæ membranas, calculus rotundus, sed inæquali superficie hærebat: si in vesica non hæreat, & liberè intra vesicam cum urina fluctuet, tunc à renibus per ureterem delapsus est, ibique remansit, quia emingi non poterat, & sensim augmentum acceperat, quia particulæ salinæ ob eandem superficiem sibi invicem facile adhærent & applicantur, hinc calculi immensum usque augentur, vidi ante aliquot annos calculum, qui uncias sexdecim & semissem pendebat, quem peritissimus *Smaltius* ex vesicâ alicujus cadaveris secuerat. Materia illa in vesicâ semper non est dura, sed memini in modum crustæ instar gypsi aut glebæ lateribus vesicæ adhæsisse. Quoad symptomata. Vomitus, & cru-

Calculus ingens.

ris

ris stuporis, &c. sciendum ob communes nervos renum & ventriculi, Ventriculum facile in motum convulsivum stimulari, hinc vomendi conatus assiduus. Sic ob nervos communes ex lumborum vertebris, integumenta communia nervi comprimuntur, qui per totum crus incedunt: sic etiam si musculus psoas lædatur, crus quoque contrahitur. Colica passio aliquando à nephritica vix dignoscitur, quoniam ren dexter intestino colo cohæret, & sinister cæco.

Signa calculi renalis, secundum descriptionem Clar. *Groënvelt*, hæc sunt.

1. Dolor circa regionem lumbarem fixus omninò & stabilis, obtusus quidem, & gravantis ponderis sensum inferens, cum in ipso renum parenchymate, obtusiore utpote sensu donato, calculus stabulatur, at ubi in caput ureteris sese insinuavit, acutus, lancinans, omniumque crudelissimus. Signa calculi renum.

2. Spinam inflectendi difficultas, compressis scilicet distentisque ejus nervis aut musculis.

3. Calor lumborum molestus prorsùm.

4. Stupor femoris, crurisque è directo, ob compressionem (à calculi gravioris pondere) musculi, ψόα dicti vel nervi in omnes crurum musculos divaricati.

5. Testiculi retractio è regione affecti renis, ob vasorum (quæ à renibus ad testes vergunt) versus superiora adductionem.

6. Nausea & vomitus, propter consensum scilicet renum cum ventriculo, qui fit non tam mediante, ut volunt peritonæo, cujus membranam utrumque viscus participat, quam quidem ob communem illum nervulum, à stomacho sexti paris (octavi paris Willisii) ramo, in propriam & interiorem renum tunicam implantatum.

7. Urina plerumque cruenta, laceratis apertisque à calculi asperioris attritione, venulis, per renis substantiam dispersis, quin & quandoque, præsertim circa initia, tenuis, aquosa & parvâ copiâ prodiens, propter renis à calculo obstructionem, quoties vero per ureteres in vesicam demittitur, urinæ crassæ, turbidæ & aquosæ ut plurimum excernuntur.

8. Calculos per urinam excretos, ut & arenas (non quæ vasorum lateribus adhærent, sed quæ statim matulæ fundum petunt) unde ægroti notabile levamen sentiunt, inter præcipua signa recenseri vellem.

Sed quia est tanta similitudo nephritidis cum dolore colico, ut non solum sæpissimè empiricum, sed & Medicum rationalem falli contingat, distinctionis ergò hæc signa notari vellem.

Si supra renes fit dolor, non ad renes sed ad intestina pertinet.

Dolor nephriticus extrorsum vergit, nec ab eo loco nunquam discedit, nisi cum tophus, è nido suo excussus, delabitur in ureterem.

Colicus vero sæpissimè peregrinatur, locum mutat, & per omnem intestinorum circuitum oberrat, inque pectinem declinat.

Nephritici à sumpto alimento melius, colici vero pejus habent. Hæc ille.

Calculus & Nephritis, si quis jure Hereditario sit adeptus rarissimè curtur; imo & in senioribus tardius, quam in Junioribus curam admittunt. Ex hisce facile oriuntur inflammationes, Ulcerationes, Dolores intolerabiles, Vigiliæ pertinaces; Virium dejectiones, Febres, Dysuria &c. Si Nephritis diu perseveret, neque Medicamentis demulceatur, Mors expectanda est, & oboriente sudore frigido, Mors instat. Si primo urina fuerit clara & deinde sabulo turbida, non est omen malum. Si Calculus adsit cum ulcere renum, res est incurabilis. Calculi extractio per urethram dilatatam in fœminis, non semper bonum; nam gangræna accedere potest. Si adsit in renibus calculus, secari non potest. In vesicâ fluctuans secatur, sed fixus non, nisi cum mortis discrimine αἰξ enim μάχαιραν inveniret, quia reperirent, quo pereant. Calculosi, cum mingunt, semper etiam ad dejectionem intestinum rectum sollicitatur.

Dolor primo mitigandus, si calculus hæreat in ureteribus, (nempe quia ubique ejusdem non sunt amplitudinis, aliquando enim tam viris quam fœminis angustantur) sollicitè pellendus potu lactis calidi aut Theæ, ut si à tergo prematur, eo citius in vesicam delabatur. Post paroxysmum, blanda diuretica usu veniant. Inter *antinephritica & diuretica* præcipue sunt.

Radices *Allii*, *Eryngii*, *Glycyrrhizæ*, *Saxifragiæ*, *Raphani*, *Ononidis*; Lignum *Nephriticum*. Folia *Chærefolii*, *Petroselini*, *Apii*, *Fœniculi*, *Phellandrii*, *Nasturtii hortensis*, *Levistici*, *Sabinæ*, *Hederæ terrestris*. Flores *Camomillæ*, *Croci*, *Malvæ*, *Genistæ*. Semen *Anethi*, *Apii*, *Dauci vulgaris*, *Genistæ*, *Levistici*, *Nasturtii*, *Allii*, *Cepæ*, *Fraxini*. Fructus *Juniperi*. Gummi *Ammoniacum*, *Terebinthinæ utriusque*. Balsamum *copaibæ*, *Peruvianum*. *Oculi cancri*, *Millepedes*, *Sapo venetus*, *Cortices ovorum*. *Sal volatile* & *oleum succini*. Oleum *Juniperi*, *Balsamum Sulphuris* &c. & quæ ex hisce componuntur.

Verbo, omnia Acidum concentrantia & pituitam incidentia hoc in casu conveniunt; præsertim si oleum aromaticum sibi habeant admixtum. Rhenanum quoque vinum solent diureticis annumerare, quia diureticum est, verum hostem post se relinquit, & generandæ calculosæ materiæ ansam dat, nam sanguinem coagulat, quia alcali sanguinis ab acido vini saturatur: ideoque ab ejusmodi diureticis potius abstinendum. Sed ejusmodi vina si fuerint vetusta, & quibusdam diureticis & aromaticis saturata, tunc rejicienda plane non sunt. In nephriticorum paroxysmo, clyster est injiciendus, ne excrementa renes aut ureteres gravitate molestent, & si dolor sit intolerabilis, vena est aperienda: clysteres aliquando sunt repetendi & calidè immittendi; calor enim ad calculum propellendum non parum conducit: fiant itaque formulæ hunc in modum:

Recipe Aquæ Fœniculi, *uncias octo.*
Terebinthinæ, *unciam unam.*
Vitellorum ovorum, *Numero tria.*
Misce fiat Clyster. vel,

Recipe Summit. Anethi,
Fol. Althææ, *ana manipulum unum.*
Sem. Levistici, *unciam semis.*
Coquantur ex Aquâ ad uncias decem.
Colaturæ adde
Olei scorpionum, *uncias duas.*
Salis culinarii, *drachmam unam.*
Misce fiat Enema. vel

Recipe Lactis vacini, *uncias octo.*
Salis marini, *drachmam unam.*
Olei Amygdalarum dulcium, *unciam unam.*
Misce fiat Enema.

Linteis abdomini applicari potest Fotus ex *Cherefolio*, *Hederâ terrestri*, *Camomillâ* & *lacte*. Vel ex *Petroselino*, *Parietariâ*, *Malva*, *foliis Raparum*, *Anethi*, *Rutæ*. *Camomilla*, *Melitoto*, *Tabaco*, *Sem. Levistici* &c. Alii applicant *fila lintea cruda*, quæ cum lacte coquuntur, aut *arenam calidam*: ut & stupa ex funibus picatis dissolutis collecta. Linimenta hic etiam usui sint ex *oleo scorpionum*, *amygdalorum*, *rutæ*, *Butyro recenti*, &c. Vel cataplasma, ex *cepis*, *cherefolio*, *oleo scorpionum*, in lacte dulci coctis.

Adversus intolerabiles dolores, nimias vigilias, & vomitum sistendum, sequentia dato: ut,

Recipe Spir. Petroselini, *uncias duas.*
Laudani opiati, *grana duo,*
Tincturæ Succini, *guttas decem.*
Misce fiat Haustus. vel

Recipe Diascordii, *drahmam unam.*
Laudani opiati, *granum unum.*
Spir. Hederæ terrestris, *uncias duas.*
Ocul. Cancri, *drachmam unam.*
Misce fiat Haustus.

Postquam aliquantulum deferbuerit dolor, laxans aliquod exhibeatur ex *Cassiâ fistula*, *Rhabarbaro*, *Sale prunellæ* & *Terebinthina*: uti & *pilulæ spadanæ*.

Adversus cruris stuporem cucurbitulas applicant cæcas à parte superiore versus inferiorem: sed quia causam habet altiorem, ex hisce nihil expectandum.

Diuretica hic prodesse possunt, præsertim si ureteres à calculo sint obstructi, sed ne quid nimis, præsertim in gravidis, inter hæc *potus theæ*, *decoctum cherefolii* aut *petroselini*, vel *seminis dauci* hic usui veniant: quæ urinam

pellunt ac eadem operâ arenulas hærentes: accedunt hisce *spiritus* & *oleum juniperi*, *succini*, *sabinæ*, &c. vel sequentia: ut

Recipe Ocul. cancri, *unciam semissem.*
Tartari Vitriolati, *drachmam unam.*
Balsami Peruviani, *drachmas duas.*
Vini Hispanici, *quantum sufficit.*
Misce fiat Conditum.
Dosis ad magnitudinem nucis Moschatæ. vel,

Sume Tincturæ ligni Nephritici,
Spir. Hederæ Terrestris, *ana uncias duas.*
Cornu cervi, *guttas decem.*
Caphoræ, *drachmam semis.*
Misce.
Dosis, ad drachmas duas aut tres cum vino. vel

Recipe Terebinthinæ Venetæ, *libram unam.*
Balsami Copaibæ,
Peruviani, *ana unciam unam.*
Rutæ,
Sabinæ,
Menthæ, *ana Manipulos tres.*
Spir. Juniperi, *uncias octoginta.*
Misce & destillentur.
Spiritus tunc ab oleo separandus, & seorsim servandus. Oleum cum vino Hispanico sumendum. vel

Recipe Millepedum,
Oculorum Cancri,
Corticum ovorum,
Sem. Petroselini,
Phellandrii, *ana drachmas duas.*
Terebinthinæ Venetæ coctæ, *unciam semis.*
Misce fiant pilulæ.
De his tres, quatuorve singulis diebus sumantur. vel

Recipe Tartari Vitriolati, *drachmas tres.*
Caphoræ,
Croci,
Balsami Peruviani, *ana drachmam unam.*
Ocul. Cancri,
Millepedum, *ana drachmas duas.*
Aquæ Cinamomi, *quantum sufficit.*
Miscefiant Trochisci.

Sp

Si calculus fuerit exiguus, & peni inhæreat in pueris, Ægyptiorum more, aliquando exugere jussi, idque non sine successu, & si in medio pene subsistebat, vel instrumento frangi curabam; vel, si nec sugendo, nec instrumento malum vinci possit, tunc penis cutis ad latera trahenda, & incisio per urethram usque ad calculum est facienda, tunc enim liberè exprimi potest, sic reducta cute, vulnusculum facile coalescit. Calculi exuctio.

Externè dolori mitigando, fiat Unguentum, ex *Unguento Populeo* & *Opio*. Atque hæc sunt quæ de Nephritide dicenda habebamus: de calculi sectione hic non agam, quia de illâ materiâ alibi dicendi erit occasio, uti & de ipsius generatione.

In victus ratione vita sedentaria est desuescenda, sed opus est modicâ ambulatione. In *Diæta* vitentur nimium salsa & acida, uti & viscosa & δύσπεπτα. Sumatur aliquando nonnihil *Terebinthinæ* & *Balsami peruviani* aut *copaibæ* cum ovo sorbili. Potus sit cerevisia recens, Thea, Coffea &c.

Addam Historiam raram: quæ sic se habet. Quidam Mercator à me post obitum aperiebatur: omnibus visceribus accuratè perlustratis, erat ren dexter planè consumptus: quo aperto pelvis integrum cochleare puris flavi, crassi, ac tenacis continebat, cum calculo & per consequens secundum canaliculorum ductum; singuli enim singularem continebant; Numero quidem sex vel plures; qui tam firmiter membranis viisque urinariis adhærebant, ut non nisi vi abrumpi potent. Colore erant fusco, & formâ ferè ac vertebrarum frusta. Extremitates erant rotundæ, non acuminatæ, cum duabus, tribus pluribusque prominentiis: durities erat in modum silicis, ita ut cultro vix aliquid abradi posset. Odore non erant ingrati. Anatome calculi laborantis.

Ren sinister ordinariam magnitudinem quadragies quidem superabat, porro intus nihil consideratione dignum. Forte & quidem certissimè, quia per dextrum nihil urinæ transibat, debebat ille solitò magis extendi: quod & in aliis calculosis non tantum observavi, sed & quidem in potatoribus, alias sanis.

Porro quædam vertebræ è membranâ propriâ & periosteo erant denudatæ, & attactu tanquam corruptæ. Nullum pus supra intestina effusum, sed versus exteriora se exonerabat, atque ob acrimoniam musculum lumbarem perforaverat, ad se evacuandam.

Æger antea diu de dolore circa costas breves & lumbos questus erat; ubi & eminentia conspiciebatur, cum puris profundâ collectione, quæ quotidie magis magisque eminebat, & postea à Chururgo perito dextrè aperiebatur, unde & bona puris quantitas evocata; postea compendiosior via se sponte monstrabat per spatia musculorum infra jacentium, tanquam per Epistomia, quæ etiam aperiebatur; singulisque diebus circa puris uncias octo effundens.

Post hac se patiens melius sentiebat, continens in viis apertis cannulas plumbeas. Stylo ulcus aliquando explorabatur, & os corruptum adesse judicatum; quod eximere conantes, non exiguo dolore patiens enervabatur cum pulsus mutatione. Persuasus ut Leidæ melius tractaretur, ubi apertura ad remanentiam fistulæ angustæ claudebatur: hinc maxima puris, pars intus remanere

nere cogebatur, ut quasi materia peccans per ureterem abduceretur, (qui calculo erat obstructus) in vesicam: ast postea brevi vitam cum morte mutavit.

Aliud exemplum notabile, Nephritidi simile mihi observatum anno 1677. Chirurgi cujusdam Vesopiensis (nomine *Gulielmus Stapelmoer*) uxor, aliquot dies recreationis causa Vesopio Nardenum pedes cum liberis, &c. ibat; rediens de lumborum doloribus multum questa; idque eo loci ubi ren sinister residet; superveniebant vomitus ingens, cum contractione & stupore cruris. Urina erat aquosa, sed nonnihil lateribus vitri, retium more adhærens. Quæ omnia indicia Nephritidis erant. Omnia adhibebam, quæ in hoc casu præscribi solent. Interim intumescentia se prodebat, & judicavi ibi adesse puris collectionem, quamvis alius Medicus (*Godske* nomine) ischiaticum dolorem esse putabat, cui tamen nulla intumescentia externa est, atque dolor esse debebat in inferiori loco. Jubebam ruptorium applicari, & aperto foramine libra quidem bene cocti & non fætidi puris evacuabatur. Apertura cannulâ plumbeâ servabatur aperta: postridie iterum libra emanabat: quæ materia tunc singulis diebus diminuebatur. Injectiones etiam fiebant ex spiritu vini & melle chelidoniæ & in hunc usque diem optimè valet, absque ulla claudicatione

Fortè inter illud ambulandum, vel aliis motibus faciendis, vas quoddam lymphaticum ruptum fuit intra peritonæum & musculos; quâ lymphâ partes proximè adjacentes sensim distendebantur, & gravitate suâ descendens saccum pure plenum efformans, musculum lumbarem compressit, unde *Stupor*, & quia moveri liberè non poterat contrahebatur à membranis, nervis & tendinibus vicinis, nam materia evadebat acris.

Anno 1695. $\frac{7}{7}$ Septembris, Gedrosia mihi sequens casus missus, à Chirurgo peritissimo, *Chr. Frauwen*: quem absque omni ambage hic describam.

Quidam Tubicen *Nicolaus Sibenburger* per integrum ferè annum magnos in vesica cruciatus inter mingendum sentit multa medicamina eidedi; tædium esset hæc omnia hic recensere; una cum urinâ multum materiæ instar calcis reddebat, referebatque exactè frustula quæ de parietibus decidunt, quædam dimidii unguis magnitudinem non superabant; lamellæ erant planæ & tenues: interdum ita invicem cohærebant, ut referrent crassitiem articuli minimi digiti, & urethram ita obstruebant, ut magna cum difficultate apertura Cathetere posset fieri: tunc tam ingens hujus materiæ copia proveniebat quam unquam antea: post hæc ita levatus fuit, cum hujus mali cessatione, ut se planè sanatum imaginaretur: sed elapsis sex aut septem hebdomadis, de novo urinæ difficultatem sensit. Dolore pressus, curavit se in nostram urbem vehi, sed malum respuebat catheterem, nam nihil urinæ effluere potuit, ast semper sanguis coagulatus extrahebatur.

Videbatur vesica hac materiâ esse plena, & quoniam neque interna neque externa aliquid solaminis adferebam, incisionem in perinæo proponebam, cum æger viribus valebat, & meæ propositioni cum uxore annuebat: verum Poliater noster consentire nolebat, sed formulas præscribendo nihil efficiens æger die undecimo obiit, 1695. 12 Januarii.

Ape

Aperto cadavere, erat vesica valde extensa, continens quinque pintas urinæ, eductâ per superiorem partem urinâ, ad cervicem vesicæ inveniebatur species carnis spongiosæ & viscidæ: quæ digitis abrasa pendebat circa uncias septemdecim: exempta vesica & inversa, circa urethram planè erat exulcerata, referens ulcera inveterata, tibiis quandoque advenientia, ex quibus caro spongiosa excreverat: sed materia calcem referens neque in vesicâ, aliave parte inveniebatur: renes atque ureteres optimè erant dispositi. Sed ubi in vesicam se aperturis desinebant, erant ulcerationes, quia illam materiam calcariam inter tunicas videbantur deposuisse, unde illæ separabantur, & ulceribus dabatur geneseos causa: hinc mea operatio fuisset incassum adhibita.

Anno 1694. 21 Junii aperui decem annorum puerum, à vesicæ calculô demortuum, quo à mense suæ ætatis decimo octavo laboraverat: calculus pendebat sesquiunciam, ovi figura, maximâ ex parte glabra. Vesica parva erat & crassa, præsertim circa collum; renum pelvis, ut & ureteres ab urinæ regurgitatione erant admodum dilatata: erant dicti ureteres figura monstrosa, quorum unum leviter inflatum vobis mitto. Vide Fig. I Tab. VIII. A. Pars superior versus renem. B. Diverticulum insolitum. C. inferior pars versus Vesicam. Ureter monstrosus.

Ante aliquot annos vir quidam magnis cruciatibus urinam reddebat, ac si calculo laborasset: post obitum vesica aperta, erat intus plurimis glandulis obsita, quæ meatum urinarium claudebant. Vesica glandulis plena.

Ægrotus quidam ischuria laborans, urinam nullam emittebat, nisi quod vomitu sursum excernebatur, (urinalem quoque odorem expiratio præ se ferebat) quo continuato maximè debilitatus fuit, multis remediis usi fuimus, sed frustra, vitam tandem cum morte mutavit. Urina à calculo plane suppressa.

Corpus ejus cum dissectum fuerit, pelvis renis dextri majori calculo fuit oppleta, cujus pars inferior, papillæ in modum protuberans, ureterem omnino obstruebat, capiti ureteris sinistri acutus calculus adeo exactè erat infixus ut renes utrique suo officio fungi neutiquam potuerint, atque tandem expiravit.

PENE LIGATURA CONSTRICTO, SUPRA LIGATURAM SPONTE URINA PER ῥῆξιν ERUPIT.

Annorum circiter novem puer, ne amplius noctu in lectum mingeret medium penem filo strictè ligabat, hinc supra ligaturam tumor; hinc nullus urinæ exitus: sed tertio die supra ligaturam in inferiore parte, ob urinæ vehementem pressionem per urethram & cutim foramen est factum, quo urina exitum inveniebat. Chirurgus *Francois de la Court*, filum persecabat; & ulcusculum inde ortum, unguento aureo deligabat, & superior pars tumefacta linteis vino inebriatis circumvolvit: hæc quidem cessavere, sed foramen factum nunquam potuit sanari, idque forte ob fibras prius nimium elongatas, & ruptas: hinc suasit, si mingeret, foramen digito clauderet, ut urina recta viâ emingi posset.

Ischuria, stranguria dysieria & urina ardens.

Ischuria, Stranguria; Dysuria & Urina Ardens sæpè tantum differunt gradibus. Si sæpe & guttatim mingatur, *Stranguria* dicitur. *Ardens urina* est, quando cum vehementi ardore, acrimoniâ & sæpe dolore redditur. In *Ischuria* & *Dysuria* aut vel in totum non redditur vel tantum per vices. In hisce sæpe ob sanguinem nimis crassum & ab omni humiditate tenui destitutum causa est, uti & renes inflammati, ac ulcerati, vel cum pus, propter tenacitatem vix per urethram reddi potest, vel propter arenulas aut calculum vias urinarias obstruentem. Convulsionibus etiam viæ angustantur. Ut & paralysis sive per se, sive ex nimiâ lotii retentione, quâ fibræ vesicæ immensum usque extenduntur, & ferè rumpuntur, quæ postea pristinum tenorem non accipiunt, atque tunc urina non redditur, vel guttatim aliquando exprimitur. Si caruncula in viâ urinariâ sit: vel vesicæ glandosi acini, ut fit, notabilem tumescentiam aut magnitudinem, præsertim circa collum acceperint, guttatim quoque extillatur, post nimiâ quantitate comestos fructus horarios: vel post variorum potuum assumptionem. Vel si quis audacter propter præsentiam aliorum, reddere non audet. Ardens fit, ob potus nimis spirituosos & incalescentes quantitate plus justo assumptos, aut aromata nimium ingesta: vel si quis parum potet: vel si nimis diu in vesicâ retineatur tunc etiam acris fit & rodens, vel adsit pus nimis acre: huic ansam præbent, calculi, angulos acutos habentes, quibus vesica & urethra intus abraditur, atque sic urina rodens redditur: accedit inflammatio vesicæ, Gonorrhæa virulenta, &c.

Post urinæ suppressionem varia sæpe oriuntur symptomata. Ut præcordiorum anxietates, sensuum torpores, affectiones convulsivæ, tumor totius corporis, præsertim pedum: vomitus, sudores, non raro acidum aliumve fœtorem spirantes. Ischuriâ laborantem virum olim novi, qui intra octo septimanas nihil urinæ reddebat, idque sine molestiâ, quia quidquid liquidi assumpserat, per sudores emanabat; nihilominus tamen obiit: Haustu largiori vini rhenani plurimi sanantur, quibus aliquot dies urina fuerat suspensa. Sunt qui in urinæ suppressione cantharides præscribunt, sed hoc non suadendum, nam propter acrimoniam sæpe plus damni quam commodi adferunt. Periculum est summum in lotio denegato, nam post septimum aut octavum diem moriuntur, sed si guttatim procedat aut cum ardore, periculo vacat, nisi adsit inflammatio aut ulcus, aut excrescentia magna in vesicâ circa collum. In calculo non sanatur, nisi post lithotomiam institutam.

Causæ quæ variæ sunt, tollendæ, ut viæ sint patulæ. Si sanguis ob penuriam liquoris tenuis in causâ sit, potu Theæ est corrigendus, quo omnis pituita ac rodens sal, blandè attenuando, expelletur. Si calculi in vesica sint, vel in urethra hæreant arte chirurgica sunt frangendi aut foras educendi. Diuretica, & lithontriptica, ut vocant, etiam usurpanda. In ardente urina, emollientia, usu veniant, ut lac dulce, potus theæ, pinguia &c. vel sume potionem sequentem, ut

Recipe

Recipe Rad. Scorzoneræ,
Salſæ parillæ, *ana uncias duas.*
Ficuum pinguium, *numero decem.*
Coque ex Aqua ad uncias viginti quatuor,
Colaturæ adde
Spir. Hederæ terreſtris, *uncias duas.*
Miſce fiat Potio.

De hac bibatur, tantum quantum fieri poteſt: Etiam decoctio cherefolii, aut petroſelini magni quoque eſſet uſus.

Abdomini, & veſicæ regioni fotus ſunt applicandi ex *Cæpis*, *Chærefolio*, *Petroſelino*, *Malvâ*, *Fœniculo*, *Hedera terreſtri*, &c, ex lacte dulci coctis. Ejuſmodi quoque decocta ſunt in veſicam per ſyringem mittenda, ut ardor nempe demulceatur, vel ut urinæ acrimonia moderetur. In Dyſuria aut Iſchuria valent etiam ſummoperè linimenta ex *ſpiritu vini*, *oleo petræ*, *Terebinthinæ*, *ſcorpionum*, &c. laxantes boli per os exhibeantur ex *caſſia fiſtula*, *terebinthina & pulvere Glycyrhizæ*, aut ex *oculis cancri*, *Rheo* & *oleo ſuccini*, &c.

Si malum hæreat in renibus, fotus aut cataplaſmata applicentur ex *cæpis*, *axungia* & *ovis*: ſed principalis actor in hujusmodi caſibus penetrans eſt calor. Pro excitando lotio ſumatur *Vinum rhenanum* cum *Oleo terebinthinæ*, aut *Succini ſal* ejuſve *ſpiritus*. Si planè urina retineatur, opus eſt immiſſione Catheteris, & ſi deinde necdum ſuccedat, peritonæi inciſionem ſuaderem, præſertim ſi mors immineat, & gangrænæ metus ſit, nam in re ancipiti Medicamentum dubium eſt adhibendum. In fœminino ſexu etiam eſt procedendum ut in Lipothymia ſolet.

Caſus de Dyſuria Nidroſiâ ab Expertiſſimo Chr. Frauwen, Chirurgo feliciſſimo ad me 1698. 13 Sept. S. V. conſcriptus. Ante tres menſes vir Nobiliſſimus Imperii Danici Cancellarius, ſub nomine *Greiffenfeld* notus, ſub curâ meâ fuit, qui vehement dyſuria vexabatur, & quamvis melius habet, tamen planè ſuperare nequivi. In principio immenſum usque â agitatus fuit, imo ſingulis horæ quadrantibus aut ſemihoris cum magna convulſiva contractione, tam in veſicæ ſphinctere quam ani, quaſi omnia debebant exprimi: ſed paroxyſmo deſinente, omnia ſine dolore ſe bene habebant. Ante aliquot quidem annos nephritide laboravit. Sed poſt Theæ & Coffeæ uſum, ut & Terebinthinæ cypriæ; cum ſale volatili oleoſo, nephriticis doloribus non amplius divexatus fuit, ſed aliquando levi dyſuriâ tentatus, quæ iterum, diureticis aliquando aſſumptis, ceſſavit. Non poſſum calculum aut ulcerationem veſicæ ineſſe conjecturare, qui interpolatis vicibus ſe prodit; neque pus aut ſimile quid in urinâ apparet, ſed planè pellucida eſt. Nunc autem elapſis aliquot hebdomadis malum ita mutatum eſt, quod intermiſſio ad unam duasve horas extendatur urinæ incontinentia ita, ut aliquando guttatim, aliquando incontinenter effluat, idque nullo præſente dolore, magnum ſæpe & difficilem in pene & ano ut & circa pedum ſoleas ſentit pruritum. Huc uſque ille

Hiſtoria dyſuria laborantis.

Quid sit Dysuria, in superioribus explicuimus; casus hic mihi tantum enodandus est. In nephritide novimus materiam calculosam è renibus in vesicam descendere, quæ pro arenularum vario acumine atque in vesicâ jugi circumrotatione & circumvolutione, cum urinâ, procul omni dubio, acri, internam urinariæ vesicæ tunicam laceravere: hinc quamvis nephritica passio cessabat; tamen quoties urina urgebat ob compunctiones & vesicæ sphincterem ab arenulis læsum, sphincteris isthmum pertransire nequibat; quia membranosa pars prius læsa ab urinæ acrimoniâ in motum σπασμώδη invitabatur: hinc major contractio & angustia: atque sic per breves vices urina reddebatur: at urinâ evacuatâ nihil molesti sensit, nam sublatâ causâ tollitur effectus

Postea res usque perducta, ut cessante spasmo, sphincteri paralysis inducta sit, hinc urinæ incontinentia, vel continuum stillicidium & doloris cessatio.

Contractio vesicæ sphincteris & ani fit ob communes tam membranas quam nervos. Sic pruritus penis, ani, & circa pedum soleas, originem etiam à communium nervorum lævi contractione.

Post Illustrissimi viri obitum sequentia idem Chirurgus ad me dedit, 1699. 11 *Julii.*

TEmpore octo vel novem mensium, continuo tam noctu quam die, semper guttatim minxit, idque non sine ingentibus doloribus. Is 12 Martii hujus anni obiit. Postridie post obitum aperui cadaver: admodum erat extenuatus, sed in imo ventre multum pinguedinis inveni; viscera ad oculum sana. Renes ingenti pinguedinis copia erant circumfusi. Ren dexter solito minor, nodosus, & variis coloribus discolor: in pelvi erant sex calculi acuti & obtusi magnitudine ferè grani tritici, ureter ejus facile digitum minimum admittebat Ren sinister tactu sacculus nucibus plenus videbatur, sed ipsius substantia planè consumpta, membrana exteriore tantum superstite; continebat variæ magnitudinis & figuræ calculos, in quos unus instar zingiberis radicis: ureter ut alter ejusdem capacitatis. Sex aut octo annos, sæpe paroxysmos nephriticos passus, sed tolerabiles, ast nunc sex annorum tempore, nihil conquestus, nisi tantum de mingendi difficultate Noluit ut inquirerem num in vesicâ calculus lateret. Sibi persuadebat non esse calculum, sed ulcus, vel alibi symptoma spasmodicum. Sed apertâ vesicâ, invenimus calculum ovi anserini magnitudine & figura, cum quatuor minoribus in vesicæ collo. Hæc ille.

Post ischuliam urinæ per umbilicum emissio.

Quidam intolerabili dolore in imo ventre querebatur, & præsertim circa vesicæ regionem, ita ut sæpe centies unico horæ spatio urinam reddere cogebatur. Sed accrescente in dies malo, urina, tandem per umbilicum aliasque partes continuò prorumpebat, quod ægro non minorem molestiam ac dolorem pariebat; ideoque post paucos dies vitam cum morte mutavit. Aperto cadavere, vesica inventa in totum corrugata, hinc non mirum illum tam sæpiuscule ad mingendum fuisse coactum, lotiumque per alias vias erupisse.

Gen-

Generosus quidam Vir, post violentum pilæ Italicæ seu recussibilis exercitium, incidit in Hæmorrhagiam per vesicam se evacuantem. Primis octo diebus urnas duas sanguinis minxit. Se extraordinariè postea movere non ausus fuit, quin sanguinis fluxus statim rediret. Octo aut decem annos ita in hoc statu mansit. Viginti annis renum interim dolores gravissimos passus est, hoc est ad obitum usque. Tres annos ante mortem, venter valde intumescebat, insensibiliterque quotidie immensum usque accrevit. Sævientibus hisce doloribus una cum abdominis intumescentiâ variis temporibus ex vesica quatuor aut quinque pintas ejusdem materiæ excrevit, ac postea aperto ventre post mortem inventa sit. Tandem Ætatis suæ anno sexagesimo sexto vitam cum morte mutavit.

Post dissectum abdomen, inventum est corpus aliquod monstrosum, à primo intuitu ignotum, totam ferè cavitatem occupans; adeo ut facile non erat cætera viscera ab invicem dignoscere, nisi coli partem, supra tumorem in formam cinguli incedentem. Colon ascendebat sub tumore hoc à dextris ad partem sinistram, & descendendo versus anum, terminum consequebatur. Valde complicatum fuit; & cum ordinariò inversum S. Romanum repræsentet, hic figurâ anguli obtusissimi, in medio tumoris locati, apparuit. Tumori huic membrana facile separabili connectebatur, *Sanguinis mictio cum dolore è renum regione, & abdominis intumescentia.*

à Parte sinistra, copia vasorum sanguine distentorum conspiciebatur. Observandum quoque, tumorem hunc, magis sinistram quam dextram regionem occupantem, costas ac sternum elevasse, imo intestina omnia ac splenem ad dextrum latus compressisse: lien enim supra vertebras lumbares inveniebatur.

Inciso tumore, prodiit materia differentis consistentiæ ac diversi coloris: hæc erat fluida, flava, & glandulosis corpusculis plena, calculis inæqualibus, asperisque ad pollicis magnitudinem, permixta: altera viscosa ac crassior, colore obscuro-viridi, olei olivarum amurcæ instar: tertia materiæ species albida & grisea mellis crassiusculi vel glutinis soluti in modum erat.

In fundo tumoris quinque aut sex sanguinis coagulati libræ inveniuntur, cujus pars, carnis ferè consistentiam habebat, & ab interna facie ab omni parte calculis munita. Mirum hanc materiam fuisse ἄοσμον, cum videatur diu in abdomine latuisse.

Membrana tumorem continens inæqualis crassitiei erat. Quibusdam in locis digito transverso æquabat, in aliis tenuior, in cæteris plurima pinguedine obducta fuit. Materia hæc libras octo & sexaginta pendebat: membrana ipsa novem libras æquavit.

Omnibus bene examinatis, vidimus corpus illud non fuisse abdomini alienum, sed renem sinistrum in tantam molem extensum. Proximè figuram ovalem repræsentabat; circumferentiam quatuor pedum & octo pollicum habebat:

bat: diameter erat trium pedum ac decem pollicum. Supernè ureter incedebat ab hoc rene versus primam lumborum vertebram, qui tandem vesicæ inserebatur. Vena & arteria renales præter modum magnitudine auctæ erant. Ren dexter erat ut decet. Cor multo majus & musculosius solitò fuit, ejusque vasa valde dilatata, & substantiæ cartilaginosæ, præsertim arteriæ magnæ principium cum valvulis.

Miserrimus noster patiens violentissimo hoc motu totum renem laceravit; & in hoc totus morbus consistit; nec tamen ilico sphacelo correptus, sed vascula quædam interiora una cum pelvi disrupta fuerunt, unde tanta sanguinis copia per vesicam exonerari potuit. Læsa enim pelvi, facile per urethram sanguini ad vesicam patebat via.

Vulnere hoc leviter cicatrisato, nihilominus ab exercitio paulo majori haud difficile de novo sanguinem effudit, atqui hoc causa fuit, cur se quietum tenebat, Interim cum cruoris ex arteriis in venas reditus ex ruptione facta aliquomodo denegaretur, hinc ipse ren magnitudine sensim augebatur; & eandem ob causam membrana renem ambiens distendi oportuit, unde dolor quotidianus sævissimus. Jam mirum videri non debet intra renis cavitatem, magnam cruentæ materiæ copiam fuisse collectam; nam ruptis vasis internis, sanguis allatus reditui in venas impotens erat, hinc ibidem plus colligebatur quam reduci potuit: materia hæc collecta tandem in substantiam versicoloris & consistentiæ mutata est, illudque tempore præsertim paulo ante obitum factum conjicio, quia fœtore carebat, antea enim liquor effusus aliquo modo circumduci fortasse potuit, sed postea per vesicam exoneravit aliquot pintas.

Glandulæ quæ in substantia renis erant, ab obstructione majores redditæ, fuerunt illæ quæ inveniebantur, quarum quædam melleæ factæ sunt, & aliæ (crystallisatis particulis salinis) calculosæ. Pinguedo membranæ adhærens fuit à membrana adiposa.

De hoc morbo nihil aliud dico, quam, quod fuerit *Varicis* species quemadmodum enim varices ex magno labore, currendo, saltu &c. oriantur, ita ab exercitio vehementiori etiam originem sumere possunt.

Arteriæ magnæ trunco una cum diaphragmate à tumore hoc, presso, non potuit sanguis ex corde liberè per omnes abdominis partes spatiari: ideo subsistente in corde sanguine, ejus latera non parum dilatata sunt, quo cor majus factum est: fibris interim circa arteriæ initium disruptis, & ab extensione quasi paralysi tactis, motibus obeundis inidoneæ fuerunt; hinc ab obstructione succorum iis inhærentium, tandem obriguere & cartilaginis duritiem acquisivere.

Renes purulenti.

Puella annos nata octodecim, à longo tempore reddidit urinam purulentam; aderat febris diuturna: & periit.

PErlustratis visceribus, renes planè in totum purulenti erant, eorumque tunica pus concludebatur.

Si

Si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulcerationem significat. Si renes obstruantur, aut inflammationem, & deinde exulcerationem aut calculum incurrunt. Hic nulla calculi signa: sed solummodo purulenta per lotium reddit. Præcedit semper exulcerationem inflammatio: quæ à longo tempore renes consumpsit, & purulentos reddidit.

Ex mala sanguinis κράσει, orta febris, eaque diuturna, quia purulentum quid è renibus sanguini continuo admixta fuit.

Senex octogenarius per annum integrum difficili admodum Ischuriâ & interdum Stranguriâ laboravit, qui & tandem obiit.

APertâ demortui Vesicâ, lapis inventus adæquans silicis duritiem, & pendebat nummarii ponderis uncias sex cum dimidiâ, rediisset hoc ad vulgaris Medicorum ponderis uncias ferè octo. Ex Ischuria & Stranguria de mortui Cadavere.

Observatio explicatione non indiget, nam per se manifesta est. Quibus enim lapis in Vesica est, iis collum Vesicæ obstruere necesse est, hinc urinæ præcluditur via.

Calculosus à febri lethali extinguitur. Hic bis decem ante annos dolore laterum intolerabili conquestus est, viscosa sæpe per diuresin excrevit.

IN Cadavere exenterato ren sinister fuit consumptus, verum ejus loco calculus ramosus inventus: dexter fuit colore magis citrino & subfusco. Ureteres admodum capaces. Vesica distenta & Hydatidibus obsessa, magnum continens calculum. Ventriculus sanguine concreto exterius aspersus. Calculosi dissectio.

Adolescens undevigesimum annum natus à longo tempore de vehementi dolore circa renis sinistri & vesicæ regionem, cum vomitu assiduo & dolorifica urinæ excretione questus, moritur.

ABdomine aperto ingens fœtor aparuit. Exterius in superiore vesicæ parte insolitus sinus pugnum adæquans, fuit: in cujus membranis pus conclusum ren sinister planè exulceratus, purulentum illud in vesicæ sinum deposuisse videbatur. In ipsâ vesicâ pro urinâ calculus rotundus, & nimis asper sesquiunciam pendens. Interior tunica exulcerata. Renum & vesicæ ulcus cum vesicæ calculo.

Ab obstructionibus in renibus, aut vesicæ membranis, inflammatio ab inflammatione ulcus unde & dolor. Vomitus ei obortus est, quia nervi intercostales cum renibus & vesica magnam connexionem habent, adeo ut si nervi renales convellantur, etiam & ventriculi. Vesicæ textura ex duabus tunicis tendinosis seu membranosis constat: intra cujus duplicaturam binæ fibrarum musculosarum series inveniuntur: quibus inflammatis pus facile intra tendinosas tunicas effundi po-

Potuit, unde facculus purulentus. Calculus anne in vesica, an vero in rene cretus sit, dubitandum: credo tamen eum à rene primo descendisse, & in vesica augmentum sumpsisse, qui & vesicam forte nimis irritans ad inflammandam adegit.

Quidam de dolore acuto è Hypogastrii regione cum tumore, inflammatione, pulsatione ac febre queritur: in abscessum mutatur tumor, multumque puris fœtidi per aliquot menses effundebat. Imo aliquot hebdomadis ante obitum una cum pure urina excreta est.

Acicula in uretere inventa.

Dissecto cadavere, omentum gangrænatum. Intestina sana; ren quoque dexter satis integer, verum ipsius ureter ulceratus & pure repletus, paulo inferius aciculam, materia tartarea cinctam, infixam habuit.

Curiosissimus *Corn. Stalpart Van der Wiel*, In observationibus suis selectis *obs.* XVIII. *Part Sec.* De globulo plumbeo deglutito narrat per urinam excreto: ast hic loci aciculam proponimus. Quid de globulo dicendum ἐπέχω. Acicula hæc deglutita alibi in intestinis hæsit, eaque perterebravit, unde inflammatio, & quæ eandem solent concomitari: tandem in abdominis cavitatem delapsa, ipsum ureterem perfodere debuit: in eoque moram trahens, ærugine, materiaque tartarea ab urinæ particulis salinis ei adhærentibus, facile obducta est.

Quinquagenarius postquam per aliquot horas equo insederat; in suppressam urinam incidit, cui mox febris comitata cum singultu continuo, tumore & dolore circa inguina. Cathetere immisso, venter detumuit, dolorque sedatus est; verum in vesicæ collo obstaculum quoddam inventum est. Omnibus remediis frustra adhibitis, tandem fatis cessit.

Anatomia suppressâ urinâ laborantis.

Dissecto abdomine duo tubercula in orificio vesicæ erant, magnitudine ovi columbini, substantiâ glandulosâ: vesicæ collum gangræna invaserat. Interiorem Vesicæ faciem glandulisque investitam in *Anatomiâ mea Reformata* satis superque ostendi: porro quomodo glandulæ minimæ in incredibilem molem excrescant, etiam alibi dictum est.

Matrona maximis doloribus nephriticis per pluſculos annos torta, spissam crebro minxit urinam, ut in ipsa emissione & stillicidio quasi in fila diduci potuerit; ingruentibus interdum rigoribus in nephriticis consuetis, lumbos ferè nudos fornaci admovet, ut se calefaceret, vix tamen calorem sensit, licet cutim ipsam fornacis flamma læderet. Tandem rigidis dolorum atrocitatibus vexata, succubuit.

Per

Renes petrefacti.

PErfecto abdomine, inventi fuere ambo renes obriguisse in alabastrinam duritiem & soliditatem.

Qui semel in nephriticum morbum incidunt, raro liberantur, & ferè per totam vitam ab eodem torquentur; nisi sabulum in renibus concretum optimis medicamentis, & potu coffeæ aut theæ elutrietur: sæpe tunc morbum superavi; at in calculum si concreverit, fixamque sedem in renibus habuerit, aut ob nimiam magnitudinem ureteres pertransire nesciens, nunquam vici medicamentis malum.

In Matrona hac renes obriguere; quia plurimæ arenulæ in unam molem compactæ sint: omnes enim calculi hoc modo crescunt; cum exempli gratia, duæ superficies politæ se invicem immediatè tangant, ita ab externis globulis aëreis pressæ, firmiter cohærent, ut vel vi ab invicem diduci nequeant: quemadmodum id in duabus corporum superficiebus fit, ita & in centum myriadibus, quæ omnes primo arenulam; & sic deinceps calculum constituunt. Sæpe colore & duritie calculi variant: quippe particulæ politæ calculum constituentes non semper sunt impermixtæ cum aliis particulis; imo ejusdem figuræ, magnitudinis, aut superficiei non sunt; adeo ut pro varia particularum diversitate, varii lapides & calculi in renibus, vesica, aliisque in corpore partibus, cuduntur.

Quæritur de frigore lumborum maximo. Fortè quia calculi hi præ gravitate membranas renes investientes valde depresserunt, illasque paralysi tetigerunt: accedit etiam quod succi ibidem allati & subsistentes etiam frigus contraxerint, quare & spissiores & viscidiores, per meatum urinarium emissi sunt. Lumbi fornaci calidæ admoti vix calorem sentiebant, quod etiam paralyticis fit, qui inter frigus & calorem vix sensibilem differentiam advertunt.

Octogenarius ex nimio novi vini usu, suppressione urinæ & dolore colico correptus est, atque ita per duodecim dies cruciatus fuit. Homo tum in lecto febricitans, miris cruciatibus ac doloribus afflictus, viribus quin etiam prostratis, cum ventris tumore magno, duro, tenso, ac renitente, ab osse pubis ad regionem fundi ventriculi, & hypochondriorum ferè usque, gravidæ instar, offensus. Fotus adhibitus, deinde & meatui urinario Catheter immissus, cujus ope libræ quinque urinæ cum unciis quatuor Romani ponderis effluxere. Unde levamen & ventris subsidentia. Sequenti die eodem instrumento nihil emanavit. Hinc denuo auctus est dolor, ventrisque tensio. Die decimo tertio libræ sex urinæ elicitæ; unde dolor protinus & ventris tensio cessavit. Decimo quarto à morbo die, denuo catheteris beneficio urinæ libræ sex profluxere. Postridie circa meridiem rursus cathetere immisso, postquam libræ quatuor cum totidem unciis extractæ fuissent, sub finem circiter uncia integra puris subsecuta est. Alvus interim enemate deposita & alleviata. Sub vesperam vero horâ nonâ adhuc semel cathetere in vesicam indito, urinæ quatuor libræ uti prace-

præcedentibus vicibus, quibus semper quoque multum sanguinis effluxerat. Decimo sexto deinde die circa meridiem per immissum catheterem, urinæ libræ quatuor cum unciis sex & cyatho puris pleno, uti & sub Vesperam libræ quatuor & uncias octo cum pauxillo puris, extractæ. Decimo octavo, urina sua sponte erupit cum levamine, cum æger descendisset, & per horæ quadrantem resedisset. Sequenti die non solum urinam copiosè, sed una quoque materiam crassam albam ac fœtidissimam excrevit. Hic senex adeo usque restitutus fuit, ut redderet quidem urinam, sed involuntariè. Post septimanas quinque urina per secessum nunc seorsim, nunc vero mixta excrementis, & quidem involuntariè effluere cœpit, neque amplius per penem eam reddidit. Dolor tamen nullus aderat, viresque pro ætate constabant, nec appetitus admodum prostratus. Tandem tussicula sicca correptus, vires & appetitus paulatim ita diminuebantur, ut denique animam reddiderit.

Urinæ retentio & Vesicæ Scirrhus.

APerto Cadavere, scirrhus magnitudinem ovi gallinacei adæquans, unciasque duas pendens, in ipsâ vesicâ, & quidem ante collum ipsius tenaciter adhærens, inventus. Ex cavitate præterea vesicæ, usque in intestinum rectum, ulcusculum conspiciebatur rotundum, procul dubio, ab urinâ purulentâ, & fœtidâ excesum. Vesica ipsa circa collum, uti quoque intestinum rectum lividum, ren uterque insignis magnitudinis, exterius vesiculis quam plurimis seroso humore scatentibus, apparebant. Hepar denique in parte cava durum & scirrhosum visebatur.

Urinæ detentio periculosa, imo sæpe lethalis, nam nimia vesicæ distensio paralysin primo, & deinde Gangrænam, Sphacelum, imo & Mortem ægris adfert. Videtur ægrum nostrum à vini acrimoniâ, primo laborasse vesicæ inflammatione, qua collum ipsius se dilatare haud potuit, hinc quidquid à renibus segregatum in Vesicâ manere coactum fuit, inflammationem deinde in ulcus & scirrhum mutasse. Postea sedatis symptomatibus, urinam involuntariè fluxisse: ac deinde per anum, ob partium viciniam & cohærentiam eandem emanasse liquet, nam Vesicæ ulcus facile in anum penetrat in viris, sicut & uteri in mulieribus, quale exemplum in matrona nobili vidi. Nuperrime accersitus ad Pharmacopæum, qui ex eodem morbo decumbebat, is per aliquot horas non minxerat, verum, accommodato in urethram cathetere, statim non tantum copiosè minxit, sed & eodem momento non solummodo levatus, sed & sanatus fuit.

Nunc ad *Diabetem* iter nostrum dirigamus, Morbus quidem raro obvius, tamen aliquando nobis occurrit. *Diabetes* ergo nihil aliud est, quam nimia urinæ dulcis redditio, cum febri, siti intolerabili, ac corporis colliquatione cujus causas in *Institutionibus nostris* descripsi.

In principio facile curatur verum postea difficile, ideoque non sine vitæ discrimine. In hoc casu omni δυνάμει annitendum, ut causa, quâ sanguis instar

lactis

lactis coagulatur, & in varias partes abit, removeatur: atque hæc consistit in acidi mortificatione, præsertim *chalybeatis*, *corallis*, *cornu cervi usto*, *liquore salis tartari*, &c. uti & pinguibus & oleosis, lacte nempe dulci, amygdalis, nucibus pini, pistachis, lacte cum ovis & Cinnamomo, ovis sorbilibus, ficubus, passulis majoribus & minoribus, decoctione ichthyocollæ cum lacte, &c. Exhibeantur quoque sudorifera fortia cum opio quodam præparato, una cum acidum concentrantibus, ut motus ad renes divertatur: exhibentur non raro astringentia, sed putarem illa magis obesse quam prodesse, & maxima illorum pars remanet in intestinis. Iura quoque carnium hic magni esse possunt usus, ut secessio sanguinis iterum restituatur

Anno 1679 eram cum clar. viro *J. Van Dueren* M. Doct. tunc temporis Gornichemensi Exscabino visitatum in urbe Herculanâ (vulgo Heukelum) rever. Virum *Henr. Van de Velde* ibi Ecclesiæ pastorem; eum invenimus diabete laborantem, singulis momentis mejebat, cum insatiabili siti, urina clara & pellucida, sapore dulcis. Cum nullum pharmacopolium præsens esset, collegi nonnullas herbas, nempe *Malvam arboream* atque *sylvestrem*, *lactucam*, *violariam* &c. ex hisce decoctum parabam: & brevi restitutus. Diabetis Historia.

XI. CAPUT.

DE MORBIS UTERI, NEMPE DE MENSTRUIS RETENTIS, & NIMIUM FLUENTIBUS; FLUORE ALBO; FLUORE UTERINO; HYSTERICA PASSIONE; INFLAMMATIONE, ULCERE, SCIRRHO & CANCRO; UTERI INFLATIONE & HYDROPE, &c.

MENSIBUS OBSTRUCTIS aut RETENTIS Mulierum sexus plurimos morbos incurrit. Causa hujus retentionis est osculum uteri arctissime clausum, vel cum hujus vasa obstructa sunt; vel quando sanguis nimium est crassus, viscidus & tardigradus, ita ut deficiente vigore, vasa in uterum hiantia, non satis aperiantur: cui rei non parum contribuit in primis viis assumptorum mutatio; quibus corruptis, necessario quoque sanguis producitur corruptus. Ansam item non minus præbet liquor ovulorum in ovariis, à quo etiam menstruus fluxus dependet, vel quando ova deficiunt, tunc sanguini vigor iste non inspiratur. Aliæ enumerari possunt causæ, ut Inflammatio, scirrhus, uteri clausura, &c. Post conceptum etiam retinentur, sed de hac re hic dicendi non est locus. Si uteri osculum arctissime fuerit clausum, menstruus sanguis viam, per quam exeat, non inveniens, per tubas ova in uterum ducentes, facile in abdominis pelvim decidit, idque tam virginibus, quam viro junctis, & viduis junioribus contigisse Anatomica inspectio testatur.

In hoc casu *signa* habeantur, ut Medicus noscat, num fœmina utero gerat nec ne, solet enim Meretricum genus Medicos fallere: in fœtum gestantibus solet color esse ordinarius, sed in mensibus obstructis, pallidus & squallidus. Symptomata prægnantibus in principio advenientia, sensim evanescunt ast in

in aliis potius augentur. Mense quarto aut quinto post coitum, fœtus se movere incipit, verum in aliis tumet sæpe abdomen quidem, sed est aquosum & non renitens Hilariores solent esse impraegnatæ, cum aliæ tristes sint. In gravidis osculum uteri clausum & durum est, non item in iis, quibus Menstrua denegantur.

Si Menstrua in non gravidis deficiant, sæpe incidunt in Febres, Obstructiones, Hystericas passiones, Cachexias, Hydropem, Lipothymias, Stomachi difficultates, Cephalalgias, Cardialgias &c. alias per se iste morbus periculosus non est.

In curatione volatilia & oleosa sunt præscribenda, uti & balsamica, Diuretica, & sanguinem attenuantia, uti sunt.

Radices *Allii*, *Angelicæ*, *Pastinacæ*, *Porri*, *cepæ*, *Raphani silvestris & sativi*, *&c.* Cortices *Capparum*, *Lauri*, *Tamarisci*.

Herbæ & Folia *Abrotani*, *Absinthii*, *Apii*, *Artemisiæ*, *Betonicæ*, *Calaminthæ Montanæ*, *Chærefolii*, *Chamædryos*, *Chamæpytios*, *Cochleariæ*, *Fœniculi*, *Melissæ*, *Menthæ sativæ & aquaticæ*, *Menthastri*, *Nasturtii*, *Nepetæ*, *Origani*, *Petroselini*, *Pulegii*, *Rorismarini*, *Rutæ*, *Sabinæ*, *Salviæ*, *Satureiæ*, *Tanaceti*, *Thymi*, &c.

Flores *Camomillæ utriusque*, *Croci*, *Lavendulæ*, *Lupuli*, *Matricariæ*, *Origani*, *Tanaceti*, &c.

Baccæ *Juniperi* & *Lauri*.

Semen *Ammeos veri* & *Vulgaris*, *Angelicæ*, *Anisi*, *Apii*, *Levistici*, *Pastinacæ*, *Porri*, *Rutæ*, *Sinapi*, *Dauci* &c.

Gummi *Assæ fœtidæ*, *Galbani*, *Ammoniaci*, *Myrrhæ*, *Sagapeni*, *Caphoræ*, &c.

Millepedes, *Castoreum*, *Chelæ cancrorum*, *Oculi cancri*, &c.

Spiritus & Oleum *Succini*, *Juniperi*, *Urinæ*, *Salis Armoniaci*, *Chalybeata*. Spiritus *Sabinæ*, *Pulegii* &c. ex hisce & similibus varia oriuntur præparata.

In hoc ergo casu causæ sunt profligandæ ut viæ uterinæ relaxentur. Quidam in pede venæ sectionem moliuntur, sed incassum, quia sanguis non peccat copiâ, sed qualitate, nam nimis est viscidus, tenax & incrassatus: sed si quis vult purgationem instituere, addat Purgantibus *chalybeata*, *Assam fœtidam*, *Myrrham*, *Castoreum*, *Olea Sabinæ*, *vel succini*: vel paretur ex *Matricaria*, *Sabina*, *Semine Dauci* & *Levistici* coquendo extractum; potest post purgationem quædam menstrua pellentia Medicus præscribere, ut

Recipe Sabinæ recens siccatæ, *uncias tres.*
Sem. Levistici,
Dauci, *ana unciam semis.*
Boracis,
Croci, *ana drachmas duas*
Magisterii Chalybis, *drachmam unam.*
Spiritus Juniperi, *uncias triginta.*
Misce fiat Vinum Medicatum.

Dosis

Dosis est unius Cochlearis, matutino tempore. vel,

Sume Tartari Vitriolati, *unciam semis.*
Magisterii Martis,
Flor. Salis Armoniaci, *ana drachmas duas.*
Olei Sabinæ, *drachmam unam.*
Sacchari albi, *uncias duas.*
Misce fiant Tabellæ.
Dosis ad drachmas duas. vel

Recipe Mastichis,
Myrrhæ,
Olibani,
Succini, *ana libram semis.*
Sabinæ, *uncias quatuor.*
Castorei, *uncias duas.*
Spir. vini rectificati, *libras quatuor.*
Digerantur, destillentur, Cohobentur.
De hoc spiritu in retentis Mensibus, Hysterica passione, Partu adverso, &c. aliquot guttæ cum vino sumantur. vel,

Recipe Castorei, *drachmas duas.*
Salis Succini volatilis,
Armoniaci volatilis,
Artemisiæ, *ana drachmam semis.*
Spir. Vini, *uncias octo.*
Misce fiat S. A. Tinctura.
Quæ filtranda & cochleatim cum vehiculo assumenda : vel.

Recipe Spir. Vini, *uncias sex.*
Sabinæ, *Manipulum semis.*
Chalybis, *unciam semis.*
Cantharidum, *scrupulum semis.*
Misce.
Dosis sit semicochlear singulis diebus.

E regione matricis applicatur Emplastrum ex *Gummi Ammoniaco*, *Assâ fœtida*, *Oleo sabinæ*, &c. vel per metrenchytam *Decoctum Sabinæ*, &c. est injiciendum. Balnea etiam institui possunt, & inter olera jusculenta admisceri, ea, quæ huic affectui conveniunt. Valet decoctum Allii cum lacte : uti & *Balsamum Sulphuris Terebinthinatum* & *succinatum*, &c.

Habentur fœminæ, quæ ut menstra retenta, revocentur, aliarum fœminarum sanguinem assumant : quod propter sal volatile fieri debet, fermentum illi sanguini proprium. Inveniuntur ancillæ, quæ domus œconomiæ præsunt, sanguinem menstruum cibis aut potui Domini sui, necdum matrimonio juncti admiscentes, ut eum amore alliciant. Sed ob fermen- Sanguinis menstrui assumpti symptomata.

 tum

tum sanguini & succis Heri non respondens, in delirium incidunt, sanguis ab omni parte erumpit. &c. Vide obs. Cl. Doct. *Stalpart van der Wiel.* Sed cur hoc fœminis, eundem sanguinem assumentes, non accidit ? quia simile non agit in simile, nam fermenta & influxus subtilis materiæ conveniunt, quod in viris ita non est.

Fluxus mensium nimius.

Nunc de NIMIO MENSIUM FLUXU aliquid dicendum est: *Causa* consistit in sanguine nimis salso, acri & inspissato, quo tamen matricis vascula non obstruuntur. Sanguis is à tergo magnopere protrusus, magnâ vi foras erumpit, uti fit in Narium Hæmorrhagiâ aliquando à sanguine acri, salso & incalescente: cum enim non possit minuscula vasa subire, per latera erumpit. Hisce accedunt pororum aut vasorum relaxatio apertione, pertebratione aut dissectione. Item per lapsum, casum, vulnera, terrores &c. In nimio fluxu, vacillant vires, ideoque periculosus; metus enim est hydropis, cachexiæ, vertiginis, lipothymiæ, &c.

Retardandus est sanguinis impetus; deinde sanguinis δυσκρασία est attenuantibus & acria temperantibus corrigenda. Si sanguinis effluxus fuerit nimius, brachia & crura ligentur, & aliquando solvantur. Interim sequens cochleatim datur, ut

Recipe Tincturæ catechu, *uncias tres.*
Mastichis,
Ocul. Cancri, *ana drachmam unam.*
Caphuræ, *drachmam semis.*
Opii præp. *grana duo*, aut *tria*, pro rei necessitate.
Misce. vel,

Sume Thuris,
Mastichis,
Cort. ovorum, *ana partes aequales.*
Misce fiat pulvis.
Singulis diebus sumatur drachma integra. vel

Accipe Cretæ albæ,
Mastichis, *ana drachmam unam.*
Ocul. cancri,
Musci quercini, *ana scrupulum semis.*
Laudani Opiati, *grana duo* vel *tria*
Vini (Vulgo *Vin Tint*) *uncias sex.*
Misce sumatur cochleatim. vel,

Sume Mastichis,
Boli Armenæ,
Chalybis præp. *ana scrupulum unum.*
Sacchari Saturni, *grana sex.*
Caphoræ,
Cretæ albæ,

Ocul. cancri, *ana drachmam semis.*
Lapidis prunellæ, *scrupulum semis.*
Terebinthinæ Venetæ, *quantum sufficit.*
Misce fiant pilulæ.
De quibus quotidie scrupulus matutino tempore sumendus. vel

Recipe Cort. ovorum,
Philonii Romani, *ana drachmam unam.*
Misce fiat Bolus. vel

Recipe Gallarum,
Mastichis,
Flor. Rosarum rubrarum,
Cretæ albæ,
Fol. Quercus,
Boli Armenæ, *ana scrupulum unum.*
Salis Saturni, *grana octo.*
Croci Martis, *drachmam unam.*
Misce fiat pulvis.
Dosis esto drachma unica.

Si opus sit, alvus laxetur *Rhabarbaro* & *Myrobalanis.* Supra matricis regionem linimentum præscribunt applicandum, ex *Unguento Comitissæ* & *sale saturni*, sed frustra, quia vires ad ipsum uterum non penetrant; ejusdem quoque valoris tenendum *vinum rubellum* cum *gallarum pulvere* linteis applicatum. Multum juvat lac oryzatum cum cinamomo & pulvere ovi testarum. Accedunt huc etiam omnia chalybeata & Lapis Hæmatites, neque minoris est valoris vinum illud nigrum, quod vulgo audit *vintint.* Vagina quidem claudi potest linteo combusto, bolo, Thure, &c. sed hoc non suaderem, quia tunc sanguis facile coagulaturus intus remanet, ibique putresceret.

In menstruis nimium fluentibus præscribit vir Clar. *Ferd. Gruiwart* Med. Doctor, (apud Goesanos in Selandiâ primarius & Consul gravissimus &c.) sequentem pulverem; sumit lini stupam, quam semel & bis ad candelam accendit, & suffocando extinguit; huic pulveri inspergit justam maceris pulverisati quantitatem & pubi applicare jubet, qui manu admotâ ita tenetur, ne decidat. Dicit esse remedium optimum ad sistendos maximos fluxus: addit, se expertum loqui.

Transeamus nunc ad FLUOREM ALBUM, qui est fluxus albi cujusdam humoris ex vaginâ aut utero qui incerto tempore apparet, vel qui continuus est. In iis sæpe faciei pallor est, respirandi difficultas, tristitia, nausea, respirandi molestiâ, circum oculos, præsertim matutino tempore inflatio est sive tumor, lassitudo, vires sine vigore: urinæ crudæ & turbidæ, cibos non appetunt. Sed illa signa magis locum habent in Junioribus quam adultis, quibus illud malum magis familiare est, præsertim cessantibus menstruis; ideoque *menstrua alba* vocantur. Manuum, pedum ac crurum torpor sæpe adest Fluor albus. Menstrua alba.

cum pruritu imo & per universum corpus. Nonnunquam dolore vexantur capitis. Porro Tyrones sæpe falli possunt, ideoque distinguendum à *Gonorrhæâ*, nam in fluore albo congressus est absque dolore, ac humor minoris est quantitatis & consistentia est crassior; habetque albedinem splendidam fluitque majori intervallo, raro cum fœtore. Ast si *Virulenta* fuerit, cognoscitur ex urinâ ardente, *ulceribus* circa pudenda, aliisque signis malignitatem indicantibus. Deinde pus materiâ excretâ multò crassius est, albidius, ac minori copiâ si bene sit coctum: ast si materia sit acris & tenuis, congressum non amant, quia dolorem sentiunt.

Causæ consistunt in glandulosâ uteri vel vaginæ aut utriusque substantiâ, nimium relaxatâ; hinc nimia istius humoris copia secernitur, qui, licet sanitatis tempore semper separetur, hic tamen præter solitum fit secretio, idque ad molestiam usque: eodem modo hoc peragitur ut in ptyalismo post reconvalescentiam; relaxatis enim ductibus salivalibus, copiosè spuitur. Præcedens causa etiam in ipso sanguine est quærendâ. cum nimium sit viscosus aptusque, ut per poros istarum glandularum transmittatur. Sic cessantibus menstruis, viæ nihilominus patent, atque sic loco menstruorum, liquor albus à sanguine deponitur. Hoc malum lethale non est, sed si continuò fluat, vires consumuntut, unde *Lassitudo*, *Respirandi difficultas*, *Apepsia*, &c In principio facile curatur, sed postquam radices egerit, vix restituitur: sic ob virium dejectionem sæpe infœcundæ redduntur, aut hydropicæ, cachecticæ, tabidæ, exulceratæ &c.

Si in sanguine sint viscidi humores, etiam in intestinis hærebunt, & expurgari debent: & si relaxatæ aut obstructæ sint glandulæ matricis, restituendæ sunt. Purgandum, aut potius laxandum est cum *Rhabarbaro*, *Jalappâ*, *Mechoacanna*, &c. addendo *Sal succini volatile* vel simile quid. Acidum temperantia hic desiderantur, eodem modo ac dixi cum de nimio fluxu menstruorum agebam. vel

Recipe Mastiches,
Thuris,
Ocul. cancri, *ana partes æquales.*
Misce fiat Pulvis.

Sumatur singulis diebus bis drachma una. Astringentia quædam aromatica hic usui veniant oportet, ut *Nux Moschata*, *Santalum citrinum*, *Mastix*, *Olibanum*, uti & ex iisdem suffitus præparari possunt, sed an sint multarum virium, mihi non persuaderem. Conveniunt quoque *Martialia*, uti & usus *Rhabarbari* cum *Terebinthina*, nec non Decoctio ex *Salsa parilla*, *China*, *Guajaco*, *Sassaphras*, &c. conveniret hic quoque usus *catechu* sive ejus Tinctura; item *cortices ovorum*, *granatorum* &c.

Furor uterinus.

Sequitur nunc morbus FUROR UTERINUS dictus, qui potius est Furor & *Appetitus ad coitum*, *sine pudore aut Metu*, *quibus obscœna & impudica verba accedunt.* In principio, quoniam iste furor sensim & gradibus augetur, animi adhuc compotes quidem sunt, verum tristes, pauciloquæ, cum ocu-

oculorum circumvolutione, hinc & inde vertentium, cum lasciviâ, & faciei rubore: sæpe augetur, præcipuè si de ejusmodi rebus sermo instituatur, deinde respiratio mutatur & pulsus. Postea vero augescente furore rixari incipiunt & flere, & sæpe in risum erumpunt: plurima enormia effutiunt, idque imprudenter, ex quibus nihil certi colligere est; deinde interim ad se redeunt, donec novus paroxysmus adveniat. In summo gradu cum pervenerint, quosvis palam ad se vocant, ut cum iis coeant.

Causa consistere videtur in fermento uteri admodum salso & acri, nempe hujus, qui continuò ex uteri & vaginæ glandulosis acinis stillat: atque hoc membra genitalia admodum convelluntur, ac inflantur, unde spiritibus inclinatio ad coitum imprimitur. Morbus hic maximè accidit virginibus & viduis junoribus, quibus sæpe, ut coire possint, occasio est. Contingit & quidem nuptis, cum à maritis non fiunt satis, vel cum uxores non amant. Præter hoc, docemur ex earum cadaveribus, ovaria sæpe tumere, ac inflammata esse, quod evenenire debet ob acrimoniam, quâ ovula roduntur, unde humorum circulantium quædam retardatio & inflammatio: uti fit in externis nostris partibus, cutis enim ut rosa tumet & inflammatur: materia itaque rodente ibi moram trahente, oritur ardor ac vehemens titillatio, cui rei coitus in remedium facescit. Huic quoque rei juventus facit, & succorum vigor; potus vini nimius, aliorumque potuum inebriantium: Esus rerum calefacientium & pinguium. Odor zibethi, aut moschi; adulationes Amasiorum: lectio libellorum ac cantilenarum de re amatoriâ tractantium; conversatio cum hominibus de rebus lascivis loquentibus, &c. In principio quidem curatur, verum malo augescente, in Furorem aut Maniam mutatur. Si Paroxysmus raro recrudescit spes est; vel si narratiunculas ejusmodi audientes in paroxysmum non incidant.

Acrimonia est temperanda; ac si obstructio adsit, reseranda; deinde Victus ratio est habenda. Quoad remedia, ea sunt eadem ac de Maniâ dicemus. Fiat nempe Venæsectio, quæ aliquando repetenda, tunc sanguis & consequenter omnes succi, ex quibus furor originem trahebat, refrigerabuntur: ast quoniam ipsam radicem non tollit, & non raro exacerbatur, ideoque alia temperantia sunt adhibenda, quibus acrimonia extirpatur, & obstructiones deobstruuntur. Si menses non fluant, proliciendi sunt. Alcalia petrosa, Martialia, & Diuretica hic magni usus esse possunt. Aliquando purgandum, ut acres humores ejiciantur. Lumbi illinantur *Oleo Hyoscyami*, *Papaveris*, *Myrtillorum*, *Unguento Astringente vel Albo camphorato*, *Calcis*, *Populei*, *Refrigerantis Galeni*, &c

Diæta sit ex cibis oligotrophis; sint abstinentes & abstemiæ à vino: nam

Sine cerere & Baccho friget Venus.

Cibi ne sint salsi nam

Orta Mari Venus.

Et si de rebus obscœnis fiat locutio, tunc abeundum, ne audiantur.

Novi virginem in vicinis meis, quæ concionatorem viduum ardenter amabat,

Furoris uterini Historia & bat, & cum compos voti fieri non poterat, in furorem redacta est: Facies erat pallida, & oculi fulgidi. Non procul à vicinis alia erat, virum conjugio junctum amans, etiam in furorem erupit: erat pallida, tristis, deliranti similis, oculi fulgidi, taciturna.

Virgo furore uterino tacta, tanta mania fuit correpta, ut catenis vinciri deberet. Interim ex improviso obiit.

Anatome. APerto cadavere, ovarium dextrum pugni magnitudinem æquabat, succique plenum.

Impotentia venerea in viris. *Venerea impotentia* in viris dicitur; quando quis penem coeundi gratiâ tendere nequit; vel si erigere queat, statim ante pudendi introitum, collabascat: & tunc *languiditas* dicitur. *Venus* quoque *imperfecta* dicitur, quod, quamvis erectio fiat, & introitus inculpabilis, nullum tamen semen ejaculetur.

Impotentia nascitur, ob *defectum* testiculorum vel ipsius penis, præsertim glandis, cujus præsertim titilatione ad Veneris actum incitamur. Hisce accedit paralysis, obstructio testiculorum, vasorum semen deferentium coalitio; seminis destitutio: tumoris adnascentia; vidi ante aliquot annos virum præpinguem, cujus penis in corpore ita latebat, ut dixisses esse fœminam, quia rimam instar pudendi muliebris habebat, is tamen penem potuit exerere, sed coitioni ob brevitatem & prætumidum ventrem non videbatur aptus. Idem contingit hydropicis: accedunt excrescentiæ in urethra, ulcera glandis &c. In hisce Medela non est expectanda.

Sunt qui statim ante introitum *languidi* sunt: hoc fit, quando supini decumbunt, vel in uno alterove latere, tunc sanguinis impletio libera satis est, & penis erigitur, præsertim si uxoris manu demulcetur. Ast si sese erigant, & more solito velint coire, tunc omnis sanguis, quo penis tendebatur, subitò per venas regreditur, unde flaccessere penem necesse erat, accedit, musculos, qui tensionis tempore venam aliquatenus comprimebant, nimis longos aut impotentes esse, hinc sanguis statim elabitur venis, & per consequens ex toto penis corpore.

Hisce suasi alio modo debitum uxori solvant, nempe si decumbant lecto, ut uxor cum vulvâ supra Mariti corpus incumbat, ut penis jam erectus, absque situs mutatione à vagina amplectatur: & res succedit. Item si juxta uxorem cumbant, tunc penis absque situs mutatione, à parte posteriore introduci potest. Similia sæpe suasi, idque non sine successu, nam plurimi eorum plurimos liberos generasse novi, qui alias non potuerant: item, si Maritus sedeat supra sedem ordinarium, & erectum penem per uxoris posteriora in vulvam trudat, res quoque non sine fructu eveniet, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Præscripsi, quidem condita, ut sequitur:

Recipe Rad. Satyrionis, *uncias, duas.*
Nucis Moschatæ conditæ *unc. unam.*
Moschi *grana sex.*

Ambræ

Ambræ grifeæ *grana quatuor.* Miſce.

Juſſi quoque penis illinatur liquoribus ſpirituoſis roborandi gratia.

Quidam quidem coeunt, ſed nihil emittunt, ut Eunuchi, & hiſce ſimiles nati. Vel ſæpius ejecto ſemine quidem tendunt penem, ſed loculis exhauſtis, nihil ſequitur.

Impotentia viris crebrius quam mulieribus accidit: contingit tamen, ob ulcera vaginæ aut uteri: excreſcentias, polypos, viarum anguſtiam, qua membrum virile admitti nequeat: ob nimiam penis longitudinem: ob clitoridem nimis longam & præter modum turgidam mulieres concipere nequeunt; hinc quædam nationes illam partem amputant. Sæpe Tubæ Fallopianæ adeo concretæ, ut ova admitti, & fœcundari nequeant. Sic nimius fluxus albus ſemen virile obtundit, ſuffocat, ita ut ejus aura fæcundans per uterum & tubas penetrare non poſſit. Sunt, quæ nullam voluptatem ſentiunt, & hæ ſteriles dicuntur, quod tamen non ſemper evenit; novi enim plures, quæ confitebantur nullam in coitu ſentire voluptatem, quæ tamen liberos pepererunt, è contra novi laſcivas, nullos liberos habentes. Accedit mulierum crura admodum craſſa & brevia, ita ut membrum virile admitti nequeat. Sed tunc res à parte poſteriore ſatis ſuccedit. Et in mulieribus de ſterilitate.

Si ab albo fluore, curari debet, ut de illo morbo præſcripſimus: ſi à gonorrhœâ, ea removenda, uti & ulcerationes, polypi. Si Tubæ ſint concretæ, nulla ſpes eſt. Si voluptatem non ſentiant: præſcribe ſequentem conſervam aut Tincturam.

Recipe Nucis Moſchat. Cond. *unciam ſemis.*
Sem. Fraxini.
Erucæ,
Naſturtii, *ana drachmas duas.*
Rad. Pyrethri, *drachmam unam.*
Moſchi, *grana ſex.*
Julapii roſacei, *q. ſ. Miſce.*

Si Vinum Medicatum deſideres, tunc miſce conditi præſcripti materiam unciis triginta vini Hiſpanici, poſt aliquot dies per linteum cola, & de eo nonnunquam bibe: addi poſſunt tam condito quam vino grana quædem cantharidum, ſed hoc non ſuaderem.

Quamvis Hysterica Passio potius accenſetur morbis convulſivis; nihilomius tamen quia pertinet ad morbos mulierum, Hiſtoriam iſtius hic enodabo. Eſtque nihil aliud quam convulſio nervorum paris vagi & intercoſtalis, raro in aliis nervis, niſi quod paroxyſmus ſit admodum gravis; hiſce accedit aſcenſio rotundi alicujus corporis in abdomine; adſunt murmura, inflationes Hypochondriorum; vomitus aliquando, flatuum excretio; inæqualis reſpiratio; faucium ſuffocatio, vertigo & circumrotatio oculorum, ſtrangulatio faucium: nonnunquam adeſt riſus aut ejulatus; ſermo inconditus; alquando tacent & immobiles manent; livor faciei; pulſus ſanis ſimilis, ſed interdum languidus aut inſenſibilis. Hyſterica paſſio.

Sæpe latet in ipsis spiritibus causa, cum nimium sint debiles, minimaque occasione in motus convulsivos cieantur; uti & acris menstruorum humor, aut uteri hydrops; aut ab humoribus in ovariis corruptis. Sæpe causa in liene, hepate aliisve visceribus absconditur (nam illud malum non raro in ipsis viris imo & pueris observavi) quorum succi, ob titillantem acrimoniam, nervos vellicant ac derepentè in convulsiones trahunt; hisce accedit fœminarum debilitas, qua minimâ occasione à passionibus mutantur, atque sic spiritus per viscera pectoris, & abdominis, per diaphragma &c mediantibus nervis paris vagi & intercostalis euntes, ad convulsivos motus invitantur. Sic itaque omnia intestina versus diaphragma, globi instar contrahuntur, quem mulierculæ, sed malè, putant esse matricem ascendentem. Et quoniam pulmones comprimuntur, & plexus nervosi in collo contrahuntur, videntur suffocari, nam musculi œsophagi & laryngis etiam contrahuntur, & exinde suffocari videntur. Hinc quoque ob vasa sanguinea contracta & coarctata, livor accedit faciei. Qui ulterius desiderat scire quomodo convulsiones oboriuntur, meas adeat *Institutiones* oportet.

Morbus hic sæpe chronicus est & non sine molestiâ, præsertim in adultis, superatur. Raro periculosus, nisi symptomata sint admodum gravia. Post puerperium in junioribus quidem per se sanatur: verum si ipsis puerperis adveniat, periculo non vacat. In paroxysmo sternutatio, bonum. Bene olentia ut *Moschus*, *Zibethum*, *Cinamomum* &c, ut & fœtida nempe fumus recens, extinctæ candelæ, Paroxysmum facile recrudescere facit.

Primo itaque paroxysmus est fugandus: deinde opera danda ne redeat: nempe sanguinem purificando: ut spiritus roborentur, & quod in utero aliisve partibus irregulare est, corrigatur. In hoc casu præscribuntur volatilia oleosa, quibus robur additur spiritibus, sanguinique fluor accedit. Ut sunt.

Cæpa, *Abrotonum*, *Artemisia*, *Betonica*, *Apium*, *Levisticum*, *Matricaria*, *Mentha*, *Nepeta*, *Petroselinum*, *Porrum*, *Pulegium*, *Ruta*, *Sabina*, *Salvia*, *Satureia*. Cortices *Arantiorum*, *citriorum*. Flores *Anethi*, *Camomillæ utriusque*, *Croci*, *Matricariæ*. Baccæ *lauri*, *Juniperi*. Semen *Ammios*, *Dauci Vulgaris*, *Petroselini*, *Sileris montani*, *Porri*, *Rutæ*, *Sinapi*. *Assa fætida*. *Camphora*, *Galbanum*, *Myrrha*. *Castoreum*. *Tinctura Croci*, *Castorei*, *Sabinæ*. *Balsamum succini*. *Spiritus succini*, *Urinæ*, *Salis Armoniaci*, *Cornu cervi*, &c. *Oleum succini*, *Caphoræ veræ*, *Sabinæ*.

Levis paroxysmus per se evanescit, vel odore *tincturæ Assæ fætidæ* profligatur; ast in gravi omnibus viribus laborandum, ut paroxysmus abigatur. Usurpanda itaque ea, quibus spiritus impetuosi refrænantur, atque ea sunt præparata ex *Assa fœtida*, *Castoreo*, *Galbano*, *oleo succini*, *spiritu salis armoniaci*, &c. primo ægra in lecto collocanda, ita ut caput elatius sit quam pedes, deinde cingulum lumbis accommodetur, arctiusque stringatur: itidem crura vinciantur, & aliquando relaxentur; fricationes artuum etiam non sunt spernendæ. Sic etiam supplantalia pedibus accommodentur ex *sapone*, *sale*, *Matricaria*, *ruta*, &c. Naribus adhibeatur *oleum succini*, sed ante omnia *spiritus salis armoniaci*, quidam accendunt *sulphur*, verum quia pulmonibus nocet, non suadendum; potius accendatur *ungula caballina*, *corium*, *linteum*, *tabacum*,

&c.

&c. Vel naribus infletur sternutatorium, ex *Tabaco*, *Pipere*, *Helleboro albo*, *Pyrethro*, &c. aut *cæpa* decorticata admoveatur. Præparentur enemata, ex *Sapone Veneto*, & *Sale*, vel ex *sale*, *oleo* & *cerevisia*; uteri vaginæ intrudunt nonnihil Moschi. Zibetho umbilicum ungunt, vel ei emplastrum applicatur ex *diapalma* & *caphura*. Vel abdomini applicatur fotus: Ex. gr.

Recipe Fol. Artemisiæ,
Matricariæ,
Pulegii,
Salviæ,
Rutæ, *ana Manipulum unum.*
Sem. Levistici,
Dauci, *ana unciam unam.*
Coquantur ex Aquâ ad uncias quindecim, Colaturæ adde,
Olei Rutæ, *uncias duas.*
Spir. Terebinthinæ, *drachmas duas.*
Misce fiat Fomentum.
Vel utere sequenti Linimento.

Recipe Olei Rutæ, *sesquiunciam.*
Spir. Terebinthinæ, *drachmas duas.*
Caphoræ, *drachmam unam.*
Misce fiat Linimentum.

Huic immittatur spongia atque vaginæ intrudatur: imo pannum laneum, hocce linimento saturatum, abdomini applicabis.

Os si clausum fuerit, cochleari aperiendum, & sequens Mixtura est infundenda: ut

Recipe Spiritus Pulegii, *sesquiunciam.*
Olei Succini, *Guttas quatuor.*
Castorei, *scrupulum semis.*
Opii præpar. *granum unum.*
Misce. vel,

Recipe Aquæ Anthystericæ, *sesquiunciam.*
Tincturæ castorei, *unciam semis.*
Spir. Cornu cervi, *guttas sex.*
Misce.

Post paroxysmum sacculus ex *Asa Fœtida*, *Castoreo*, & *oleo succini*, de collo suspendatur. Deinde alvus leniter solvenda *elixire salutis aut Proprietatis*, aut vino quodam laxante, cui simul insunt vires *Assæ fætidæ*, *castorei*, *Myrrhæ*, &c. deinde *Martialia* prosunt, ut

Recipe Aquæ Pulegii,
Antepilepticæ, *ana uncias duas.*
Tinct. Castorei,
Magisterii chalybis, *ana drachmam semis.*
Tinct. Sabinæ, *unciam unam.*
Misce detur cochleatim. vel,

Recipe Sem. Pastinacæ,
Bacc. Sambuci, *ana unciam unam.*
Castorei, *drachmam semis.*
Chalybis præp. *drachmas duas.*
Spiritus Vini, *libram unam.*
Post aliquot dierum infusionem, detur matutino tempore ad cochlearia duo. Vel loco hujus.

Sume Fol. Matricariæ,
Nepetæ,
Pulegii, *ana Manipulum unum.*
Sem. Dauci,
Pastinacæ, *ana uncias duas.*
Castorei,
Bacc. Lauri,
Croci, *ana drachmas duas.*
Vini albi, *libras quatuor.*
Misce fiat destillatio.

Jejuno stomacho sumatur cochlear unum.

Maximè conveniunt extra paroxysmum pilulæ ex *Assa fœtidâ*, *ammoniaco*, *Castoreo*, *oleo succini*; &c. si singulis diebus una aut duæ deglutiantur.

Si quid difficultatis in utero fit, corrigi debet. Contingit interdum uterum nimis in partu difficili divelli: vel frustum secundinarum retineri, vel lochia non ritè procedere, unde ejusmodi plagæ sæpe remanent. Menstrua si non procedant, promovenda. Si ex aliis partibus læsis proveniat, malum expellendum.

In *Victus ratione*, abstineant ab Irâ, Tristitiâ, & effuso gaudio, hoc enim modo spiritus admodum irritantur, & facile Eclipsin cum convulsionibus totius corporis patiuntur, ideoque Epilepsiæ species: ab ea enim gradibus tantum differunt. Cibi sint Eupepti, non dulces, quia dulcia illis sæpe nocent: neque dyspepti, quia, præsertim nocturno tempore in convulsivos motus sæpe incidunt, ventriculi enim ac intestinorum nervi tunc irritantur: sed ab Assâ fœtidâ statim levamen sentiunt; ab alvum nimis commoventibus sese quoque temperent oportet; illis enim intestina nimis irritantur; ut, si lactucam sumant, aceto & oleo, ut solet, irroratam, & deinde

de lac, tunc sæpissimè commovetur alvus, &c. cerevisia sit bonæ notæ, & Vinum merum. Si in causâ sint vermes, paroxysmus primo profligandus, deinde singulis diebus ægrotans sumat Tincturæ seminis santonici, & aloes, cum vino Hispanico extractæ uncias duas.

Cum de UTERO nobis sermo sit, etiam de ejus INFLAMMATIONE & EXULCERATIONE aliquid subnectemus. Quid sit Inflammatio hic non dicemus. Sed ad alia properemus: Totus uterus vel inflammatur, vel ejus tantum pars: inflammatio quoque vel interna vel externa est; in membranis, vel substantiâ mediâ; vel est in vaginâ. Causa est per se à succis ibi stagnantibus, *iisque* acribus, & rodentibus, ut sunt menstrua, aut liquor albus semper emanans: aut alii succi ibi congregati, vel ab injuriis externis, ab ictu, casu, &c. sit ut sit, respicimus solummodo inflammationem. Vix à vesicæ inflammatione distingui potest, ut neque de recti intestini: quia utero affecto per cognationem nervorum & membranarum, omnes vicinæ partes afficiuntur. Verum si digitus in vaginam trudatur, tunc omnia admodum calescunt; imo & magis clauditur osculum, & introrsum contractum est: rubicunda etiam magis sunt omnia, cum conspicuis vasculis sanguineis: ardens adest febris, & sæpè cum externorum frigore, cui per vices repentinus calor supervenit; adsunt continui ferè horrores: lingua sæpe nigra est & sicca non sine intolerabili siti, vigiliis, delirio, corporis jactatione. Tument aliquando mammæ, atque caput dolet; totum corpus dolere videtur, ab inguinibus ad costas, diaphragma, pleuram, cum respirandi difficultate, pleuritidem sæpe mentiens; Hisce accedunt vomitus, nausea, singultus, urinæ retentio, astricta alvus: pulsus parvus, qui in principio durior est: adveniunt deliquia, extremorum frigus, sudor frigidus, præsertim circa frontem & faciem. Si in ulcus degeneret, symptomata vehementiora sunt, quæ levantur, facto pure. Uteri inflammatio, & ulceratio.

In hoc affectu itaque est stagnatio lymphæ, chyli &c. quibus membranæ convelluntur, contrahuntur, tument, &c. quâ de causâ omnes succi à circulatione debitâ prohibentur, unde incalescentia & dolor magnus. Dolor oritur vel ex materiâ extravasatâ, vel à sanguine à tergo accedente & membranas extendente, cui transitus denegatur, atque eodem aggesto tumor augetur, rubedine afficitur, unde & dolor & calor: sanguine à stagnante humore infecto, tota quoque sanguinis massa nficitur uti & chylus, &c. hinc continuæ febriles incalescentiæ &c. Consule de inflammationibus *Institutiones* uti & *Chirurgiam* nostram. Cohæsio membranarum ac continium inter se, uti & nervorum, causa est dolorum totius corporis, atque sic affectus per totum corpus dispergitur.

Hic morbus maximè periculosus est, imo lethalis, præsertim in prægnantibus; & non raro in Gangrænam aut Sphacelum, exulcerationem aut scirrhum mutatur. Melius est discutientia & resolventia in usum vocare, quam ut suppuratio promoveatur, tunc enim ulcus est diuturnum & fœtidum cum tabidâ febri aut Hydrope. Convenientius est pus per vias ordinarias excerni, quam ut in abdomen stillet, tunc enim intestina quoque corroduntur.

Quidquid fixam habet sedem, resolvendum & discutiendum, & si fieri non possit, suppurandum, & excernendum. Alvus lenitivis laxanda, & si non respondeat, clysteres injiciendi, idque more solito una cum *Caphurâ*, Alvo applicari possunt fomenta ex *Caphorâ*, *Camomillâ*, *Lavendula*, *Meliloto*, *Salvia*, *Pulegio*, *Artemisia*, *Anetho*, &c. si inflammatio tendat ad ulcerationem, Emollientia sunt usurpanda, ut *Malva*, *Althæa*, *Beta*, *Parietaria*, *Violaria*, *Camomilla*, *Melilotus*. *Semen Lini*, *Fœnugræci*, *Caricæ*: deinde detergetur decocto *Plantaginis*, *Aristolochiæ*, *Millefolii*, *Rutæ*, *Salviæ*, *Rosarum rubrarum*, *Aloes*, *Myrrhæ*, &c. interim diuretica usu veniant inter vulneraria: ut,

Coque Fol. Veronicæ,
Alchimillæ,
Virgæ aureæ,
Petroselini,
Chærefoli, *ana Manipulum unum.*
Facta ex aquâ decoctione ad uncias viginti, Colaturæ adde
Ocul. cancri, *drachmas tres*
Elix. proprietatis, *drachmas duas*
Misce fiat Potio.

Sæpe ab obstetricibus uterus malè tractatur, unde inflammatio. Discant ergo uterum neutiquam fortiter extrinsecus comprimere, ut fœtus nempe caput versus uteri osculum ducant; discant cautius agere in secundinis extrahendis, ne abdomen & per consequens uterum nimis comprimant. Sint prudentiores in obstetricatione, ne continuè absque necessitate manus in utero habeant, à qua frictione non raro uteri pars inferior inflammatur. Et quid dicendum de iis, quæ non verentur digitos in anum intrudere, ut fœtus capiti exitum parent, unde tam facile intestinum rectum, & per connexum uterus inflammatur.

Ulcere deterso consolidandum est, Potionibus & Injectionibus ex *Radicibus Symphyti majoris*, *Succo Hypocistidis*, *Terebinthina*, *Lithargyrio*, *Sarcocolla*, *Tutia* &c.

A cibis calefacientibus abstinendum est, uti & ab animi pathematis, exercitio nimio &c.

Inflammationes non raro in SCHIRRHUM mutantur, sive à *Repellentibus* dictis, sive à sanguine extravasato, ibidemque indurato, aut alias. Adest in hoc casu tumor durus ac indolens, quod digitis cedere nequit. Menstrua non respondent, vel saltem parum sese produnt, verum postea aliquando magnæ Hæmorrhagiæ superviunt: hisce accedit, inter ambulandum, quædam gravitas. Si molam habeant, mammæ trumescunt, non item in scirrho. Curatio perdifficilis est, & potissimum, si malum sit inveteratum, tunc enim emolliri nequit. Cancri venturi timor est, si acres humores ibi subsistant. Ex menstruis suppressis, non raro hydrops: quo scirrhus magis versus exitum, eo melius.

Mate-

Materia impacta est dissolvenda, & fluori restituenda. Fotus ergo sunt parandi ac injectiones: ut

Coque Rad. Althææ,
Liliorum alborum,
Bryoniæ, *ana uncias duas.*
Fol. Malvæ,
Verbasci,
Althææ, *ana Manipulum unum.*
Sem. Lini,
Fœnigræci, *ana unciam semis.*
Flor. Meliloti, *Manipulum semis.*
Facto ad uncias viginti ex Aqua decocto, Colaturæ adde
Croci, *drachmam semis.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Detur pro Fotu & Injectione.

Cataplasmata externè applicata, uti & Emplastra videntur mihi nullius esse momenti: Verùm in uterum mitti possent *oleum verbasci*, *liliorum alborum*, *Amygdalorum*, &c. deinde vagina arctè claudenda, ne quid delabatur, & olea diu intus remaneant. Unguentum quoque fieri potest utero calidè infundendum: ut,

Recipe Gummi Ammoniaci, *uncias duas.*
Butyri recentis, *uncias tres.*
Olei liliorum alborum, *drachmas duas.*
Misce fiat Unguentum.

Intus ea sumantur, quæ diximus de scirrho Hepatis & lienis: uti est *Tartarus Vitriolatus*, *Magisterium Chalybis*, *oculi cancri*, *limatura chalybis*, uti & pilulæ ex *Gummi ammoniaco* & *Martialibus* &c.

Uteri Cancer tumor est durus, qui pressus vestigium non relinquit, cum vehementi punctorio dolore in parte uteri glandulosâ. Causa est, uti in cancro mammarum, quod chylosa aut lymphatica pars in glandulis subsistat, ibique coaguletur, & in caseosam substantiam redigatur, quæ cum acris sit, vicinas partes, membranas &c. rodit, unde dolor: porro ob acrimoniam continuò serpit. Quando scirrho accedunt acres humores, in cancrum degenerat: vel si glandulæ alibi sint contusæ etiam non raro in cancrum mutantur: succi enim per tubulos contusos meare ac remeare nequeunt, itaque ibi subsistunt, & acres fiunt. Dividitur in exulceratum, & non exulceratum. In utero non sine periculo est, & vix vel rarissimè curabilis. Uteri cancer.

Itaque faciendum quidquid possumus, & danda quæ acidam acrimoniam temperant, ac mordacitatem sistunt. ut

Disso-

Dissolve Aceti Vini, *uncias decem.*
Minii, *uncias sex.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Misce.

Ex hoc Remedio fieri possunt Injectiones & Fotus.

Recipe aliquot *ovorum vitella* cum *aqua rosarum* & *sale saturni*, misceantur in mortario plumbeo, donec liquor livorem contraxerit, & utere ut prius. Si dolor sit intolerabilis, Anodyna sunt admiscenda ex *opio*, *croco*, &c. si Cancer fuerit exulceratus, Detergentia supra præscripta hic commodè adhiberi possunt, cui adde *Tutiam*, & Myrrham. Interna sint acidum temperantia ex oculis cancri, Testis, Conchis, &c.

Uteri Inflatio. Videamus nunc quid sit UTERI INFLATIO, quando convulsionibus expanditur, ita ut fœminæ vel virgines videantur prægnantes. Inflatio illa vel est in ipso utero, aut intra ipsius membranas. Ab uteri Hydrope differt; quoniam hic sunt flatus, qui aliquando derepentè adveniunt, sed in aliis liquor est pituitosus. *Causæ* eædem sunt, ac de *Tympanitide* diximus; quibus accedunt plerumque convulsiones ex liene, hepate, mesenterio, &c. malè disposito. Item externum frigus, menstrua obstructa, cibi flatus producentes: lavationes in aquâ frigida, fluentibus mensibus: remanentia acrium humorum post partum in utero, &c. Cognoscitur ex tumore in Inferiore abdominis parte (qui in Tympanitide altior est & major) ex utero aliquando flatus emittuntur, si in ipsa sint cavitate, & si non, intra membranas inflatio est, Si adsit aqua, pondus in abdomine inter ambulandum sentitur; ast in Tympanitide non. In hac inflatione nunc dolor est major nunc minor, qui in uteri hydrope non adeo urget. Inflatio illa diu persistere non potest, ideoque non periculosa; verum si intra membranas sit, & diu persistat, mutatur facile in Hydropem.

Curatio eadem est ac de *Tympanitide* dictum: huic etiam accedunt quædam *Hysterica*. Supra uterum sacculi ex *furfure*, *sale*, *semine cumini*, *vino* madefactis, calidè imponuntur: & melius est *arena* cum *sale* & *furfuribus*; linimenta etiam conveniunt ex oleo *Anethi Camomillæ*, *Castorei*, *Absinthii*, *Nardini*, *Laurini* &c. deinde applicari possunt *Emplastrum de cumino*, *de baccis Lauri*, *oxycrocei* & vel cataplasma ex stercore vaccino recenti, vel *fæcibus frumenti* Cocti, quæ à cerevisiariis & destillatoribus petuntur, uti ex *Levistico*, *Cumino* ex vino coctis. Ne fæces alvinæ uterum premant, clysteres aliquando sunt injiciendi, nam si induratæ fuerint, utero dolorem inferrent: sequens matrici injiciatur:

Coque Summit. Anethi,
Flor. Camomillæ,
Lavendulæ, *ana Manipulum unum.*
Fol. Sabinæ, *Manipulum semis.*

Sem. Anisi,
Carei,
Levistici, *ana Unciam semis.*
Aquæ, pluvialis,
Vini, *ana libras duas.*
Colaturæ admisce.
Olei Castorei, *uncias duas.*
Misce fiat Metrenchyta.

Fumigatio ex Caryophyllis & nuce Moschatâ instituatur: uti & balnea nitrosa & sulphurea.

Ut cæteræ partes particulares in Hydropem incidunt; ita & uterus, quando vasa lymphatica obstructa multum lymphæ congerunt inque hydatides sese dilatant. Hæc congestio fit extra vel intra uterum vel in ejus substantiâ intermedia: imo & in tubis Fallopianis, & in ovariis ipsis, præsertim tumentibus ovis Hydatidesque repræsentantibus. *Signa* ferè eadem sunt ac de uteri inflatione diximus, præter quod hic flatus non emittuntur, verum aliquando nonnihil humiditatis. Menstrua etiam in ejusmodi casu quoque supprimuntur. Præter quod *Causæ* eædem sunt ac de Hydrope antea dictum, fortuito tamen quædam accedunt, ut malæ obstetricum tractationes: assumptio cantharidum, infrigidationes, febres, &c. si in uteri cavitate sit Hydrops facilius curatur quam si extra uterum aut in Tubis, ovariis aut interiori substantiâ: quo minor aquæ adsit acrimonia aut corruptio, eo melius: neque boni quid apportat, si diu duraverit, quia uterus tunc facile corrumpitur & gangrænâ vexatur. Hydrops uteri.

Curatio ferè eadem est ac in vulgari hydrope, solo ferè allii usu quotidiano quidem curavi, dabam interdum quoque succini sal cum ejus oleo. Hisce accedant Medicamenta *Hysterica* dicta, quæ quoque diuretica sunt, velut *Sabina*, *Matricaria*, *Artemesia*, *Radices Apii*, *Asparagi*, *Graminis*, *Petroselini. Semen Levistici*, *Dauci*, *Cumini*, *Phellandrii*, *Myrrha*, *Oculi cancri*, *Crocus*, *Gummi Ammoniacum*, *Assa fœtida. Baccæ Juniperi*, *Borax.* Hic etiam magnoperè prosunt sudorifera & diuretica; sequenti pulvere bis singulis septimanis utantur: ut

Contunde Boracis, *drachmam semis.*
Croci, *scrupulum semis.*
Sabinæ, *drachmam semis.*
Misce fiat Pulvis.

Tentandum ut uteri osculum aperiatur, aquaque, si fieri possit, elutrietur: fiat quoque injectio ex *Sabina*, *Veronica*, *Sanicula*, *Alchimilla*, *Salvia* &c. Si ovaria aut Tubæ hydrope laborent, non nisi hydropicis sanantur: operatio Chirurgica hic locum vix habere potest, nisi aperto abdomine & utero.

Mulier cum intra triduum parere non posset, speculum matricis est adhibitum. Tumor aderat durus & magnus in sinistro latere è regione umbilici tactui renitens; omnibus auxiliis frustra adhibitis, postridie ejusdie circa vesperam è vita decessit.

Uteri Scirrhus in gravida.

ABdomine aperto, uterus in dextra (sana nimirium parte) disruptus, & infans extra uterum locatus, scirrusque insignis magnitudinis à fundo uteri incipiens & ad os uteri desinens erat.

Quid sit Scirrhus, & quomodo generetur, in præcedentibus satis superque dictum est. Uterum fuisse disruptum, propter viam angustam, veri simile est: Si omnia quæ iutus latent Medici foris divinarent, cæsarea sectio hic fuisset instituita, ni vires defecissent.

Fœmina triennali menstruorum defectu laborans, post esum aselli arefacti, repente in lipothymiam & syncopen correpta inopinata morte decessit.

Menstruorum defectus.

UTerus sanguine nigro impletus. Renes tartaro incrustati.

Defectum menstruorum incrustatio materiæ sabulosæ in renibus non raro concomitatur: semper enim ad est sanguis crassus & nimium inspissatus ac non raro salsus, cujus pasticulæ crystallisatæ calculos, arenulas, tartareamque materiem efficiunt. Sic etiam ob sanguinis crassitiem ab uteri vasculis excipi non potuit, sed ut in cadavere conspiciebatur, vasa majora eodem turgebant. Eandem ob causam sanguis per pulmones & cor ire impotens, in Syncopen, nunquam restituendam, incidit.

Quædam Matrona, cum bimestri spatio mensium suppressione laborasset, Tandem exortus est dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abscessus & ulcus in collo matricis secutum est. Adhibito matricis speculo, ulcus calliosum, fætidum, inæquale lividumque, & ut brevi dicam, cancrosum inventum est. Postea auctus dolor, aucta febris, inflammatio, Vigiliæ, cibi fastidium & syncope, & paucos post dies è vita discessit.

Ulcus & cancer colli Matricis.

CAdavere dissecto, totum uteri collum planè cancrosum & exulceratum erat.

Menstrua ex sanguine nimis crasso sæpè supprimuntur; fortè fortuna sanguis depluendus in colli vasculis substitit, præsertim in substantia ejus glandulosa; equidem hoc malum aliquando invadit mammas, glandulas salivales, aliasque partes glandulosas. Interim ibi, corrupto sanguine, inflammatio, cancer & ulcus factum. Cancer nihil aliud est quam glandularum

rum sphacelus, cujus sævitia vicinas partes non raro quoque depopulatur.

Mulier quædam hystericis passionibus obnoxia, tandem moritur.

MEsenterium plurimis glandulis scirrhosis, durissimis & variæ magnitudinis & figuræ obsessum: vix ob duritiem discindi poterant. Uterus & ovaria cum Tubis, recenti quasi coagulato lacte turgebant. Hystericæ anatome.

Ex obstructis Mesenterii glandulis, sæpè convulsio orta, præsertim quando cibo vel potu corpus repleatur, tunc enim magis istæ glandulæ distenduntur, unde membranarum ruptura, distensio & dolor. Quod suo tempore bene observavit *Hippocrates*, cum dicit Convulsionem vel à repletione fieri vel ab inanitione, hic etiam à distentione membranarum nimia, succi non tantum acres fiunt, convelluntque, sed ipsæ membranarum fibræ franguntur, unde convulsio. Sic etiam ab inanitione, hoc est ab Eclipsi succi cerebralis seu nervosi, etiam convulsiones oriuntur.

Porro convulsiones istæ in abdomine, ob communionem cum aliis visceribus, idque mediantibus nervis paris vagi & intercostalis *Hystericam* (ut dicitur, quamvis uterus sit inculpatus) *passionem* intulerunt.

Ægra hæc istas in Mesenterio obstructiones nunquam passa fuisset, si & viscidis humoribus se non divitem fecisset. Atque hoc acidum abundare testantur succi in ovariis, Tubisque Fallopianis ac uteri cavitate coagulatis. Omne acidum, omne salsum ac omne viscidum succis nostri corporis inimicum: ideoque ab omnibus his, si sanitatem velimus curare, se temperandum est.

Matrona quædam duorum fere annorum spatio gravissime utero laboraverat. Ab initio gravidam se esse putabat: omnia enim signa prægnationis aderant. Elapsis tamen mensibus aliquot falsæ hujus prægnationis, pejus se habere cœpit, mammæ flaccescebant, venter vero de die in diem accrescebat, appetitus item prostatus erat, dolores quoque totius ventris continui, imprimis vero lateris dextri, atque e regione renis sinistri tam vehementes, tamque maximi aderant, ut sæpissime maritum suum & adstantes imploraverit, quo Medicum aut Chirurgum accerserent, qui aperto abdomine horrendas illas & crudelissimas bestias expelleret: plane enim sibi persuasum habebat, se gestare bestias. Tandem cum in hac miseria ultra duos annos langueret, auctâ febriculâ, nauseâ & vigiliis, nullis item usa remediis è vita discessit.

ADaperto abdomine, plurimum aquæ, carnis loturæ similis effluxit. Uterus in magnitudinem ingentem extensus, peritonæo à linea alba usque De ingenti mole, & utero Peritonæo adhærente data.

que ad costas breves & renem dextrum, adeo tenaciter adhærescebat, ut vix avelli posset. Ren sinister plane putrefactus conspiciebatur. Hepar undique abscessibus putridis scatebat.

Utero dissecto aquæ fœtidissimæ puri permixtæ, ultra libras sex effluxerant. Mola quoque in conspectum sese dabat, magnitudinem capitis longè excedens, inæqualis, nonnullis quoque in locis dura, atque hinc inde putrida ac fœtida. Utero tenaciter adhærescebat, præsertim parte, quæ dorsum respicit, imo absque dilaceratione uteri avelli atque separari non potuit. Ambo quoque ovaria adeo excreverant, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæqualia, dura & adinstar ferè uvæ.

Aqua seu lympha, quæ in ventrem effluxerat, ex Hepatis abscessibus, sine dubio, emanavit, cui nonnihil sanguinis admixtum fuit.

Dolores in dextro latere, Hepatis inflammationes & tandem abscessus fuere: in sinistro vero, à putrescente rene sinistro oborti.

Mola quo modo crescat, in institutionibus meis docui. Est nempe ovum, jam jam utero receptum atque à virili instrumento aut alias iterum læsum, sed tamen non ita, quin aliquo modo alimentum accipi possit; hinc indigesta moles & caro quasi fungosa. Sæpissime figuram cordis refert, quia uteri cavitas trilatera est.

Obstructiones in ovariis, eorum substantiam extenderunt, hinc liquet dolores totum abdomen occupasse. Mirum ejusmodi corpus, tamdiu fuisse superstes.

Quinquagenaria, mola laborans, obiit.

Pili in utero reperti. A Petro Cadavere, Hepar & Lien sine noxa; pulmo vero semiputridus. Uterus libras octoginta septem mercatorum æquabat pondere: ille autem partim ichore flavo, partim quoque materia adiposa & oleaginosa infarctus erat; in medio ipsius utero, crines, (aut veluti lana flavescens, & adiposa materia involuta) reperta fuerunt.

Venter cum in vivis erat, instar prægnantis fœminæ intumuit. Alvus solito segnior.

Memini me quoque ejusmodi pilos ex steatomate, quo mulier laboravit, vidisse: erant quoque citrini coloris. Eorum geneseos ratio, quibusdam admodum obscura videbitur, præsertim illis, qui omnia occulta ad occultas qualitates vel fascinationes dirigunt. Certè res quamvis explicatu ardua, hoc tamen dicam, pilos hosce nihil aliud fuisse quam vascula minima obstructa, quæ variè sibi invicem torta, atque à functione desistentia, pilorum speciem præbuerunt. Novimus venam & arterias umbilicales concrescere, & ligamenti φάσιν acquirere, ita hæc minuscula vascula non ligamentorum, sed ob tenuitatem, pilorum genus referre: pili enim revera non sunt, sed ut dixi, vascula alicujus glandulæ concreta. Vide *obs. Ruischianas.*

Fœmina

Fœmina, hora dimidia ab editione pueri vitalis, in syncope exspiravit.

UTerus post obitum perpendiculariter cæditur, qui duas secundinas suis cum umbilicalibus vasis retinebat. Inferior secundina, duas placentas, totidemque vasa umbilicalia ex unico trunco prodeuntia, habebat; in qua puer jam jam natus occlusus fuit: à superioris circumferentia, uteri osculo & dorso in anticum medium producta fuit secundina: placenta Hydatidibus interius paucis obsessa erat. Superior erat integra, dimidium fundi superius pro more ambiens, in qua puer extinctus alter concludebatur. Ab invicem per septum orbiculare ex tendine membranaceum dirimebantur. Ab interna placentæ facie, Hydatides erant. Gemellorum duplex secunna.

De bifido & trifido funiculo exempla etiam refert in observationibus suis Experientissimus *Doctor C. van Solingen*, sed num placentas etiam divisas invenerit, non refert; Veri tamen simile est, quod funiculos, tot etiam placentas adesse. Saltem in hoc partu divisa fuit ut fratris placentæ nempe cederet.

Hydatides istæ, quibus placentæ obsedebantur, ortum habere credo, quod succus nutritius seu lympha regressum non habuerit, adeo ut se tandem in vesiculas aquosas, ob ingentem copiam elevaverit.

XI. CAPUT.

DE MORBIS PRÆGNANTIUM ET PUERPERARUM; UT DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS PRÆGNANTIUM; ABORTU; PARTU DIFFICILI; FOETUS MORTUI EXTRACTIONE; RETENTA SECUNDINA; FLUXU LOCHIORUM IMMODICO, EORUMQUE SUPPRESSIONE; DE TORMINIBUS POST PARTUM; FEBRI LACTEA; PUERPERARUM FEBRI ACUTA, LACTIS DEFECTU ET ABUNDANTIA; DE LACTIS DEPRAVATIONE, ETC.

MOrbi Acuti et Chronici Prægnantium, maximâ ex parte sunt, ut in viris & non prægnantibus solet. Ast *Prognosis* iis periculosior; quia à morbo ipso vel à medicamentis facile abortus concitatur. Venæ enim sectione fœtus ab alimento (quod substantia quædam est chylosa sed tenuis, à sanguinis massâ secreta) aliquando frustratur. Sic purgationes turbant quoque sanguinem & lympham, eumque veneno quasi contaminant: quâ de causâ etiam fœtus purgatur, unde convulsiones Epilepticæ; ac non raro ipsa mors: diuretica etiam nocent, quia humorum superflua copia in ipsum uterum & per consequens intra secundinas effunditur, atque sic radices; Morbi acuti & chronici prægnantium.

 quibus

quibus placenta utero connectitur, eradicantur; atque sic placenta cum fœtu cæterisque secundinis præcipitatur, vel in utero ipso corrumpitur: sic humiditas intra membranas conclusa superflua esse potest, quâ de causâ fœtus facile suffocaretur. Primo & ultimo gestationis tempore morbi illi periculosiores, quam medio. Primo enim radicatio necdum est firma, & ultimo, quia radices ferè maturæ sunt, facile, uti fructus ab arbore, decidunt.

Quoad *Indicationes* ac *Curationes* hic nihil dicemus, quoniam antea satis superque ejus mentio facta est; solum tantum id dicam, quæ ad prægnantes pertinent. Omne periculum hic consistit tantum in diætâ, Phlebotomiâ, Purgatione ac Diuresi. Quoad *Diætam*, non admodum tenuis oportet esse, ne fœtus ab alimento frustretur: ex cibis enim chylus, & ex chylo alimentum fætui nutriendo aptum. Tenuior in principio esse potest & parcior, ast mensibus insequentibus lautior parum. Jure merito *Hippocrates* non admittit *Venæ sectionem*, præsertim si fætus adultior sit factus, tunc enim & calore & majori alimenti copiâ opus est, & aliquando post sectam venam abortus est expectandus. A quarto mense ad septimum concedit *Hippocrates Purgationem*: sed Purgantia fortia non sunt præscribenda, ideoque blanda tantum usu veniant, quibus succi non admodum turbantur, ut sunt *Pruna*, *Manna*, *Tamarindum*, *Cremor tartari*, *Passulæ minores*, *Cassia fistula*, &c. conceditur Purgatio, quia tunc placentæ radices firmiter utero inhærent. Si alias alvus non respondeat ad Suppositoria & Enemata confugiendum potius. Medicamenta fortiter sudorem emittentia, Menstrua pellentia, diuretica, semper fugienda, nisi minimâ quantitate.

De Abortu

ABORTUS est fœtus immaturi ante debitum tempus vel exclusio, vel vitæ ipsius in ipso utero expiratio. *Signa Præcedentia* sunt frigus & horrores; gravitas in lumbis & coxis, adest capitis dolor, præsertim pone oculos; constrictio laterum & Hypochondriorum: appetitus dejectio, lassitudo corporis, mammarum diminutio; fœtet nonnunquam os. Præsertim si fœtus derepentè commovetur, unde sanguis & aqua utero effunditur; his accedunt parturiendi nixus ad fœtum expellendum, quod certum signum est, si dolor adsit circa lumbos, sacrum os, renes & pubis ossa. Hisce accedunt *Casus*, *Lapsus* ab alto, *Ictus*, rerum *gravium elevatio*, aut *gestatio*, *motus corporis vehemens*: *Purgationes*, *Venæ sectiones*, *Diuretica*, *Menstrua pellentia*, &c. Si modum excedant, abortum concitant. Item uteri Hæmorrhagiæ, inflammationes, exulcerationes, &c. A Venæ sectionibus semper tamen non abortiunt; sæpissimè enim in nostris regionibus gravidis adhibetur, idque omni tempore, ideoque abortus non tam à Phlebotomiâ concitatur, quam è matris morbo, quem etiam fœtus in utero experitur, qui impotens sufferre, moritur.

Abortus nunquam absque periculo est, imo periculosior sæpe maturo partu. Expectantur enim immensus sanguinis fluxus; Lipothymiæ; convulsiones; uteri inflammationes; febres periculosæ: retentio fœtus & mortui & secundinarum; putredines, &c. Mulieres delicatulæ magis patiuntur ob teneritudinem & vires imbecilles, & quæ succi sunt plenæ propter viarum augustiam.

tiam. Ferunt mensem setum, septimum & octavum maximè esse periculosum, quia tunc fœtus se movet, & ob motum nimium facile placenta solvitur, imo & passionibus matris fœtus magis subjectus est.

Media sunt adhibenda ne abortiat; deinde si fœtus exitum minetur, ut debito modo evacuetur; denique symptomata sunt respicienda. Si adsint pravi, acres, aut salsi humores, sunt temperandi, & laxantibus expellendi; verum si res differri possit, donec dies puerperii sint elapsi, melius est. Inflammationes, Ulcerationes, &c. ut antea dictum, tractandæ sunt. Quietæ sint oportet, sine irâ, terrore, &c. porro si abortus sit expellendus, ea præscribenda, quæ postea in partu difficili dicentur. Præter omnia hic valet *Spiritus matricalis* ex *Olibani*, *Mastiches*, *Myrrhæ & succini* ana partibus æqualibus cum spiritu vini destillatus, cujus *dosis* est ab unciâ semisse ad unciam integram cum vino. Interim quoad symptomata, doloris, lipothymiæ, syncopes, cordis palpitationum &c. in præcedentibus satis dictum. Expulso fœtu, fæmina se gerat ac, si esset puerpera: si Lochia solitò copiosius fluant, blandè sistenda sunt, ut postea dicetur. Et ad ulteriorem Lochiorum expulsionem, commodè *oculi cancri*, *oleum amygdalarum* &c. Sumi possunt. Interdum quoque roborantia, ut Κυκεὼν, sive vinum calidum aquâ dilutum, cui adest cinamomum, nux moschata, Macis, saccharum & ovi vitellum unum aut alterum. Spiritus matricalis.

In PARTU DIFFICILI omnia prosperè non succedunt, sed partus retardatur cum magno dolore, aliisque symptomatis. *Causa* consistit in corporis debilitate ac Virium defectu. Viarum siccitas adest, vel angustia, aut nimia pinguedo: corporis item macies; ossis pubis aut sacri mala conformatio; calculi pressiones; fæces induratæ, &c. Inflammationes, ulcerationes, tumores, excrescentiæ in vaginâ vel quando fœtus nimis maturè prodit, aut imbecillis est; aut mortuus, aut prægrandis, obliquè venit, vel pedibus exitum parat: aut funiculus umbilicalis fœtus collum circumliget, &c. Casus ille periculosus est, nam fœtus & mater, aut ambo in discrimine mortis sunt. Post quartum diem sæpe fœtus moritur. Morbi soporiferi ac convulsiones non raro mortem prænunciant. Sternutatio, præsertim spontè concitata, bona est. Partus difficilis.

Signa difficilis futuri partus hæc sunt à *Cl. Mangeto* descripta; si humor aquosus & nutritius in membranis, chorio & amnio, ut & secundum aliquos allantoide conclusus, totus longè ante partum effluit, si copiosior hæmorrhagia multo tempore fætum præcedit, si languidi dolores ex intervallis longioribus recurrunt.

Signa fœtus mortui sunt suppressus in totum ipsius motus; cadaverosæ atque fœtidæ humiditates ex utero vel erumpentes, vel exudantes, fœtus contenti ad latus in quod decumbit mater cita convolutio; matris frequentia animi deliquia & convulsiones, placenta ut & vasa umbilicalia ex utero rejecta, vel inde propendentia, asservato interim fœtu; pulsatio in arteriis umbilicalibus deficiens; lingua fœtus immobilis & suctionis incapax; caput mollius & sine pulsatione circa fontanellam, adde matris mammas flaccidas, vultum colore plumbeum, aspectum languidum, anhelitum fœtidum, ab ictu vel casu læsionem, &c. Signa malè siti fœtus, manu obstetricis vel Chirurgi periti percipiuntur.

Causæ

Causæ partum impedientes, si possibile sit, removendi, atque expellentia usurpandi: inter ea recensentur.

Radices *Angelicæ*, *Aristolochiæ fabaceæ & rotundæ*, *Imperatoriæ*, *Valerianæ*. Cortices *Cassiæ ligneæ*, *Lauri*. Folia *Anethi*, *Artemisiæ*, *Calaminthæ*, *Chærefolii*, *Diptamni cretici*, *Lauri*, *Levistici*, *Matricariæ*, *Nepetæ*, *Pulegii*, *Sabinæ*. Flores *Anethi*, *Croci*, *Lavendulæ*, *Matricariæ*, *Camomillæ*, *Origani*. Baccæ *Juniperi*, *Lauri*. Semen *Apii*, *Gumini*, *Dauci*, *Levistici*, *Petroselini*, *Porri*, *Rutæ*, *Seselios*, *Sinapi*. *Myrrha*, *Galbanum*, *Assa fœtida*. *Millepedes*, *Oculi*, *cancri*, *Borax*. Oleum *Juniperi*, *Rorismarini*, *Anisi*, *Arantiorum*, *Succini*, *Terebinthinæ* &c. ex hisce variæ præparationes comminisci possunt primo injiciendus *Clyster*, ut alvus reseretur. Abdomini imponitur *Fotus* ex *Sabina*, *Anetho*, *Artemisia*, *Matricaria*, *Pulegio*, *Petroselino*, &c. inungatur umbilicus *Oleo succini*, aut *Zibetho*. Si viæ nimis fuerint siccæ, oleo amygdalarum sunt liniendæ, vel oleum siphone immittatur. Pro sternutatorio excitando valet, *Tabacum*, *Helleborus albus*, *Pyrethrum*, *Piper*, &c. Dato utendum sequentem pulverem.

Tunde Fol. Diptamni cretici,
Cassiæ ligneæ, *ana scrupulum semis*.
Croci, *grana septem*,
Trochisci de Myrrhâ,
Boracis, *ana scrupulum unum*.
Olei Succini, *guttas quatuor*.
Misce fiat pulvis.

Fœtus si jaciat transversim, vel pedibus primo prodeat, obstetrix fœtus in debitum situm collocet oportet. Et si à nemine fœtus restitui possit aut extrahi, ad Cæsaream sectionem perveniendum est; ex duabus rebus periculosis, minima est eligenda. Fœtus si fuerit mortuus frustulatim est extrahendus, de quibus in *Chirurgia nostra*. Parturientium nates si eleventur; faciliorem fœtui exitum præbet. Dantur quoque cum successu sequentia: ut

Recipe Cinamomi,
Trochisci de Myrrhâ,
Croci, *ana grana decem*:
Misce fiat pulvis.
Detur cum Vino. vel

Tunde Aristolochiæ,
Myrrhæ,
Piperis,
Croci, *ana drachmam semis*.
Fiat pulvis.

Vel

Vel detur ſemiſcrupulus *Extracti croci*, cum duabus guttis *olei cinamomi*, cum vehiculo convenienti. Vel detur *oleum ſuccini*, aut *borax* cum *ſabina & croco*.

De Foetus Mortui Extractione hic nonnihil dicendum venit. Cum viæ ſunt nimium anguſtæ, fœtus prægrandis, debilis, ægrotus; ſi pedibus primò prodeat, aut ſitum habeat obliquum, aut manum primo exerat, &c. evenit, partum non ritè proceſſurum. Mortuo fœtu *Signa* ſunt, quando fœtus motus, qui antea à matre aut obſtetrice ſentiebatur, ceſſat: ſi adſit in abdomine gravitas cum dolore: quando fœtus ponderis gravioris inſtar dilabitur, ſi gravida de latere in latus ſeſe volvat: Frigus & Horrores in abdomine: exitus humorum fœtidorum ac putridorum ex utero: facies cum labiis pallet: os fœtet. Partes extremæ frigidæ ſunt & lividæ ſæpe. Secundinis primo venientibus, certum fœtus mortui indicium eſt. Mammæ fœtu mortuo, etiam detumeſcunt. Quamvis fœtus mortuus diu in utero remanere poteſt, non eſt tamen ſine periculo: Exempla equidem reperiuntur apud varios authores, mulieres non tantum ultra viginti annos fœtum putridum geſiſſe, ſed interim ſervato intus fœtu mortuo, alium vivum peperiſſe. Fœtus mortui extractio.

Primo fœtum expellentia ad manum ſunt habenda; & ſi expelli nequeat, inſtrumentis eſt extrahendus, aut manu dexterrimâ Chirurgi. Porro Medicamenta quæ in hoc caſu præſcribuntur, eadem ſunt ac de Abortu diximus. Interdum ſequentis pulveris drachmam dato: ut

Recipe Croci, *drachmam ſemis.*
Myrrhæ,
Boracis, *ana ſcrupulum ſemis.*
Ariſtolochiæ rot.
Sabinæ,
Fol. Diptamni, *ana drachmas duas.*
Miſce fiat pulvis.

Fotus Abdomini applicentur ex *Ariſtolochia*, *Bryoniâ*, *Iride Florentinâ*, *Cucumere aſinino*, &c. ex eadem materiâ etiam *Metrenchytæ* fiant cum Felle bovino: vel *Peſſarium* ex *Galbano*, *Helleboro albo*, *Colocynthide*, *Scammonio*, *Sale*, *Felle taurino*, *Euphorbio*, &c. ex iiſdem per infundibulum Fumigationes inſtituuntur: imo Balnea ad eundem ſcopum parari ſolent. *Vomitus* expellendo fœtui etiam multum contribuit, quia abdominis contenta non parum commoventur; ut & à ſternutatoriis. Si itaque hiſce nihil proficere poſſimus, ad Operationes Chirurgicas confugiendum eſt, de quibus *in Chirurgiâ noſtrâ*.

Commodum erit hic loci etiam de Secundinis Retentis agere, quæ vel integræ remanent, vel tantum earum quædam pars: unde magna ſymptomata, imo & mors cauſatur.

De secundinis retentis.

Causæ possunt esse excedens magnitudo, vel quando nimium firmiter uteri fundo adhæret. Ut & inflammationes, tumores, quibus uteri osculum facile clauditur: viæ, aquâ foras effusâ, interdum minus glabræ sunt. Imprudentia obstetricum facile aliquid retinetur, quando statim secundinas non examinant, adstantibusque mulierculis ostendunt. Accedit hisce frigus, aëris fœtor, aut penetrans moschi odor, quo fœminæ perturbantur: virium debilitas, Timor, Terror, æmulatio: fœtus gravitate funiculus umbilicalis aliquando rumpitur, atque sic secundinæ retinentur. Adverte quoque Tyronum schola, me inter meos liberos habuisse funiculum umbilicalem, qui adeo tener erat ac si gelatina fuisset concreta: erat etiam pellucidus. Atque ejusmodi casus boni omnis non-sunt. Novi fœminam quæ ultra annum decumbebat cum febre lentâ, quæ aliquando exacerbabatur; nullus erat appetitus, Lipothymiæ, & continuæ palpitationes eo loci ubi matrix erat, quæ tamen vitam cum morte commutabat. Accedunt nonnunquam sudores, horrores, uteri convulsiones, ulcerationes, Epilepsiæ, continui dolores, putredines, fœtores, &c.

Si funiculus umbilicalis in medio placentæ inseratur, difficile extrahitur, quia vis attrahens ab omni parte est æqualis, & tunc indice digito, ad separandum opus est. Ideoque ut placenta facilius dissolvatur, ei exactè in medio non adhæret, sed aliquantulum à centro recedit.

In hoc casu eadem remedia adhibentur, uti antea de expellendo fœtu diximus. Commendo hic ante omnia quæ fœtum & per consequens secundinas expellunt. Ut sunt ea de quibus nobis antea mentio fuit facta.

Quid in abortu faciendum.

Si Gravida post septimanas decem aut duodecim, magnum patitur ex utero fluxum; primâ instantia nihil tentandum, nam hoc tempore sæpe abortus prodit: & si cessat fluxus, signum est, embryon esse dissolutum, & à matrice separatum. Embryon tunc habet ovi gallinacei magnitudinem, quo excreto, fluxus cessat: ast si Embron non excernatur, & Hæmorrhagia persistat cum virium dispendio, enitendum ut digiti indicis insertione extrahatur. Verum si ex digito fœtorem persentiscas, putrefactionis signum est, tunc injectio ex præparanda est] Aristolochiâ Fabaceâ, Lauri Baccis, Camomillæ Floribus, &c. quæ in uterum injicitur.

Si tertio, quarto aut quinto gestationis mense in fluxum sanguineum incidat, in lecto quieta decumbat; & si post assumpta sanguinem sistentia fluxus immodicus non cesset, grumique majores excernantur, veri simile est abortum futurum: qui tunc magnitudinem habet felis primo enixi. Et quamvis una cum fœtu secundinæ, (quamvis fœtu majores) non prodeant, nihil tamen timendum; non raro enim ad secundum, tertium aut quartum diem, imo longius, intus remanent, & tunc sæpe per se, Enematis injectione emittuntur. Dixi nil esse timendum, quia in utero non tam cito putrescunt, quam quidem extra; contigit quippe illas ad sextum diem intus sine corruptione remansisse. Atque illud fit in corporibus sanis, alioquin febres advenirent.

Si ab Hæmorrhagiâ nimiâ vita periclitetur, & per aliquot menses uterum ut-

tulisse, cum pariendi conatuum præludio; opera danda ut partus festinetur, quia & mulieri & fœtui unicum est refugium. Unctis digitis & manu immissis, si osculum sit tenue ac molle, operatio non est procrastinanda: verum si adhuc crassum sit & durum, expectandum, donec mollescat. Primo unus digitus est intro ducendus, deinde secundus & tertius, qui leni motu ab invicem diduci debent: ut interius uterio osculum sensim aperiatur: & manus facile in uterum inseratur. Tum digitorum apicibus secundinarum membranæ sunt perforandæ. In membranis detegitur nudus fœtus, qui modo commodissimo est extrahendus. Si fœtus porro malum habeat situm, atque sanguineus fluxus cesset: Caput exitum claudat, ita ut in verti nequeat, inquirendum num vivat nec ne: & si Mater simul cum fœtu periclitantur, extrahendus est unco, idque tantum fiat, quando nos ad operationem cogimur accedere; & certissimè de fœtus morte constat, & matris discrimine; alias ad extrema non facile descendendum.

Signis periculi certis apparentibus, lævam manum in vaginam intrudet, caput nempe si in exitu hæreat, deinde manum insinuet inter caput & uteri collum; tunc uncum in dextra habebit, dum sinistra in vagina est, deinde uncum juxta manus sinistræ volam, (quam quoque acuta cuspis respiciet) usque ad digitorum extremitates caput prehendentes, ut uncus tutò in hanc aut illam partem inuncetur: & quoniam in hoc casu quidquid volumus, non possumus, velle debemus, quod possumus; sed si possibile sit, potius occiput erit unco attrahendum. Unco bene locato, dextrâ attrahatur ad se, & idem læva dirigatur: ast si pars inuncata abrumpatur, quod interdum fit, in alia iterum uncus est intrudendus; atque sic per rectam lineam caput foras eliminandum deinde ambabus manibus reliquum corpus est extrahendum. Si fieri posset, melius foret fœtum invertere, ut pedibus extrahatur.

Partes internæ, ab ossiculis pungentibus, unco, &c. si læsæ sint, fovendæ fomento, ex chærefolio, malva, floribus sambuci &c. ast quando curruptio aut putredo accedat, læsæ partes aquâ salsâ vel marinâ sunt fricandæ & fovendæ, & si gangræna prohiberi nequeat, applicetur continuo fomentum, ex aristolochiâ fabaceâ, absinthio, scordio, baccis lauri, vino optimo &c.

Ad Puerperii symptomata pertinet quoque FLUXUS LOCHIORUM IMMODICUS. Si secundinæ vi nimiâ aut celerrimo motu ab utero trahantur, vel si ab obstetrice uterus lædatur, sequitur non raro fluxus sanguinis immodicus. Ex viribus potissimum cognoscitur; ex vomitu, dolore hypochondriorum, tensione abdominis, pulsu debili; visus hebetudine; aurium tinnitu, convulsionibus & Lipothymiis. Intra septimum, octavum aut nonum diem Lochia cessare debent, vel nimis diu fluunt: accedunt hisce humores quidem aquosi & purulenti. Casus hic non sine periculo est: nam nisi maturè sistantur, in mortem non raro terminatur. Convulsiones & lipothymiæ cum sudore frigido, signa sunt lethalia.

Fluxus lochiorum immodicus.

Neque derepentè Lochia sunt sistenda, & quia saburram intus remanere non

oportet, blandè primo incedendum, nam quidquid vi agitur, in malum vertitur. Vinum, quod vocatur *Tint*, Corinthiacum videtur (quia passulas minores sapit) summum in hoc casu remedium est, roborans & sistens; deinceps ea præscribuntur, quæ de nimio mensium fluxu præscripsimus. Eo tempore ab acidis nimiis abstinendum. Si sanguis coagulatus remanserit per expellentia expelli debet, aut per Metrenchytam: & si vires tunc ferre possunt, bis terve cubiculum factis alternationibus perambulent, vel saltemt parumper erectæ stent, vel ex altâ sede sedeant, ut omnis saburra descendat; sed omni prudentiâ & circumspectione, præsertim Tyronibus Medicis hic opus est.

Fluxus lochiorum suppressus.

Cum de *Immodico fluxu* dixerimus etiam de LOCHIORUM SUPPRESSIONE sermo est habendus: quando post partum saburra non expellitur, exinde statim sequuntur febres, putredines, fœtor, inflammationes tumores &c.

Causæ sunt sanguinis crassities; subitanea osculi uteri constrictio; frigus susceptum; frigidi pedes; frigidorum alimentorum usus; Tristitia: Timor; Terror, &c. Signa cognosci possunt ex Horrore, frigore, febriculis, lipothymiis, dolore abdominis, lumborum & inguinum; tensione abdominis, facieirubore, ac oculorum perturbatione, spirandique incommoditate, &c. dimetienda. Omnia hæc non sine periculo sunt, quia & corruptiones & ipsa mors insequi potest.

Curatio etiam fit expellentibus & diureticis, uti dictum in menstruorum retentione. Alvus clysteribus laxanda; crura sunt fricanda. Pubi applicari possunt Medicamenta quædam hysterica ut & emolientia. Item Metrenchytæ, suffitus, pessaria prodesse possunt: ulterius curatio medicamentis menstrua pellentibus, ut & optimâ diætâ est perficienda.

Tormina post partum.

Puerperis aliquando superveniunt TORMINA quæ iis familiaria existunt, raro Medicus accersitur: quia puerperæ potius obediunt nutricum & obstetricum consilio. nisi dolores urgeant.

Causa esse potest à sanguine coagulato & retento, quo ob acrimoniam uterus roditur: vel quia uterus antea immensum usque expansus, nunc contrahitur; quâ de causâ intestina, Mesenterium, &c. iterum laxa pendent. Item colica passio, frigus contractum; flatus, &c. Itaque non sine periculo est, & non exiguam parit difficultatem. Ope cultri Anatomici innotuit, lochia per tubas Fallopianas in abdominis pelvim posse effundi, quando nimirum fœtus, sive capite, sive natibus uteri osculum in exitu obturavit: nam collecti humores sanguineo serosi qua data via facile sibi exitum parant. Hisce in pelvi remorantibus, oritur acrimonia, immanis Hypogastrii dolor, fœtor, febris, corporis emaciatio, mors.

Quomodo lochia in abdomen incidant.

Si quid in matrice contineatur, expellendum, eaque purganda. Medium corpus cingulo vinciendum, ne intestina, Mesenterium, &c. hinc & inde conjiciantur, meliusque ad invicem contineantur. Deinde ut omnia leniantur, oleum amygdalorum dulcium recens expressum detur cum vino rhenano. Calore clysmata non afficiunt. Fotus calefaciens, arena calida, Emplastra, linimenta externè applicari possunt. Cataplasma ex *Cepis*, *Sinapi*, *Aristolochia*,

tolochia, *Camomilla*, *Lauri baccis*, &c. penetrat non parum. Ut & fæces post cerevisiam coctam relictæ. Vel sequens Unguentum.

Recipe Olei Rutæ,
Anethi, *ana uncias duas.*
Lauri, *unciam unam.*
Sem. Sinapi tusi,
Zingiberis, *ana unciam semis.*
Misce.

Bibatur *semen dauci* & *sinapi cum Vino Rhenano* : vel vinum detur calidum cum vitellis ovi, cinamomo, macere, saccharo, &c. porro ea adhiberi possunt, quæ in colica passione præscripsimus.

Antequam mammæ debito modo lac fundunt, sæpe in FEBRICULAM incidunt, quæ LACTEA vocatur; ea ex malâ succorum dispositione, tertio aut quarto die post puerperium sese prodit.

Signa sunt febris, sitis, calor, jactatio corporis, dolor lumborum & circa scapulas, mammæ lacte implentur. Lochiis se ritè habentibus, tres aut quatuor dies perseverat; nam plerumque circa illud tempus cum sudore finitur. Si lac maturè non emulgetur, facile in grumos facessit, glandulas obstruit, oriuntur inflammationes, ulcerationes, cancer: aliquando in synochum, dictam vulgo putridam, mutatur. Mammarum glandulis lacte impletis atque expansis, sanguis inordinatè ibi movetur: hisce enim expansis glandulis vasa sanguifera necessariò comprimuntur, quâ de causâ sanguis liberum fluxum non habet; quo, ibi retardante, aliquomodo à priori statu descíscit; hic, quia sensim reliquo sanguini miscetur, ei malam dispositionem imprimit, unde febris cum asseclis symptomatis. Verum illâ mutatione in consuetudinem redactâ, elapsis paucis diebus spontè febris cessat. Accedit quoque mutatio, quod ab utero & placentâ materia nutritia non amplius sequestratur, & in mammis deponitur: ast quia semper accessus iste febrilis in omnibus non observatur, ideoque prædispositio febrilis in sanguine fuit.

Curatio paucis absolvitur, magni enim non est momenti. *Diæta* sit tenuis, seque à cibis pinguibus & acribus, salsis, acidis crudis &c. contineant: sumant quotidie lac, crocatum. Continuò mammæ sunt emulgendæ: & si lacte nimio turgeant emplastro miniato compesci aliquantulum potest: ast si non abundet, non opus erit.

FEBRIBUS puerperæ vexantur ACUTIS nonnunquam. Præter sanguinis incalescentias, (de quibus antea, cum de febribus sermo erat, agebam) accedunt hic LOCHIORUM FLUXUS SUPPRESSUS; sanguis coagulatus in uteri cavitate putrescens, secundinarum retentio & corruptio; diæta malè instituta: aëris nimium frigus; nimius motus & loquela; alvus astricta, ira, Tristitia, &c. uteri ab obstetricibus, secundinisve retentis, inficiuntur partes proxime adjacentes, & hoc modo non raro inflammantur; hisce positis præterfluens sanguis eadem quoque labe accenditur. In diætâ peccant, si cerevisia sit acida, aut nimium vetus & bonæ notæ: si caro aut juscula præ-

Lochiorum fluxus suppressus. Puerperarum febres acutæ.

præpinguia ſint: copia vini calidi, ovis & aromatibus ſaturati: acida &c. illa omnia nocent. Frigidus aër diaphoreſin nimiam compeſcit, unde, quidquid effluxurum, intus remanet, ſanguinemque contaminat, Sic motibus nimiis incaleſcit ſanguis, & febrem venturam invitat.

A communi febri acutâ *curatio* parum differt. Facile negligenda eſt venæſectio, niſi vires adſint & ſucci copioſi. Diæta ſit tenuis. Præſcribantur laxantia, ex *Manna*, *Caſſia fiſtula*, *prunis*, *paſſulis corinthiacis &c.* Pro potu coquantur *radices ſcorzoneræ*, cum *cornu cervino* & *citri corticibus*. Jure merito *crocus* exhibendus; & vigiliis moleſtantibus addatur nonnihil *opii præparati*. Sequens mixtura etiam ſit in uſu; ex. gr.

Recipe Spir. Pulegii,
Aquæ Artemiſiæ,
Meliſſæ,
Hyſtericæ, *ana uncias duas.*
Croci, *drachmam unam.*
Caſtorei, *ſcrupulum unum.*
Miſce fiat Mixtura.

Aliquando detur cochlear unum aut alterum, ſi Lochia aut ſecundinæ ritè non expulſæ, tunc incedendum ut ſupra inuimus: valent hic Bezoardica ſudorem blandè elicientia. Si adſint pleuritis, peripneumonia, potius ſudoriferis incedendum, quam ſanguinis effuſione.

Lactis defectus.

LACTIS aliquando DEFECTUS puerperis eſt familiaris, cum mammarum glandulæ nimis ſunt duræ, earumque ut & papillarum canaliculi admodum anguſti: quare lactis particulas recipere non poſſunt; vel quando nimium eſt craſſum, lentum, viſcidum, vel glandulæ ipſæ parvæ admodum, ſi chylus deficiat, aut fermentum ovariorum aut uteri vigorem non habeat. Ergo in curatione reſpicienda eſt diæta, in quem uſum Medicamina quædam præſcribi ſolent, ut quoad *Externa*, ex quibus fotus, cataplaſmata, Emplaſtra conficipoſſunt: ut

Radices *Althææ*, Folia *Anethi viridis*. Flores *Sambuci*, *Camomillæ*. *Lumbrici terreſtres*. Farina *Lini*. Semen *Sinapi* & *Paſtinacæ*. *Liliorum alborum* radices.

Interna, ſunt Radices *Paſtinacæ*, *Fœniculi*. Semen *Aniſi*, *Fœniculi*; *Carei*. *Amygdalæ*, *nux Indica cocos* dicta, *Nuces Pini*, *Piſtachia*, *Oriza*, *Hordeum*, *Uvæ Paſſæ*, *Chærefolium*; *Chocolata*, *Thea*, *Coffea*, *Vinum dulce*, *Cerevisia recens dulcis*. *Lac*; *Ova ſorbilia*; *Glandulæ animalium*, & omnia Polygala & Polytropha. Ex Hiſce Variæ reſultant præparationes & formulæ ut ſi detur quotidie ſequens pulvis.

Recipe Sem. Fœniculi,
Aniſi, *ana unciam ſemis.*
Styracis Calamitæ, *drachmas duas.*

Balſami

Balſami Peruviani, *guttas ſex.*
Miſce fiat pulvis. Doſis ad drachmam.

Sic *Semen aniſi & fœniculi* coquantur cum *lacte dulci*, quamvis à nonnullis *ebutyratum* præfertur, bonum quidem, modo recens, alias infanti nocuum. Aliæ ſumunt nonnihil *ſpiritus vini aniſati*. Externè mammæ blanditer fricari debent; vel ſequens adhibeatur Cataplaſma, ex *farinæ lini*, *ſeminis ſinapi* & *paſtinacæ*, & *olei liliorum alborum* ana unciis duabus, &c.

Non raro quoque LAC REDUNDAT, ideoque *cauſæ* contrariæ eſſe debent, ac ſtatim de defectu dictum. Sic etiam erit *Curatio* priori contraria, ut & *Diæta*, quam longè tenuiorem eſſe oportet. Raſuram plumbi aut ſtanni mulierculæ, præſcribunt aliquoties datam. Externè *Emplaſtrum de Cumino* aut *de Minio* applicant. Etiam, ne concreſcat Lac, debito tempore emulgendum, alias inflammationes, ulcerationes, cancri &c. non raro expectantur. *Unguentum de Althæa* cum *ſpermate ceti* hic convenit. Lactis redundantia.

LAC aliquando DEPRAVATUR, cum peccat colore, ſapore craſſitie, &c. Lactis materia conſtare debet ex colore albo & ſubcæruleo, Ergo, color albus, cæruleus aut flavus nimium intenſus, peccat. Sapor debet eſſe dulcis, non ſalſus, amarus, rancidus, acidus, aut alterius alieni ſaporis. Conſiſtentia ſit mediocris, non ſuperans ordinariam craſſitiem aut tenuitatem. Lac depravatum.

Cæruleus nimium ſi fuerit ſaturus, ex nigro & livido ſanguine originem traxit, talis enim ſanguis facile chylum ejuſmodi colore inficit. Sic *nimium albus*, venit à nimiâ viſciditate, cruditate non ſatis digeſta. *Flavedinis* cauſa eſt, ſi in ſanguine pituita flava abundat, quæ ſalſas particulas adjunctas habet, tuncque chylus tincturam flavam induit, quod præſertim in ictericis fit, ſi ab obſtructo hepate, bilis non ſeparetur, atque ſic amarore Lac inficitur. *Salſedo* venit ob diætam ſalſam, quando, ſalſa non ſeparantur à pancreate, defectu aliquando potus. Non ſeparata bile amaror lacti imprimitur; vel à ſucco pancreatico & inſtinali non ſatis temperatur, & tunc bilis una cum chylo aſcendit. *Rancíditas* à materia ſcorbuticâ ſulphureoſalinâ ortum habet: vel cum uſæ ſunt cibis rancidis, anatibus, anſeribus &c. *acor*, à cibis aut potibus acidis eſt, nimiâ copiâ ſumptis; vel quando lac in mammis nimis diu moratur, tunc enim acorem contrahit, & facile in caſeum faceſcit. *Nimia craſſities* originem ſumit quidem in ſuccis per totum corpus refrigeratis; aut à nimia veſtium aut ſtragulorum parcimoniâ, tunc enim chylo admiſcetur lympha præter modum craſſa; item potus penuria; aut cibus plus æquo glutinoſus, ut ſunt pedes plurimorum quadrupedum vel glandulæ nimis duræ ſunt, ut ſatis chyli ſecerni nequeat: vel tenuis liquor ſcitò nimis per renes præcipitatur. *Tenuitate* ſi peccat, à potus copioſâ ingurgitatione venit, præſertim tenui; vel ob tubulos mammarum plus ſatis laxos, tunc enim craſſæ non tantum particulæ, ſed & tenues facile admittuntur.

Quidquid peccat eſt corrigendum, & victus ratio non eſt neglectui habenda. Si color ſit flavus aut cæruleus, ea adhibenda, quibus ejusmodi ſanguis corrigitur Succi nigri temperantur *Tartaro vitriolato*, *ſpiritibus* & *Salibus volatilibus*, *Martialibus*, *petroſis* &c. Temperatur & ſeparatur bilis *Martis Vitriolo*. Albus color, *pituitam incidentibus*, eſt corrigendus, quibus adſint aromata cum ſalibus volatilibus: iisdem quoque Amarities abigitur: *Hydragogis diureticis*, ut potu Theæ, Salſedo eſt eluenda. Craſſities attenuatur potu, præſertim ſi adſint ſalia volatilia aromatica. Nimia tenuitas cibis polytrophis, & potus abſtrinentiâ corrigitur.

XII. CAPUT.

DE MORBIS CEREBRI, NEMPE DE SOMNOLENTIA CONTINUA, CEPHALALGIA, COMATE, CARO, LETHARGO, APOPLEXIA, COMATE VIGILI, PERVIGILIO, CATOCHO SEU CATALEPSI, INCUBO, NOCTAMBULONIBUS, VERTIGINE; PARALYSI, EPILEPSIA, MEMORIA LÆSA, MELANCHOLIA, MANIA, RABIE HYDROPHOBICA, CEREBRI INFLAMMATIONE &c.

Cephalalgia. CEPHALALGIA; ſeu CAPITIS DOLOR aut potius CEREBRI, eſt quædam doloroſa ſenſatio in Capitis partibus nervoſis, membranoſis: Inter illas recenſentur *Pericranium*, *utræque meninges*, *membranæ*, *nervi*, &c. Extra cranium iterum eſt vel intra: *univerſalis* iterum eſt per totum caput, aut *particularis*, ut in *Hemicraniâ*, in quâ dimidium capitis tantum dolore afficitur, atque ſic pro diverſo particulari loco diverſa quoque Antiquitas dedit nomina, ut *clavus*; *ovum* &c. quidam diſtinctionem faciunt, dicentes *Cephaleam* eſſe dolorem inveteratum & habitualem, integrum caput, ejuſve maximam quaſi partem diſcerpantem: ſed *Cephalalgiam* capitis etiam quidem eſſe dolorem, ſed recentionem. Porro ob partes cum aliis conjunctas, *per Sympathiam* dicitur, ut à morbis ventriculi, lienis, hepatis, Matricis &c. aſt ſi cauſa in ipſo cerebro fuerit, *per Idiopathiam* appellatur, dolor quoque eſt acutus, pungens, lancinans, cum caloris aut frigoris ſenſu, continuus, intermittens, recens, inveteratus, hæreditarius &c.

Hemicrania.

Cauſæ Externæ ſunt frigus conceptum; victus ratio inordinata, animi pathemata effuſa, crapula, vulnera, contuſiones, inflammationes, abſceſſus, Tubera, Scirrhi, cerebri gravitas. Sed *internæ* conſiſtunt in malâ ſanguinis & reliquorum ſuccorum diſpoſitione, quâ obſtructiones, ſalſedines rodentes, aciditates, acrimoniæque facile per univerſum cerebrum, aut in aliquo particulari loco cuduntur: & Talis dolor in febribus quibusdam obſervatur, qui aliquando intolerabilis eſt. Sanguinis ſuccorrumque omnium craſſities, de quacunque causâ orta, ſæpe canales cerebri aut membra-

branarum minimos subire non possunt, hinc sæpe mora, vasculorum dilatatio, membranæ expanduntur, ac fibræ nervosæ discerpuntur, unde dolores ac partium corrugationes. Si in ipsis arteriolarum extremitatibus sanguis subsistat, dolorem tunc comitatur pulsus: verum in ipsis partibus membranosis, nervosisve, statim acescunt, quia in quiete sunt, unde dolor cum frigore sentitur, præsertim si acidum adjunctam habet visciditatem: ast materiâ fluorem nactâ, omnes canaliculi, ob mobilitatem acidi, corroduntur & inciduntur; ac tandem liquor effunditur & sic dolor producitur pungens & continuus: & prout per totum cerebrum vel per dimidium. aut minores partes dispergitur, varia concinnantur nomina, quæ nullius usus sunt. Aciditatibus hisce alibi extravasatis, circum sese partes sale volatili plenas reperiunt, quibuscum effervescunt, hinc inflammationes, exulcerationes, tophi & calculi; qui generantur, ut si vitrioli spiritus cum liquore salis tartari jungatur, in fundo, effervescentiâ peractâ, materia calculosa & tophacea relinquitur. Ast si pituita admixta sit, in materiâ facile putrescente vermes nascuntur. Ast si canaliculi necdum sint rupti, sed solummodo obstructi, oritur tumor; si vero in caseum vertantur scirrhosi oriuntur obstructiones.

Si dolor sit externus, tunc pressionem non patitur, neque capilli sinunt se inverti; ast si internus, pressione linteamentorum, aut manus potius levatur. Æquè dolores externi quam interni ad oculorum radices pertingunt, oculorum enim orbita à pericranio investitur, quod cum meninge externâ communionem habet. Si causa sit interna ab humoribus collectis, propensio ad somnum est; à meningum exulceratione, atrocissimus est dolor, præsertim si rosio adsit. A vermibus parit sæpe dolorem perforantem & pungitivum: sed hæc signa potius verisimilitudines sunt quam veritates.

Dolores capitis recenter oborti non admodum metuendi sunt, nisi illis sine febre accedat tenebricosa vertigo, tarditas vocis, manuum stupor: & tum vel Apoplexiam, vel Epilepsiam vel lethargum oportet expectare: idque vel ob spirituum tenacitatem & tardiorem motum, unde sopores; vel ob acres particulas spiritibus admixtas, unde motus convulsivi, & Epileptici. Inveterati quoque capitis dolores minus periculosi, quam aliarum partium, nempe cordis, hepatis, pulmonum &c. Si tamen pluribus annis, non semper eodem loco fixi perdurent, cœcitatem minantur: nam materia morbifica æquè nervos opticos; eorumque origines invadere potest, quam alias partes. Quibus vero, vel pus vel aqua, vel sanguis per nares, os, aut aures effluit, iis mobrus non raro solvitur: nam materia morbifica tunc exantlatur. Quibus sanis dolores subitò fiunt in capite, si ilico obmutescunt & stertunt; intra septem dies moriuntur, nisi febris supervenerit. Cujus causa est subita spirituum animalium eclipsis, à materiâ viscidâ, unde incipiens Apoplexia & universalis paralysis, qua cordis motus cessat. Sed superveniente febri omnes succi commoventur, à levi nervorum cordis motu convulsivo, ut & cerebri, hoc enim modo succi in cerebro morantes loco discutiuntur. Obmutescentia, stertor &c. Signa sunt incipientis paralysios, à crapullâ, insolatione, menstruis retentis, potu spirituosiore &c. minus periculi habent.

Curatio aliquando citius, aliquando tardius peragitur, sæpe enim radices

 altas

altas nimium egit. Si morbus sit hæreditarius, raro aut nunquam plenam curam admittit, quia canaliculi talem habent dispositionem, ut particulas heterogeneas admittant; verum causa maximâ ex parte in ipsis succis latet, nam infantes aliquando nati ex parentibus lue venereâ infectis: vel quia eandem, uti parentes, malam victus rationem sequuntur. Cephalalgia inveterata, præsertim cum scirrho, plegmone, Erysipelate, abscessu, vermibus &c. insequantur, periculum valedictionis est timendum.

Si ex crassis veniat succis attenuandum est; si ex viscidis incidendum; ex acidis temperandum, nam particularium partium morbi, semper dependent à correctione totius generalis massæ. Inter *cephalica* vulgo dicta, recensentur plerumque volatilia oleosa, ut

Radices *Chinæ*, *Cyperi*, *Galangæ*. Cortices *cinamomi*, *Guajaci*, *Macis*, Lignum *Aloes*, *Santalum citrinum*, *Sassaphras*, *Guajacum*. Folia & Herbæ *Betonicæ*, *Majoranæ*, *Origani*, *Rorismarini*, *Rutæ*, *salviæ*, *Thymi*. Flores *Caryophyllei*, *Croci*, *Lavendulæ*, *Liliorum convallium*, *Schænanthi*. Semen *Amomi*, *Cardamomi minoris*, *Carei*, *Coriandri*, *Dauci*, *Granorum Paradysi*, *Sinapios*. Fructus *Caryophyllorum*. *Balsamum peruvianum*, *Caphora*. *Castoreum*. *Spiritus salis armoniaci aromatici*, *Cornu cervi*, &c. Sunt qui acido pleni sunt, & illi volatilia oleosa ferre non possunt: tunc potius descendendum ad temperantia terrea, cujus descriptionem in *Institutionibus meis* & alibi invenies: nam si semper in ejusmodi corporibus calefacientibus incedas, oleum & operam luderes, quia propter sanguinis, versus cerebrum, majorem protrusionem, dolor post haustum vini augetur, & tota facies calore & rubore suffunditur. Ast si pituita peccat, oleosis volatilibus incidendum, quia sanguinem habent minus meabilem.

In dolore intollerabili temporibus applicantur Emplastra ex *oxycroceo* & *opio*, vel ex *Mastiche*, aut *carannâ*; capiti etiam linteum admovetur *spiritui vini caphorati* intinctum adhibeatur: naribus *spiritus salis armoniaci*, tunc subitò aliquando evanescit. Vel naribus inspiro *spititum vini caphoratum* aut *spiritum rorismarini*, aut tirundæ instar, *betonicæ folia viridia*, digitisque contrita immittantur; item *tabaci folia*. Hisce convelluntur partes narium membranosæ & nervosæ & per consequens etiam cerebri, atque hoc modo succi peccantes exprimuntur. Detur interim pulvis ex *oculis cancri*, *caphora* & *opio*, Sic etiam *purgantia*, non respondente alvo, præscribi possunt: quotidianus usus sit dosis pilularum ex *Gummi Ammoniaco*, cum *Aloë* & *Oculis cancri*, aut *Vitriolo Martis*. Dolor si quotidie perseveret, coquantur decocta ex *Ligno Sassaphras*, *Guajaci*, *Salviâ*, *Roremarino* &c. vel ex *China* & *Salsa parilla*. Similes potus in quotidiano habeantur usu.

Neque hic sudorifera sunt negligenda, præsertim si sudatio instituatur per spiritum vini. Imo ipsum caput, derasis capillis foveri potest herbis penetrantibus in vino, aliove quore liquore natâ, coctis. Capiti quoque *cucupham* imponunt, ex *Mastiche*, *Caryophyllis*, *Majoranâ*, *Floribus Lavendulæ*, &c. Aut *Masticatorium*, salivæ eliciendæ gratiâ, masticatur ex *Mastiche*, *semine Staphidis agriæ*, *Pyrethro*, &c. cum *cerâ*: salivando enim plurimi humores fœtidi emulgentur. Cervici etiam *Vesicatoria* applicare solent; continent enim Cantharides

tharides multum penetrantis salis, quo corrigitur. Quemadmodum *Sudoriferis* plurimum acidi exhalatur, sic *Antiscorbuticis* & *diureticis* idem non minus expellitur: pro formulis sequentia præscribito.

Recipe Magisterii chalybis, *drachmas duas.*
Ocul. cancri, *drachmas tres.*
Caryophyllorum, *Numero decem.*
Elixiris proprietatis, *drachmam unam.*
Sacchari, albi, *uncias tres.*
Spir. Cochleariæ, *quantum sufficit.*
Misce fiant Tabellæ.
Dosis ad drachmas duas. vel

Recipie Caphoræ,
Oculorum Cancri, *ana drachmam unam.*
Flor. Salis armoniaci, *grana sex.*
Cinnabaris nativæ, *grana duodecim.*
Misce fiant pulveres duo. vel,

Cape Aquæ Fœniculi,
Vitæ Matthioli, *ana uncias duas & semis*
Spir. Cornu cervi, *Guttas duas.*
Coralli, Testarum, *ana drachmas duas.*
Misce detur Cochleatim. vel.

Pulverisia Millepedum, *scrupulos duos.*
Divide in partes duas.

Quidam in continius usi fuerunt *actuali cauterio* aut *trepano.* Alii *salivationem* feliciter instituunt, præsertim si nonnihil ex lue venerea laborant. Quidam absolvuntur usu *Theæ*, *coffeæ*, &c. plurimi arteriis apponunt quædam balsamicæ: ut.

Recipe Terræ sigillatæ,
Mastichis,
Thuris, *ana unciam unam.*
Spir. Matricalis, *quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum. Vel quod fortius.

Accipe Sanguins draconis,
Boli Armenæ, *ana unciam unam.*
Terræ sigillatæ, *unciam semis.*
Albuminis ovorum, *quantum sufficit.*
Misce. vel quod adhuc fortius.

Recipe Sinapi,
Saponis *ana drachmam unam.*
Spir. Salis Armoniaci, *guttas sex.*
Caphoræ, *scrupulum unum.*
Misce fiat Emplastrum.

Imponuntur nervis & arteriis, ubi dolor sentitur. Supplantalia etiam conficiuntur ex *fermento acido*, *sapone nigro*, *sinapi*, &c. quæ pedum plantis applicantur & aliquando cervici. Quorum ope sanguinis cursus celerior versus caput avertitur: hinc solamen. Si symptoma febrium sit, quod rarum non est, eodem modo ferè procedendum, Alii summo perè laudant phlebotomiam, quam in intolerabili dolore quidem non respuo, sed quia causam non tollit, ideo potius causæ sunt amovendæ, alias in sanguinolentis, planè recusanda non est.

Olim putabant Cephalalgiam aliquando ortum habuisse ex suturis Cranii nimium laxis, ideoque fasciis frontem, & occiput conabantur unire, quod novi in Amitâ meâ *Elisabetha Celosse* tempore juventutis factitatum, sed incassum. Sed quare infantes & recens nati non sunt ejusmodi capitis doloribus obnoxii, in quibus futurarum hiatus & diductio manifestum est? & cur Trepano nonnulli sanantur.

Trepani usus etiam convenire potest, uti ex Epistola, & testimonio liquet, quæ recitatur, ubi de Vertigine ago.

Juvenis studiosus per tredecim vel quatuordecim dies immani capitis dolore continuò afflictus, tandem post febrem auctam, vigilias, motus convulsivos & fabulationes deliras, obiit.

à Cephalalgiâ demortui capitis anatome.

CRanio aperto, vasa sanguifera, meninges perreptantia, mirum in modum, sanguine turgebant, adeo ut, sinubus dissectis, ferè ad uncias octo effluxerat. Ipsæ meninges discolores ac inflammatæ apparebant. Cerebrum ipsum intra gyros & anfractus aquâ limpidâ madidum: ventriculi eodem liquore turgebant. Cerebri substantia admodum mollis erat.

Succi nutritii meninges, & cerebrum irrorantes, à causâ qualibet præcedente, sive ab acido nimio, sive frigore externo, inspissati, canaliculos, eas partes perreptentes, liberè pertransire nequibant, unde obstructio: ex obstructione inflammatio; hinc sanguinis cursus aliquomodo impeditus, vascula sanguinea immensum distendebant.

Sed regerit fortè quispiam, quare sinus sese exantlari nequeant, cum à principio angusto incipiant, cruorque inde in multo ampliores ductus currat, contrario modo ac in arteriis?

Respondeo; istos sinus sanguinem recurrentem versus jugulares venas, cum cranii mœnia relinquant, ab humore lymphatico adeo exterius premi

ac

ac angustari, ut liber descensus sanguini denegetur, plusque sanguinis per carotides advehatur quam remeare per jugulares possit.

Porro lympidus iste liquor procul omni dubio ex ruptis lymphaticis effusus fuit, unde & cerebri moles minus firma & madida evasit. Ubi enim obstructiones, ibi vascula lymphatica sæpissimè vel nimis distenduntur, vel rumpuntur. Liquor iste extravasatus & acidus factus corrosit membranas τῦ ἐγκεφάλυ, unde *Dolor capitis* gravissimus.

Sanguis cæterique succi intra cerebrum retardantes, incaluere; hoc est, particulæ acidæ & alcalicæ quibus sanguis abundabat, à subtili materia invicem in actum suscitabantur; quod, sanguine celeriter currente, non ita sit, saltem non animadvertitur à nobis: calor iste à nobis vocatur *Febris*: quæ tandem, accrescente tumore phlegmonide, magis exacerbabatur, quia sanguini ex cerebro descendenti minor exitus concedebatur: exinde facile colligimus, quo sanguis magis retardetur, eo major particularum acidarum cum alcalicis lis.

Vigiliæ causabantur non tantum ex dolore intolerabili, sed fibrillæ ipsius cerebri ab humore isto lymphatico irritabantur, unde in ipsa cerebri substantia, minores quasi convulsiones concitatæ; hinc nulla quies.

Dum de auctis hisce convulsionibus. sensibiles motus in genere nervoso oriebantur: ab eadem etiam causa fabulationes deliræ dependent. Nam propter convulsiones cerebri, ideæ malè repræsentantur, pessimeque judicantur & proferuntur.

Virgo cephalæa immani afflicta, inter medios cruciatus multum humoris flavi & tenuis naribus effluebat: supremâ hyeme, excretione denegatâ, capite pejus habuit, in motus convulsivos cum stupore incidit, quæ ante tertium diem Apoplectica vitam deposuit.

CErebro post mortem inspecto, humor flavus totam τῦ ἐγκεφάλυ regionem latice flavo inundaverat.

Virgines & mulierculæ si juventutis tempore multa acetaria & acida ingurgitaverint, sæpe cum adoleverint, in inmanes capitis dolores incidunt. Illa enim, ut crebro dixi, humores inspissant, adeo ut circulationi inepti sint: hinc obstructio, quæ in hac ægra cerebri regionem occupavit. Vascula lymphatica certè ruperunt; qui humor infundibulum pertransire nesciens, in cerebri cavitabus stagnavit, adeo ut per nares exitum quæsivit. Postea vero nimium Crassescere incipiens, per nares exitus denegatus fuit: hinc intra cerebri mœnia morari coactus, adeo corrosivus evasit, ut convulsiones pareret: cerebri fibris, hisce convulsionibus, ruptis, major lymphæ quantitas exprimi debuit, quæ cerebrum ita premit & obruit, ut apoplectica interiit. Apoplexia enim nihil aliud est, quam cerebri paralysis sive ab obstructione intus facta, sive à pressura rei alicujus externæ.

Quinquagenaria per semiannum fermè immani cephalalgia sub sutura sagittali continuo fere torquebatur: ea denique in lethargum cum partiali membrorum resolutione incidit: à curatione tamen per convenientia adhibita, multo pejus quàm prius cephalalgia atroci experta est; post tres fere hebdomadas apoplectica obiit.

Cephalalgia continua & inveterata in Lethargum transiens.

CAlvaria dissecta è latere sinus tertii, tumor scirrhosus tres digitos latus membranis accreverat, cujus interventu & crassa meninx aliquanto spatio tenui accreverat, & vasa sanguifera, quæ illic in sinum dehiscere debuerunt, constipabantur. Cerebrum tam extus quam intus lympha madidum.

Ex præcedenti inflammatione dolor primo & deinde scirrhus factus, qui compressione sua sinum tertium adeo angustum reddidit, ut sanguis ex cerebro in illum transire non potuerit: hinc cerebri paralysis, quæ apoplexia dicitur.

Quidam post diuturnam Hemicraniam, sub sutura squammosa, per tres hebdomadas cum assiduo & vehementer molestantem, apoplecticus moritur.

à Meningum abscessu Capitis dolor.

ELevato cranio, inflammatio locum dolentem occupaverat, unde suppuratio, ex qua sanies in cerebrum decidens, substantiam ejus livore & putredine infecerat.

Humores alibi restitantes, corrumpuntur, acoremque cum fætore contrahunt. Sic in hoc ægro, meningibus ab istiusmodi humore vellicatis ac corruptis, pus effusum, cerebri canaliculos ita compressit ut in altera parte nulli succi cerebrales segregari non potuerunt; ex quorum defectu torpor, & deinde mors.

Studiosus cum per quatuordecem dies de intolerabili cephalalgia, ipsum continuo vexante, molestatus fuisset, denique febre vehementiore, statim vigiliæ, convulsiones, & confabulationes deliræ insequebantur. Medicamentis nihil proficientibus, è vita excessit.

Ab inflammatione meningum cephalalgia.

ELevato cranio, vascula meninges perlustrantia fuerunt cruore turgida, & distenta, imo è sinibus dissectis septuncis mensura sanguinis fere effluxit. Meninges non tantum discolores, sed inflammatæ. Cerebrum, ejusque cavitates humore limpido turgebant.

Si meninges ab acri humore vellicantur, dolor, & convulsio. Cerebri fibris seu canaliculis etiam irritatis, vigiliæ & delirium. Eundem ferè casum, obser-

observatione tertia invenies, ubi lector quoque latiorem explicationem invenit.

De Somnolentia continua, comate, Lethargo, Caro &, Apoplexia.

SOMNOLENTIA CONTINUA morbus est, in quo ægri in soporem continuò labuntur. COMA, est sopor inordinatus, in quo ægri excitati, ilico alto sopore iterum obruuntur.

LETHARGUS, est etiam sopor modum superans, sed cum febri & delirio.

CARUS, major soporis gradus, in quo ægri vellicati, concussi, altâ voce allocuti, vix sentationis signa præbent, sine febri.

APOPLEXIA altissimus soporis inordinati gradus est, in quâ ægri præter modum agitati, concussi, acclamati &c. nulla sensationis signa edunt, sæpe cum respirandi difficultate, ac alto stertore. Morbi illi omnes gradibus inter sese differunt, nam *Apoplexia* altissimus, ad cujus curationem, cæteri gradus sunt dirigendi.

De *caussis* hic nihil dicam, cum satis superque in *Institutionibus* reperiuntur. *Continua Somnolentia* & *Coma* quidem in *Carum* mutantur, Apoplexiam & Paralysin, quia gradus minor poterat fieri deterior: *Lethargus*, *Carus* & *Apoplexia* semper cum maximo periculo sunt, præcipuè si stertor adveniat. In omnibus Apoplecticis, quantum mihi observare licuit, pulsus in morbi principio plenus est & fortis: sed perseverante aliquot horas morbo, reperi impeditum, intermittentem & inæqualem. Pessimi ominis est, si præter motus voluntarii destructionem, etiam pulsus & respiratio aut deficiunt aut laboriosè peraguntur, & tunc plerumque cum spumâ oris & ronchis contingit: porro si mortui videantur, non nisi post quintum diem sunt sepulturæ destinandi, quia exempla sunt reviviscentium: exemplum habeo in Aviâ meâ *Anna Heemskerk*, quæ cum olim pestis Leidæ regnabat, sese in capulo inverterat.

Mortua judicata se movet in capulo.

Materia per ductus nervosos in medullam spinalem descente, *Paralysis* producitur. Succis, in senibus, viscidioribus redditis, & deficientibus viribus, iis majus periculum imminet, quam junioribus Si *Lethargus* à cerebri apostemate veniat (cujus pus à circulo sanguinis ad pulmones vegitur) & ægri Empyi fiant, hoc est pus exspuant, bonum est. Pus enim in cerebri ventriculis effusum per choanam ad glandulam pituitariam, quod tunc per vasa lymphatica in venas sanguineas effunditur, atque tunc cum reliquo sanguine ad pulmones pervenit, vesiculasque minimas obstruit, atque sic tandem vel in tracheales canales intrat; aut foras effunditur in thoracis cavitatem, & hoc modo *Empyema* producitur ab ulcere cerebri. Morbus raro ad septimum extenditur, sed moriuntur, nisi adveniat febris, tunc enim pituita ob calorem nimium attenuari potest. Si sudor frigidus superveniat, signum est non boni ominis.

Si febris adsit mali moris, Lethargus non per se, sed à malignitate, periculosus censendus. In debilibus & ætate provertis, satis cum periculo est: idem æstimandum ab animalium ictibus venenatis, aliisque venenis assumptis. Tremor Lethargo superveniens, quia Tremor, species est convulsionis,

nis, quia febribus per somnos malum portendit. Post assumpta narcotica; in ebrietate & post crapulam, ab ictu, casu, terrore &c. sæpe restituitur. Pericula non vacat *Carus* si puerperium aut febrium malignam consequatur: aut morbis cephalicis, cerebrique vulneribus superveniant. Spasmi quoque nihil boni portendunt. In *Comate Somnolento*, eventus est dubius. Continuò meditantus, tristibus, &c. mansa minatur.

Primo paroxysmus, quantum fieri potest, est propulsandus: eo deinde propulso, causa, ne redeat, est subjuganda. Primo æger lecto calido reponatur: deinde *spiritus salis armoniaci cum calce viva destillatus*, naribus est admovendus, si sensationis signa edit; spes affulget; si nulla, actum est. Nihilominus tamen quandiu quis in vivis est, omnis labor est adhibendus. Ejus quaque loco *Sternutatoria* fiant ex *Tabaco*, *Helleboro albo*, *Pyretro*, *Pipere*: vel serâ porcinâ fiat in in naribus pruritus & titillatio; oculis admoveatur radix raphani rusticani aut cepa dissectæ. Huc etiam titillatio & frictio sub axillis usui esse possunt. Licebit *Vomitorium* dare, aut purforté, ut motu stomachi cerebrum per nervorom & membranarum communicationem, humores fixi fluorem acquirant. Et ut spirituum fluor magis procuretur, Medullæ spinalis locus fricetur. Quidam supra cranium cauterium amant, quod non est negandum, quia vis ignis non parum penetrat, & hoc modo canaliculi contrahuntur, qua materia obstruens protruditur. Enemata calidè injiciantur, atque bis terve repetantur, cujus calore non tantum fæces emolliuntur, sed calor totum systema nervosum & membranosum afficit. Mos est ut vena secetur, quod ita fit, quia mos est, sed tanti non est, nam deficiente sanguine, deficiunt quoque vires, quibus depromptis, obstructio remanet. Quidquid clamosa turba in modum Archytæ crepitaculi (Ἀρχύτυ πλαταγῆς.) ad raucedinem usque crepitare solet.

Testatur *Celsus* quod sanguinis detractio in Apoplexia vel occidit vel liberat, aliud vero curationis genus vix unquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat. *Et*, si post sanguinis missionem non redeat & motus & mens, nihil spei superesse; si redeat, sanitatem quoque respici.

Intus quædam spirituosa & volatilia dari debent: ut

Recipe Aquæ Antepilepticæ, *uncias duas*.
Melissæ, *uncias tres*.
Castorei, *grana decem*.
Spiritus Salis Armoniaci, *guttas octo*.
Oculorum Cancri, *drachmam unam & semis*.
Misce.

Extra Paroxysmum sequentia quotidie sumantur. ut

Recipe Spir. cornu cervi rectif. *uncias duas*.

Tinct.

Tinct. Croci,
Castorei *ana drachmam unam.*
Misce.
Detur gutatim bis vel ter de die in vehiculo convenienti. Vel.

Extra paroxysmum sequentia quotidie sumantur. ut

Rec. Rad. Angelicæ,
Zedoariæ, *ana drachmas tres.*
Fol. Rutæ,
Salviæ, *ana manipulum semis.*
Diptamni creti,
Cort. Citri,
Cardamoni minoris.
Cinamomi,
Caryophyllorum, *ana sesqui drachmam.*
Vini albi, *libras quatuor.*
Fiat Vinum Medicatum.
Dosis sit ad uncias tres.

1676. Hic Amstelodami habitabat in plateâ *den Nieuwendyk Anna van Souburg*, illa erat deses, tarda, facie pallida, tristis, ad dormiendum prona &c. in comam incidit, idque non subito, sed à longo tempore: vomitorium præscripsi, multa evomuit pituitosa: sed postea iterum in somnum continuum incidit. Præscripsi Enema ex cerevisia dulci cum sale cornu cervi, & non sine effectu: multum deposuit, & sommi perpetui oblita fuit: sed interim jussi quotidie cum vino sumeret sal cornu cervi, aut sal volatile oleosum, ut se magis ad laborem & exercitia conferret.

Mercator quidam *Hermanus van Hulst* casu cecidit cum capite in januam, sine læsione partium externarum: quæritur tamen de dolore, & de somnolentiâ continuâ, idque per aliquot dies, tandem cogebatur decumbere: excitabatur continua allocutione, odore spiritus urinæ; nuchæ applicatum vesicatorium, supplantalia applicata; purgavit κάτω. Haustum cardiacum cum sale cornu cervi sumpsit. Enemata ex decocto Hellebori albi, & aliquando tabaci cum spiritu cornu cervini sumpsit, & evasit, sanusque vixit, sed cum aliquali sensuum internarum læsione.

Nobilissimus *Geurt van Beuningen*, matutino tempore psittaco Amygdalum daturus subitò cecidit in terram: frictiones admotæ, spiritus salis armoniaci nares litæ, venesectio administrata, clysteres injecti, omnia frustra, brevi post meridiem stertere incipiebat, & fatis cessit somnolentia continua.

Quidam CONTINUA laborant SOMNOLENTIA senex obiit. Somnolentia Continua.

Senex obesus, collo brevi & toroso, diu invaletudinarius, vitamque sedentariam agens, cacochymiam valde scorbuticam contraxerat; respiratione difficili, & anhelosa, cum capitis gravitate, & torpore insolito affectus: post aliquot tempus matituno tempore derepente perculsus, & mox ἄφωνος & insensilis factus, in humum concidit, & illico sublatus.

IN cerebro, Vasa meninges irrigantia, sanguine mediocriter repleta, absque ulla phlogosi, aut extravasatione: omnes τῦ ἐγκεφάλε partes ab omni culpa immunes videbantur.

In thorace pulmones discolores & spuma per totum infarcti.

Credendum est sanguinem in hoc sene ita fuisse viscidum, ut obstructiones paruerit, easque in cerebri glandulosa mole: hinc primo pauci succi sequestrati, unde non tantum capitis torpor productus, sed ex defectu, nervi respiratorii non irrigati sunt, adeo ut fungi officio suo pulmones nequivere: non mirum, nostrum senem fuisse anhelosum, dyspnæaque laborantem.

Solvere Apoplexiam vehementem impossibile quidem, levem vero non facile; quia apoplexia nihil aliud est, quam cerebri paralysis, hoc est glandularum cerebri, ejusque meatuum vel obstructio, ut hic, vel compressio, quemadmodum in præcedenti observatione videre est. Morbus hic senibus familiaris, fitque maxime à quadragesimo anno ad sexagesimum & ulterius: nam ob defectum salis volatilis, humores viscidi fiunt, à quibus tenuiores succi in cerebro amplius sequestrari non possunt, unde & cor & totum per consequens corpus collabascit & concidit.

Pervigilium.

Sequitur nunc PERVIGILIUM, quod est, quando quis noctu dieque somnum inire nequit, cum innumeris, & aliquando, phantasmatibus. *Causas* vide in *Institutionibus*. *Pervigilium* diu durare non potest, viribus enim consumptis, deficiunt corporis functiones, hinc convulsiones & mors: motus enim convulsivi non tantum intra cerebri mœnia manent, sed per manipulos ipsum totum nervosum systema adeunt, omniaque membra subeunt. *Remedia* hic itaque sunt adhibenda, quæ acres particulas subjugant, eque corpore pellunt, ut sunt *Temperantia*, & *Opiata blanda.* Porro curantur ut in *Phrenitide* dicetur.

Catalepsis, seu catochus.

Quamvis CATALEPSIS sive CATOCHUS non pertineat proprie ad morbos soporiferos, nihilominus, quia cerebri muniis impeditis accensetur, illum hic enodabo. Est omnium functionum & motus arbitrarii, abolitio, in quo tamen respiratio manet superstes, & ægri eundem corporis, aliarumque actionum servat situm, ac cum primum eo morbo obruebantur. Sani in templo vel inter studendum, præsertim cum attenti sunt & meditabundi derepentè hoc affectu opprimuntur: si protrudantur, gradum unum aut alterum progrediuntur; si elevetur brachium, illud in hoc statu retinent: si oculi sint aperti, illos ita servant, ac si viderent.

Causa difficulter explicari potest. Certum est, quia membra eundem statum servant ac in sano, affluxum esse è cerebro & medullâ spinali spirituum a-

animalium superstitem; dico affluxum, quia semper plurimi, per diaphoresin spiritus consumuntur; nam si contrarium sit verum, membra flaccesserent. Viæ itaque spirituum animalium, quæ procedunt ad membra in priorem statum servandæ, satis videntur apertæ: ast illæ, per quas sensuum motus ad animæ sedem procedunt, inter eruditos adhuc lis est. Dicimus itaque ibi debere esse sedem animæ, ubi nervorum origo & fons est: nervi itaque procedunt à corpore oblongato, ergo ibi habet imperium ut regat spiritus animales, & ut motus sensuum dijudicet. Itaque viæ sive striæ corporis striati quæ versus sensorium commune tendunt videntur esse ἐν ἐκλείψει, quod nempe deficiant spiritus, quæ à sensibus externis ad ipsum αἰσθητήριον tendunt, & animæ repræsentant, quæ externè aguntur. Sed illa sensuum abolitio semper planè non abolita, quia, postquam invasio cessaverit, interdum enarrant, quæ acciderant: ergo eclipsis illa totalis semper non est, sed aliquando partialis, ita ut, quidam motus intrare possunt. Persuaderem mihi quidem, quod viæ à sensuum organis ad animæ sedem tendentes eo tempore, quasi levi spasmo aut Convulsione laborare, quia nimium intentis & sanis solet accidere, atque sic viæ ob contractionem angustantur, quare pro variâ angustiâ, vel planè nihil gestarum rerum percipiunt, aut parum: vel ob magnam attentionem tonum relinquunt, instar brachii labore defessi, quod vix amplius movere, ut prius potest.

Quia illud symptoma sanis accidit, & brevi cessat nullo relinquente corpori damno, & absque medicamentorum usu, Medicus non est vocandus: sed non esset malum, ut spiritus salis armoniaci naribus admoveatur, fortasse tunc statim cessabit.

Est & alia *catalepsios* Species in iis, qui frigore sunt congelati, equo insidentes, qui equos freno videntur temperare, & tamen mortui vehuntur imitantes vivum situm, imo & oculis quoque prospicere videntur. Idem, fulmine ictis.

Ad INCUBUM nunc transeamus, qui est imaginationis inter dormiendum abusus, in quo putant corpus aliquod grave pectori incumbere aut insidere, cum respirandi difficultate, nisu ad loquendum, & sæpe cum pollutione nocturna. Postquam experrecti sunt evanescit imaginatio, vires restituuntur: remanetque aliquando cordis tremor cum celeri ac forti diaphragmatis concussione. Putat vulgus hoc fieri à Diabolo, verum hoc non credo, diabolus enim non est corpus, quo possit aliquem dormientem gravare, & quia ejusmodi symptomata ratione satis explicari possunt, ad ejusmodi figmenta popularia confugiendum non est. Sunt tamen, qui certissimè sibi imaginantur, ipsum vidisse & manu tetigisse, quod falsum est, quia dormientium motus localis pro eo tempore cessat; verum hoc inde fieri videtur, quod, quamvis dormiant, imaginationes suas falsas (aliquomodo vigilantes, hoc est non altè dormientes) falsò sibi imprimant, putantes hujusmodi animal, diabolum, vel aliud nescio, quid, vidisse. Sæpe id mihi contigit. cum supinus dormiebam, me revera imaginasse satyrum, cercopithecum vel aliud quid mihi insidentem, neque suffocantem, impotens, altâ voce clamare auxilium, verum expergefactus, fraudem imaginationis detegebam. Incubus.

Cum hic de falsâ inter somniandum agitur imaginatione, detegam illud de *spectris* quibusdam *nocturnis*, cum quidam tam pertinaciter asseverant se ea ante vel circa lectum, in quo decumbebant, vidisse. Accidit mihi, in lectisternio decumbenti, quod mediâ, nisi fallor, nocte, tres personæ mihi ante lectum assidebant; nempe Capitanus mihi notus, & à latere videbatur mihi sedere uxor mea una cum ejus matre; non eram perterritus (quoniam sommiabam) allocutus sum, responderunt pauca (quæ oblitus) interim evanuerunt postea nihil mali cogitans, expergiscebar, recolligens spectra, quæ tam clarè videram, ac si vigilarem. Alio tempore contigit, quod uxor mea paulo ante è lecto surgebat; interim denuo in somnum lapsus, tale quoque phantasma mihi apparuit, idque claro die, videbatur mihi apparere soror mea Anna Maria, (quæ ante aliquot dies in Frisiam profecta erat) loquor inter somniandum, & dico, soror mea profecta est, & nunc illam video, quomodo hoc est? uxor mea cum ipsius sorore erant in eodem cubiculo præsentes, rident me, & dicunt, quomodo potes sororem tuam videre, cum illam ipse ad navim duxisti. Illud audiens, expergiscebar, & evanuit illa vana, quæ mihi clara videbatur, imago. Atque hoc modo plurimi decipiuntur si præjudicia sequantur. De his satis.

Causa consistit, nempe *Incubi*, in eo, quod affecti supini jaceant, & cerebellum tunc à cerebri mole prematur, ita ut spiritus per par vagum & intercostale non nisi difficulter ad pulmones cæteraque viscera meare queant, unde circa pulmones cor, & totum pectus oritur difficultas, quia illorum motus, deficientibus spiritibus, impeditur. *Secundo*, si ventriculi in cerebro, multum aquæ in sese contineant, etiam cerebello molestiam pariunt, & simul quoque nervis respirationi inservientibus. In pectoris hydrope, pulmonis functio etiam quidem impeditur. Porro immoti manent, neque vocem edere possunt, quia sufficienti copiâ spiritus petransire non possunt. Impeditis itaque hoc modo nervis, per eorum convulsivos motus, efficitur, quod quædam canaliculi in cerebro aperiantur, qui, pro diversâ anomaliâ, hanc aut illam animalis, &c. Chimæram sibi incumbentem fingunt. Musculi item pectoris spasmo etiam quidem affici possunt aut paralyseos specie. Vel ob crassitiem sanguinis pulmones petransire nequeuntes, gravamina non tantum pulmoni, sed & ipsi cordi pariunt. Quia malum hoc plerumque sanis accidit, nihil periculi est expectandum; sed si sæpissimè contingat, inque habitu sit radicatum, & superveniat coma, carus, Apoplexia, Epilepsia, &c. Periculo non vacat, quia causa causam alit, ut ignis ignem. Si post incubum nocturnum accidat diurna vertigo, malum: & metuendum in pejus ruat.

Quamvis cura vix unquam instituatur, nihilominus tamen de ea aliquid dicemus; quibusdam enim est in habitu, quibusdam casu tantum contingit. In hoc casu maximè convenit *Potus Theæ* & usus *salium volatilium oleosorum*, ut quidquid est viscidum volatilizetur, ac fluori restituatur. Alvus sit laxa, modica sudatio præstat: decumbat patiens in hoc aut illud latus: neque post esum statim se ad dormiendum componat. Cæna parcior sit prandio. Interim quoque vinum aliquod medicatum sumat: ut

Misce

Misce. Rad. Angelicæ,
Limat. Chalybis, *ana uncias duas.*
Fol. Betonicæ,
Salviæ, *ana manipulos duos.*
Diptamni, *unciam semis.*
Vini albi, *libras quatuor.*
Fiat Vinum Medicatum.

Mane & vesperi cubitum iturus, cochlearia duo aut tria sumantur: vel ejus loco sequentes pulveres: ut

Sume Rad. Angelicæ,
Contrajervæ, *ana drachmas duas.*
Coralli rubri
Caphoræ,
Fol. Diptamni albi,
Majoranæ,
Rorismarini, *ana drachmam unam.*
Misce fiat Pulvis.
Dosis est drachma unica, plus aut minus.

Huc quoque referuntur *spiritus cornu cervi*, *salis armoniaci*, *sal volatile oleosum* &c.

Erit nunc nobis de NOCTAMBULONIBUS sermo: est nempe sopor, in quo homines inter dormiendum è lecto surgunt, januam aperiunt ac fenestras, uti matutino tempore solebant, è cunis tollunt infantem; domuum tecta imo audaciter loca prærupta & inaccessibilia ascendunt, quod vigiles non auderent; de quibus in *Institutionibus meis* rationem dedi. Noctambulones.

Minæ, Verba minacia, virgarum Castigatio, aliaque sesquipedalia verba curam planissimè absolvunt, eodem modo ut pueri, singulis noctibus lectum commingentes, etiam minis curari solent, hoc enim modo metus iis injicitur, quo canaliculi, premente urinâ, cerebri aperiuntur, atque sic minarum memores fiunt. Præter minas, optimum est, si medium corpus, crus, brachium, &c. tænia vinciatur, quæ iterum cubili firmiter connectatur; ut surgentes, se ligatos esse animadvertentes, evigilarent: atque hoc modo tandem nocturnas deambulationes desuescerent.

Nunc ad VERTIGINEM transeamus, quæ est falsa imaginatio, in quâ objecta omnia, & ipsum caput circumgyrari videntur; ita ut si æger ab adstantibus non sustinetur, vel se ipsum conservet, in terram prosterneretur. Causæ hujus phænomen in *Institutionibus* nostris sunt explicatæ. Ad *Prognosin* itaque est descendendum. Si alium morbum sibi habeat comitem, periculo vacat, & curatu facilis est. Si radices egerit, tunc quidem periculum non est timendum verum tardissimè curam admittit, & sæpe magis tædet Medicum Vertigo.

 quam

quam vertiginosum. Quæ in fronte est, neminem facile prosternit, & facilius curatur: verum in Cephalalgiam quidem mutatur: quæ hæmorrhagia quidem sedatur in occipite, periculosior est, & tandem quidem in Apoplexiam, *Paralysin*, motus convulsivos, &c. mutatur.

In *Curatione* ea ferè methodo incedendum, uti in Apoplexiâ extra paroxysmum. Si vertigo veniat ab externis rebus, præter lumen, ut à cursione in circulum, navigatione, Ebrietate, conspectu ab alto. &c. illa per se desinit. Verum si à spiritibus debilibus originem habeat, atque luminis radii prædominentur, spirituosa, aut *salia volatilia oleosa* sunt exhibenda. Conveniunt hic omnia ea quæ *Cephalica* dicuntur, hoc est, quæ constant ex particulis salino-oleosis. Potetur quotidie salvia in modum theæ. Quidam caput cucuphâ tegunt, quod non est malum. Caput matutino tempore fricetur, & frigidâ lavetur præsertim si capilli derasi sint. Neque *Chalybeata*, uti & *spiritus salis armoniaci* à nostro scopo sunt eximenda. Pulveres sequentes etiam usui veniant: ut

Sume Castorei,
Flor. salis armoniaci.
Sal. vol. succini,
Tartari Vitriolati, *ana drachmam unam.*
Misce fiant Pulveres. duodecim.

Neque *Tinctura succini* spernenda. Usus quoque *pilularum ex Gummi Ammoniaco*, *Chalybeatis*; *Aloë*, &c. non est exulandus. Emetica aliquando proficua sunt ne sit aër nimium calidus; cibi sint Eupepti, vinum sit bonæ notæ: cavendum à nimiâ salsedine, aciditate, & animi Pathematis.

Trepanatio in vertigine & cephalalgia non raro prosunt: quod sequenti observatione testari potest, non tantum Chirurgi, sed & ipsius patientis.

NOBILISS. DOCTISSIME AC EXPERIENTISSIME DOMINE DOCTOR.

Vertigo Trepano profligato.

„ ANte aliquot menses vestræ dominationi mentionem feci epistolarem de „ *Vertiginoso* quodam, per Trepanum, curato: nunc vero tempus mo„ net ut paulo accuratius Historiam transmittam.

„ Erat studiosus annorum quinquaginta quinque, juventutem Latiô sermo„ ne erudiens. Plurimos annos *Vertigine* non vulgari vexatus, opem ubi„ que quæsivit, sed omnia incassum tentatus: tandem ex me remedia petiit, „ ast nullo successui tandem fonticulos duos tresve ei adhibui, verum sine „ fructu. Postea per annos quidem três alios consuluit, verum nihil opis „ patienti attulerunt.

„ Eous-

„Eousque Morbus invaluerat, ut in sede collocatus, se erigere nequi-„bat, nisi manibus aliquod fixum præhendebat. Huic symptomati accesse-„runt & alia mala, ut *Cephalalgia* intollerabilis, *Susurrus* & *Tinnitus* au-„rium continuus, cum *visu debili & caliginoso* nec non & *capite perpetuo gra-„vi* &c.

„Denique cum omnia in pejus ruebant, 1. Aprilis Anno 1694 Epistolâ „querelis plenâ me de novo rogavit, ut quidquid in arte Medicâ erat, se-„rio adhiberem. Statim eum adibam, & trepanum ultimum ei solatium es-„se pronunciabam, modo vellet ut institueretur: tandem; re perpensâ, „non abnuit. 4. Aprilis Trepanum institui, nemine præsente nisi Scholar-„cha tantum cum discipulo meo, ut omnia nimirum tacitè fierent. Om-„nibus porro, quæ ad hanc operationem pertinebant, ut potui corrasis: „Trepanum, eo loci, ubi coronalis sutura sagittalem tangit, est adhibitum. „Eo itaque applicato officulum ab unâ parte prius quam ab aliâ separaba-„tur; & superveniebat quidam strepitus, cujus causam, primum ignorans „divinabam esse flatum, à superficie duræ meningis erumpentem: dein-„de Patienti vehemens superveniebat sternutatio, quâ flatus ille multo magis „emittebatur: & tamdiu perseverabat, ut ferè centum numeri poterant e-„loqui; cessante hoc strepitu, perterebrationem iterum continuavi, & tan-„dem officulum exemi. Videbam tunc cranium ab una parte alterum tan-„tum majorem habuisse crassitiem quam ab alterâ, & duram meningem ea „parte esse separatam, quod stylo facile experiri poterat: Expulso enim ven-„to meninx iterum priorem sedem recipiebat.

„Mirum dictu, Vulnere, ut decet: obligato, statim absque manuum admi-„niculo, surgebat. Et postridie eum visitans, post meridiem; solus per „cubiculum spatiabatur; quod meo jussu factum non erat; sed è contra im-„peraveram octo, vel novem dierum quietem: ad diem porro septimum & „octavum usque semper sub emplastro & in circumstantibus capillis pluri-„mum loca madebant; ex vaporibus forte sub cranio residentibus. Æger „quotidie in meliorem statum perveniebat, sumendo quoque cephalica, „pectoralia; antiscorbutica, laxantia, &c. post duodecimum diem iterum „discipulos informabat; & die quadragesimo secundo apertura erat clausa, „Symptomataque planè cessabant: imo & facies Humida & Hydropica pal-„lidum exuebat colorem, vigoremque rubicundum recipiebat: his acce-„debat visus acies.

„Atque hæc sunt principalia MAGNIFICE VIR, quæ vobis de hac „curâ communicare habebam: una cum ipsius patientis attestatione. Ves-„ter &c.

Dronthemi
$\frac{14}{24}$ Febr.
1695.

Christianus Frauwen,
Chirurgus.

CON-

CONTESTATIO IPSIUS PATIENTIS SEQUITUR.

Morbi, qui me diu detinuit, curatio, qua exponuntur, quæ potissimum me vexavere symptomata, priusquam experientissimi Chirurgi Chris. Fravenii curæ me committerem, Trepano inusitato atque inaudito his locis Medicinæ genere curandum.

1. INfestam mihi per annos quindecim Cephalgiam & ingentes capitis dolores continuo aurium tinuitu comitatos, qui prius, quam curæ medentis me committerem, tantâ me adorti sunt vehementiâ, & fatigaverunt adeo, tussi præsertim superveniente, ut loco cedere non valerem, etiamsi eô vita redimeretur, nisi manu me vicinus duceret, sedavit ea ex voto, Auxiliante Deo, quam mihi Medicinam fecit experientissimus Chirurgus *Christ. Fraven.*

2. Infestante me vehementissimâ tussi, atrâ velut nuba obscurabantur omnia, ut vel dimidiæ horæ spatio nihil quidquam oculis intueri, nec quo ingrediendum esset, prospicere permitteretur: infestum hoc morbi mei symptoma, opitulante Deo, Medicina relevavit.

3. Summa in ingrediendo difficultas, jam boum ritu varicante gressu, jam ad mores anserum trepidante, curæ hujus beneficio, Laus Deo sit, superata est.

4. Emendata etiam quodammodo hac Medicina sunt, Juvante Deo, pristina oculorum vitia: hebes enim erat visus, & ita fallax, ut ingredienti semper in acclive enitendum esse appareret, & equi cæci more tolutim esset incedendum.

5. Quæ multis ab hinc annis oppido molesta mihi *Vertigo* fuit, & in tantum vires sumpsit, ut vel parietibus fulto difficilis & arduus incessus esset, Medendi hac ratione, Benedicente Deo, ferè evicta est; ut longo morbo vitiatam constitutiones meæ rationem, totam in melius mutatam esse appareat. Non satis ideo cumulatè Deo gratias egerim, quod, si non ex morbo penitus convaluerim, quotidie tamen me refici, recrearique sentiam: quod & ipsum me ad prædicandam miram illam, quam mihi Deus attulit opem, incitabit, ut & meo exemplo, condiscant alii collatam in gratiam concelebrare, cum in summo discrimine præsentissimum numinis auxilium semper experiamur omnes.

Rem ita esse, ut enarrata est, subscripta manu testor.

Nidrosiæ, 30. Maji. 1694.

Georgius Johannis Christpolin.

Pue-

Puerulus paulo supra tres annos natus, ophthalmiis gravioribus, & faciei exanthematis gravioribus obnoxius, ineunte autumno malè habent o cum febri lenta, & somnolentus evasit, ut dies & noctes fere assidu dormiret; experrectus tamen amicos novit, & interrogatus respondit. à remediis post sextum aut septimum diem febre immunis, satis evigilans, & alimenta poscens, plane convalescere videbatur: sed brevi post recidivam passus, & denuo soporosus, torpore statim graviore afficiebatur, adeo ut vix expergiscebatur; postridie plane stupidus, nullius ferè sensus indicium præbens; atque intra diem unam vel alteram totius dextri lateris paralysis insecuta. Medicamentorum administratione nihil adjuvante, post quartum aut quintum diem viribus fatiscentibus, obiit.

IN rene dextro humor Ichorosus albicans. quasi sanies tenuis. Paralysis lethargo.
Elevato cranio anterior cerebri regio, fere usque ad sinus quarti inplantationem, lympha, per membranas transflucente, obtecta, intumescebat. Cerebrum madidum. Posterius vero vasa cruore rebuscebant.

Ab obstructionibus cerebri, vasisque lymphaticis ruptis, tota cerebri inundatio: si tunc viæ patentes præclusæ fuerint. liquor in ventriculis moratur vicinasque partes premit, unde sopor, stupor cæteraque symptomata.

Juvenis, sanguineus post lautiorem cœnam & haustum vini immoderatiorem, stupiditate in manu dextra afficitur; imo ambulare nisus in femore & crure ejusdem lateris resolutionem sentit, paulo postea in mentis Hebetudinem quandam & torporem sine Apoplexia tamen incidens, nam ad interrogata aptè, licet tarde, respondebat. Medicamentis frustra applicatis, etiam dexter oculus visum amittebat; usque tamen, etiamsi torpidus, & somnolentus mentis compos amicos dignoscebat. Functionibus indies decrescentibus, circa diem septimum aut octavum, modo in delirium, modo in convulsiones subinde incidens, eandem viribus exolutis, morbo succubuit.

ELevata calvaria, anterior cerebri cavitas, sanguine partim ichoroso, partim concreto & grumoso, cum laticis tenuis copia impleta fuit. Paralytici anatome.

Quemadmodum sæpe sanguinei in narium Hæmorrhagiam, præsertim si potibus inebriantibus gaudeant. ncidunt, ita quoque meningum vascula non raro rumpuntur, sanguinemque intra minervæ parietes effundunt. deinde membranæ totumque cerebrum ab effusa materia ita comprimuntur, ut succi cere-

brales verſus nervos deſcendere nequeant, hinc ſomnolentia & ſtupiditas; hinc aut utriuſque lateris paralyſis. Humoribus indies aceſcentibus, vellicationeſque parientibus, convulſiones & deliria producuntur. Si totum cerebrum fuerit obrutum, in apoplexiam incidiſſet; aſt quia duntaxat anterior cavitas, quædam mentis ratiocinantis indicia ſupererant, quæ alias plane obnubilantur.

Adoleſcens ipſo Paroxyſmi tempore moritur.

Epileptici Anatome.

VEntriculi cerebri valde fuerunt compreſſi, adeo, ut nulla cavitas poterat conſpici. In ſuprema cerebri parte nonnihil ſanguinis erat concretum.

Ventriculi ita fuerunt extenſi quia totum cerebrum convulſionibus fuit inflatum & turgidum. Hanc ob cauſam vaſculum quoque ſanguineum rupit, unde & ſanguinis effuſio.

Anglus quidam in Galliam veniens, crapulæ indulgebat. Poſtea vertigine correptus, cibos revomit, ac de ventriculi dolore quæritur: levi quoque febricula laborabat, nonnunquam delirans: ſudavit ex ſe copioſe, ac inter ſudandum interiit.

Vertiginoſi, ſæpè vomentis, ac de dolore ventriculi quærentis, diſſectio anatomica.

MOrtuo, inventum omentum plane putridum, jecur ſcirrhoſum: Ventriculi interior facies circa pylorum quaſi contuſa: nigro humore ſemiplenus erat.

Ex nimia vini ingurgitatione, & cerebri & nervoſi generis oritur inbecillitas: ex imbecillitate nervorum obſtructiones, & exinde vertigines, vomitus &c. Sanguis, cæterique in corpore ſucci ex nimia acidi vini copia inſpiſſati ſunt, unde jecur ſcirrhoſum: ubi abundat acidum, ibi deficit bilis, & vice verſa: deficiente igitur bile, in hepate obſtructiones fieri neceſſe erat. Abundante acido, viſcidiſque humoribus, ventriculus infeſtatur ſuccis anomalis, quorum levi convulſione vertigines & vomitus: imo ab acidi corroſione latera ventriculi mollia & quaſi contuſa erant; in ſuperioribus ejuſmodi ventriculum molle me deſcripſiſſe memini.

Ex imbecillitate & glandularum cutis obſtructione, etiam tam copioſe ſudavit præſertim præſente febrili calore. Qui enim ſudor facile per cutis glandulas circulari non potuit, poros ſubire coactus fuit. Sudor multus, frigidus calidúſve; frigidus majorem, calidus minorem morbum ſignificat.

Paralyſis.

Nunc ad PARALYSIN deſcendamus, quæ eſt relaxatio ſive obſtructio partium nervoſarum, ita ut debito modo ſe expandi, atque à ſpiritibus inflari nequeant, cum privatione vel ſenſus, vel utriuſque. Eſtque univerſalis vel particularis. *Univerſalis* dicitur, quando ambo ſub capite latera reſoluta ſunt, vel unicum latus tantum. Sed *particularis* eſt, cum aliqua tantum

tum pars resoluta sit, uti est brachium, crus, digitus, lingua, oculus, &c.

Quando motus cessant; *causæ* sunt obstructiones aut compressiones nervorum circa eorum principium, medium aut finem. Universalis originem habet ab obstructione aut compressione corporis striati aut principii nervorum, atque hac de causâ spiritus sufficienti copiâ nervos irradiare nequeunt; vel quando obstructio aut angustatio, ab utroque latere medullæ spinalis, aut in uno tantum est: *Causa* quandoque in ipsis nervis est, quando obstruuntur, comprimuntur, disscinduntur, vel quando spiritus debiles sunt, aliasque particulas viscosas admixtas habent. *Causæ præcipuæ* sunt sanguis viscidus & tenax, ex quo succi ejusdem indolis secerni debent, atque hoc modo quibusdam nervorum poris obstructis, cessat motus. Sed quando motus, aliquo modo ab objectis externis ad cerebrum & ipsam animam penetrat, manet sensus tactus; si non, & motus cessat & sensus simul, abscissis præsertim nervis aut medullâ spinali planè læsâ, vel quando à fractis ossibus comprimuntur. Sensus aliquando tantum læditur, quando nervi optici, auditorii aut olfactorii à materiâ viscidâ obstruuntur, quâ de causâ motus objectorum externorum ad sensorium commune & ipsam animam non veniunt, verum excluduntur. Vel quando cutis & musculorum membranæ à particulis viscosis obsidentur, uti in Leprosis, & quibusdam maniacis, tunc enim sensus cessat, verum motus remanet, quia spiritus adhuc sufficienti copia fluunt. Paralyticis sæpe adest compunctio quædam ac titillatio dolorifica. Phænomen illud producitur, quando obstructis nervis tendinibusve, spiritus vi illos irradiant: quemadmodum post ingens frigus passum; quis digitos movere nequit; succus enim nervosus à motu cessans, acessit & acorem contrahit, qui, cum à tergo ab aliis premuntur, undique titillationem dolorificam producunt: quod etiam fit, si quis capite cubito diu incumbat, aut nervos cruris sedendo &c. premat, tunc illæ partes redduntur stupidæ & quasi sine sensu, postea vero libertati motus restitutæ, spiritus iterum à tergo illos premunt, qui tamen quieti fuerunt, & eandem ob causam, etiam parti titillationem inferunt dolorificam.

Omnis paralysis, sensibus integris, diuturnus est, nam materia impacta vix attenuatur. Ab ictu, casu, vulnere, Apoplexiâ, caro, convulsione, passione colicâ, si citò non curantur, raro curantur, nam quo diutius materia impacta in nervorum poris retineatur, eo redditur crassior; vel canaliculi ipsi sunt disrupti, contusi, aut compressi. Medullâ spinali à principio ad finem obstructâ, aut magnoperè Vulneratâ, omnis sensus abolitur & motus, atque difficulter imo vix restituitur; retro enim pelli materia nequit, & vis medicamentosa aliquando maximâ ex parte est consumpta, antequam locum affectum attingunt. Medullâ quoque spinali in principio obstructâ, necessariò omnes subjectæ partes paralysin incidunt, quia tota spirituum irradiatio ferè cessat. In senectute, in corporibus cacochymicis & scorbuticis, *Curatio* non bene procedit. Ab apoplexia raro curatur; & sæpe iterum in apoplexiam transit. Quamdiu in parte paralytica paralysis est, spes affulget. Si in partibus inferioribus, priusquam in superioribus curatur. Quo enim partes à cerebro, & corde remo-

remotiores, eo succis & sanguine irrigantur frigidioribus. In senibus vix curabilis, idque ob caloris & virium defectum, pituitæque abundantiam: hinc Atrophia, pessimè audit. Si post paralysin recens acceptam febris vehemens veniat, tremor artuum, aut diarrhœa, bonum. Generalis paralysis, pejor speciali: In hisce enim non tantum sanguis sed & succi cerebrales ad motus quodammodo convulsivos irritantur, unde materia obstructa sæpe excutitur.

Si Paralysis veniat ex obstructionibus, deobstruentia & attenuantia sunt exhibenda, *volatilia* nempe & *oleosas* tam externè quam internè: Verum ruptis fibrillis in æternum restitutio non est expectanda. Ast si adsint compressiones, removendæ sunt quantum fieri potest. Hisce accedat optima victus ratio. Æger, quam primum inciderit in paralysin, lecto componendus est, & semper in sudore blando continendus, ut spiritus, quando in continuo motu sunt, priores vias iterum intrent. Interim pulverum hunc præscribito: ut

Accipe Oculor. cancri,
Croci,
Castorei, *ana drachmam unam.*
Fl. Salis Armoniaci, *drachmam semis.*
Misce fiant Pulveres tres. vel

Misce Spirit Cochleariæ. *uncias duas.*
Rorismarini, *unciam unam,*
Salis Armoniaci, *drachmam semis.*
Castorei, *drachmam unam.*
Detur guttatim.

Porro dislocatio si adfuerit, restitui oportet; Inflammationes, contusiones aut vulnera, cataplasmatibus, fotibus, linimentis aut balsamis curentur. Externè si nihil sit læsum, imponatur tantum *Emplastrum de cumino*, *de baccis lauri*, *oxycrocei*, vel simile defensivum. vel

Accipe Piperis albi,
Pyrethri, *ana drachmas duas.*
Castorei,
Euphorbii; *ana drachmam unam.*
Olei Laterum, *unciam semis.*
Laurini, *unciam unam.*
Misce fiat Linimentum.

Huc quoque referuntur vulgaria Unguenta ut *Unguentum Martiatum*, *Nervinum*, *oleum Laurinum*, *Philosophorum*, *Terebinthinæ*, &c, linimenta, quo penetrantiora, eo meliora. *Spiritus Matricalis*, cum *spiritu salis armoniaci*, & *caphora*, admodum penetrant. Sudationes cum spiritu vini, ut in Lue vene-

venerea, instituantur, si vires ferant: neque spernenda sunt decocta ex *Guajaco Sassafras*, *China*, *Salsa Parillâ*, &c. partes paralyticæ, cum fæcibus post coctam cerevisiam relictis, fotæ; aliquando restituuntur, præsertim si quotidie cum recentibus fiat, alias partes volatiles in aures abeunt. Altera *Intentio* & *Curatio* est, quando paralysis oritur post febrim, Apoplexiam, carum, aut aliorum morborum ad caput pertinentium, leniter, ad evacuandam pituitam, *purgandum*, *Vesicatoria* sunt applicanda; *Sternutatoria* adhibenda; linimentis aliisque rebus, quæ in morbis cephalicis adhiberi solent, erit liniendum quibus materia impacta fluidior redditur. Si itaque intra quindecim & viginti dies non curetur, tunc medicamentis præcaventibus ac sanantibus aliquando curatur. *Intentio tertia* est, quando est *in fieri* aut in *facto*. Si fuerit *in fieri*, curandum ut optimâ victus ratione bonus chylus & sanguis, producendis optimis spiritibus, generentur. Deinde ut cerebrum roboretur, & curandum, ne quid heterogenei admittant; quod partim Diæta fit, partim Medicamentis Internis sive Externis. *interna sunt volatilia*. Verum *Externa*, *frictiones*, *linimenta*, *Cucuphæ*, &c. Sequentia ferè in usum vocari possunt, quæ externè adhibere solent, ut

Euphorbium, *Myrrha*, *Pix*, *Terebinthina*, *sal armoniacum*. *Oleum laurinum*, *Trifolii odorati*, *Castorei*, *Euphorbii*; *Jasminum*, *Ceræ*, *spicæ*, *Laterum*, *Succini*, *Terebinthinæ*, *Tartari*, *Petræ*, *Terræ*, &c. *Unguentum nervinum*, *Martiatum*. *Emplastrum Oxycrocei*, &c.

Cæterum *interna* sunt, uti in Apoplexia extra paroxysmum solent propinari; constant enim ex particulis volatilibus & oleosis. Toto itaque anno, præsertim verno & autumnali volatilia sunt præscribenda: interdum levis Vomitio aut Purgatio non nocebit: Medicamenta quædam cephalica formulâ diversâ præscribantur, ex *Salviâ*, *Betonicâ*, *Guajaco*, *Sassaphras*, *Floribus Stæchadis*. Ast si paralysis fuerit *in facto*; à purgantibus parum abstinendum, deinde num sanguis abunde particulis acidis aut viscidis, abundet medicamenta alias præposterè data, magis nocerent quam prodessent. Si ergo pituita abundet sequentia exhibito: ut

Recipe Fol. Cochleariæ,
Zingiberis Conditi, *ana uncias tres*.
Galangæ,
Cinamomi,
Cort. Arantiorum,
Citriorum. *ana drachmas duas*.
Ocul. Cancri, *unciam semis*.
Elixiris Proprietatis, *quantum sufficit*.
Misce.
Dosis ad unciam semissem. vel.

Sume Ligni Sassafras, *uncias unam*.
Rad. Galangæ,
Acori, *ana unciam semis*.

Fol. Salviæ,
Betonicæ, *ana Manipulos duos.*
Rorismarini, *Manipulum unum.*
Sem. Cardamomi,
Coriandri, *ana unciam semis.*
Caryophyllorum, *uncias duas.*
Limat. Chalybis, *uncias quatuor.*
Vini albi, *libras octo.*
Misce fiat Vinum Medicatum.

Si acidis & incalescentibus sanguis abundet particulis, sequentia præscribito: ut

Accipe Ocul. Cancri, *drachmas duas.*
Vitrioli Martis, *scrupulum semis.*
Misce fiant pulveres duo.

Recipe Tinct. Tartari,
Martis, *ana drachmam unam.*
Misce: Vel,

Sume Nucis Moschatæ, *unciam semis.*
Pyrethri, *drachmam unam.*
Fol. Majoranæ,
Salviæ,
Flor. Lavendulæ,
Rorismarini, *ana drachmam semis.*
Sem. Nigellæ,
Cinamomi, *ana sesqui drachmam.*
Caryophyllorum,
Galangæ, *ana drachmam semis.*
Misce fiat pulvis.
Dosis drachma una. vel,

Misce Rad. Chinæ,
Bardanæ, *ana sequiunciam.*
Santali citrini, *unciam semis.*
Fol. Chamædryos,
Chamæpytios,
Betonicæ, *ana Manipulum unum.*
Hederæ terrestris, *Manipulos duos.*
Sem. Coriandri, *drachmas duas.*
Vini albi, *libras quatuor.*
Fiat Vinum Medicatum.
Dosis ad uncias duas. vel

Recipe

Recipe Millepedum, *drachmam unam.*
Oculi. Cancri, *unciam ſemis.*
Miſce fiant pulveres quatuor.

Remedia Externa ſunt *Fotus*, *Linimenta*, *Emplaſtra*, *Veſicatoria*, *Balnea*, &c. ſi illa nihil auxilii afferunt, deſcendendum ad *Sudorifera*, *ſalivam excitantia*, *Maſticatoria*, &c. Sudorem moventia concinnantur ex *Ligno Guajaco*, *Saſſaphras*, *China*, *Salſaparilla* &c. Spiritu Salis *Armoniaci*, *Tartari*, *Bezoardico Minerali*, &c. Externa ad illinendum ſequentia ſunto: ut

Recipe Olei Succini, *drachmam unam.*
Alcohol vini, *uncias quatuor.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Miſce. vel,

Recipe Tabaci optimi, *uncias quatuor.*
Piperis Braſilienſis, *uncias duas.*
Caphoræ,
Aſſæ fœtidæ, *ana unciam ſemis.*
Spir. Vini optimi, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat ſ. a. Tinctura: colaturæ adde.
Spir. Salis armoniaci, *drachmas duas.*

Singulis diebus, bis terve pars affecta fricetur hoc Medicamento, vel,

Sume Aquæ Antiparalyticæ, *uncias quatuor.*
Olei Succini.
Spir. Cochleariæ, *unciam ſemis*
Armoniaci, *drachmas duas.*
Miſce.
Hac Mixtura ſingulis diebus calidè fricetur. vel

Recipe Emplaſtri de baccis lauri, *uncias duas.*
Thuris, *unciam ſemis.*
Caſtorei,
Euphorbii, *ana drachmam unam.*
Sem. Sinapi, *drachmas duas.*
Olei de Lateribus, vel.
Terebinthinæ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Emplaſtrum, vel,

Recipe Olei de Lateribus,

Nardini, *ana unciam unam.*
Terebinthinæ, *drachmam ſemis.*
Euphorbii, *unciam ſemis.* M.

Recipe Olei de Lateribus;
Nardini, *ana unciam unam.*
Terebinthinæ, *drachmam ſemis.*
Euphorbii, *unciam ſemis.*
Thuris, *drachmas tres.*
Caſtorei,
Croci, *ana drachmam unam.*
Ceræ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Linimentum.
Ex quibuſdam etiam fiat deſtillatio: ut

Recipe Thuris, *drachmas tres.*
Caſtorei,
Croci, *ana drachmam unam.*
Ceræ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat linimentum.
Ex quibuſdam ſimplicibus, etiam inſtituatur deſtillatio. ut

Deſtilla Spir. Vini, *libras decem.*
Aſſæ fætidæ, *uncias ſex.*
Galangæ,
Acori, *ana uncias quatuor.*
Caphoræ, *unciam ſemis.*
Piperis Braſilienſis, *uncias duas.*
Terebinthinæ Venetæ, *ſesqui unciam.*
Miſce fiat deſtillatio.
Hoc liquore partes ſunt fovendæ

Potui ordinario admiſceantur quædam guttæ. *Spiritus ſalis armoniaci.* Singuls diebus deglutiatur pilula ex *Aſſa Fœtida*, *Gummi Ammoniaco*, *martialibus*, &c. Frictione quotidianâ partes non tantum incaleſcunt, verum ſucci contenti fluori priſtino reſtituuntur. Si paralyſis ortum capiat à frigore, ignis calore, ſanatur. Sæpe ira reſtituuntur, uti exempla docent eorum, qui pro tempore muti erant facti.

HISTO-

HISTORIA PARALYTICI POST INHIBITAM SUDATIONEM, QUI TANDEM, SUDATIONE SPONTANEA SUPERVENIENTE, LIBERATUS EST.

Capitaneus quidam ætatis 44. annorum, supremâ æstate in castris furunculis quibusdam vexatus, sudoriferum, iis pellendis, sumebat. Cum inter sudandum erat, surgere coactus, post octo dies de ingenti cephalalgiâ conquestus, qua, necessitate pressus Diesthemium se contulit. Dolor tam immaniter sæviebat, ut aliquando deliraret tamen sine febri. Sed usu medicamentorum post duos menses maximâ ex parte restitutus videbatur; postea hic Bergopzomium venit, & postea curru Trajectum ad Mosam, tandem Bergas repetens, post octo aut decem dies 14. Decembris 1697. tempore nocturno subitò paralysi corripiebatur, nempe in linguâ, brachio sinistro, quæ brevi tamen post cessabat. Post octo tamen aut decem dies iterum de ingenti capitis dolore querebatur ejusdem lateris, qui adeo increscebat, ut delirans evaserit, concomitante linguæ paralysi, ut & brachii ac manus ut antea: post duos dies iterum ad se redibat, cum excretione plurimæ pituitæ, & oris contractione obliqua. Sed hæc symptomata post usum aliquot medicamentorum parumper relaxata sunt. Os pristinum situm habet, & motus & sensus brachio modicè restitutus; ast loquela valde difficilis, non quidem semper, sed per intervalla; pituitæ tenacissimæ excretio continuatur. Memoria constans quidem nunc, sed cras aut perindie debilior est, at omnia sine febri, Cibi appetitus ut in sanissimis.

BREVIS ÆTIOLOGIA.

Tempore medio Sudationis sistebatur, hic quidquid acre & in effluxionis itinere erat, intus retentum est, & cum lymphâ redeunte in sanguinem absortum, qui cerebrum petens, in eo acres reliquit spiritus: quibus subitò aliquantisper condensatis, denuoque expansis membranas cerebri distenderunt, unde dolor primo, deinde, ob particulas acres & convellentes, meningum convulsio, enormis spirituum distributio, unde delirium: materia tandem condensata in nervos linguæ & brachii propulsa; eos obstruebat, unde paralysis.

Præscripsi ei Diætam sudoriferam, ex decocto Guajaci & Sassafras, deinde usum spiritus cornu cervi: adhibui frictiones &c. interim antequam Remedia mea adhibebantur, sudatio oborta spontanea, morbum solvit. Ideoque ejus mater mihi hæc rescripsit.

Clariss. Dom. Doctor.

Medicamenta vestra accepimus &c. Filius meus, Deo sit laus & honos, restitutus est, idque duobus diebus, antequam Medicamenta adferban-

tur, idque sudatione, sponte adveniente; die Mercurii post meridiem primo sudor apparuit, & Veneris die demum cessabat: idque tam vehementer, ut, præ anxietate, nihil de se sciret, ita ab omni parte prorumpebat. Sed matutino tempore horâ quartâ desiderabat matulam, & sextâ dicebat æger, Mater, Dei auxilio, sanatus sum &c.

Alius Vir Centurio, qui etiam sudoriferum sumpserat, inter sudandum, quia ad Regis Angliæ mandatum surgere coactus fuerat, surrexit, equum ascendit, idque aëre frigido, paralyticus factus, post octo dies obiit.

Cavendum itaque summoperè, ne diaphoresis in medio sudationis fervore, sistatur: & ne quid eveniat mali, iterum sudor est revocandus, quod superior observatio satis superque docet.

Symptomata ab arcenico igni injecto. Domina quædam 1696. igni injecit cucullum cum arsenico, ne periculum aliquod inde quasi contingeret: incidit primo in respirationem impeditam, deinde paralysin totius corporis, tertio linguæ exulcerationes, & juncturarum quasi dislocationes. In alia matrona eadem symptomata ex eadem causâ observavi. In Nutrice quadam etiam & quotidianis sudationibus cum spiritu vini institutis.

Satis superque liquet Arsenicum esse indolis mercurialis, unde saliva acris facta linguam & partes vicinas rodebat, uti fit iis, qui salivationi excitandæ mercurii præparata assumunt. Deinde succum nervosum infectum esse, constat ex paralysi insequente, & ossibus quasi dislocatis: materia enim qua Mercuriales particulæ involutæ erant, nervosum genus obstruebat, unde motus cessatio. Sanitati tamen tandem restituebantur, eo modo, ut de tertiâ ægrâ docui; volui illa hic subjungere quia, nisi memoria fallit ejusmodi observationes ab arsenico ortas, nusquam reperire licuit.

Paralyseos Hist. Dominus quidam quinquagenarius, à tribus jam annis hemiplegiam sinistri lateris patitur, suspicio est, initio hunc affectum apoplecticum fuisse, à quo cum justis remediis liberaretur æger, continuo in paralysin desiit; & Emplastrorum & ungueutorum topicorum applicatione levamen aliquod sensit, quoad motum pedis, quo tolerabiliter utebatur in deambulando; quoad motum brachii non item; more impatiens ad Thermas sulphureas ut mitteretur, impetravit à Medicis; post decimam balneationem, (incredibile enim quantum sudoris ab his thermis profudit:) En tibi novum malum, Epilepsiâ scilicet simul corripitur, eaque tam violentâ, ut post quemlibet menstruum paroxysmum totos duos aut tres, quasi truncus in lecto decumbere cogeretur, propter maximam spiritus, ut ajunt, jacturam: ab usu trimestri diario cinnabaris antimonii septies rectificatæ, permixtæ cum ana de lumbricis terrestribus in dosi ad drachmam. Ultra trimestre jam excurrit, ex quo paroxysmus epilepticus non rediit; manet tamen adhuc satis impeditus in motu pedis affecti, ut sine adminiculo bacilli & alterius cujusdam ægrè possit incedere; tibia parum aut nihil extenuata apparet: à tribus tamen hebdomadis, dolores in utroque pede, & in tibiâ affectâ præsertim tolerat, quæ etiam satis intumuit usque ad pedis digitos; Bulimum, justis remediis abactum, invenio in aliqualem cibi inappetentiam desiisse; jam ab ineunte paralysi moro-

rosissimus evasit, ut vix adstantibus tolerabilis sit; turbidis plerumque cogitationibus obnoxius vivit, hæretque subinde in eâ cogitatione inpermutalis, imminere sibi certo mortem ob hoc morbo, nec pacato nnquam animo fore, donec certior fiat se ab omni vitæ discrimine hac de causâ immunem esse; abigit suspicionem de Melancholiâ legitimâ, quod tenebras & solitudinem exosus, summoperè colloquiis & luce delectatur; cæterum eum capite non satis firmum esse hoc evincit, quod si inter deambulandum, fortè fortuna animal aut homo quispiam se movens ante oculos intercursat vix non genua labascunt & in casum propendet.

Casus hic à Medico quodam *dela Guerra*, Ulyssipone missus: eique hunc in modum respondi. Non loquar hic de Apoplexiæ genesi, & quomodo in paralysin abeat, quoniam hæc satis superque explicui Porro materia in cerebro adhuc residua à balnei calore fuit agitata, & quoniam â longo tempore tandem acris facta fuit, motus convulsivos sive Epilepticos concitavit; spiritibus deinde consumptis & ægrè regenerandis, decumbebat Trunci instar immobilis. Et quoniam illi spiritus ἀνωμάλως & sine ordine cerebrum, nervorumque genus perlustrabant, cogitationes etiam ἀτάκτως fieri debebant: & quia tenebras &c. fugit tristitiæ sive Melancholiæ species non est. Porro quia omnia ad nutum suum exequi non potuit, (erat enim Princeps admodum præceps) morosissimus factus.

Quoad interna, ipsi misi quædam salia volatilia oleosa, quia illa non item in Lusitaniâ præparantur; ex hisce quotidie inter prandendum & cœnandum jussi cum vino aliquot guttas sumere. Idem præcepi naribus aliquando admoveret, ut levi motu, materia peccans tandem cerebro excuteretur.

Deinde matutino ac vespertino tempore volui spina dorsi spiritu quodam penetrante fricaretur, qui constabat ex *succino*, *sale armoniaco*, *sale tartari*, *Myrrha*, *mastiche*, & *olibano*, quæ cum *spiritu vini* destillabantur, sic eodem tibia, pedes &c quotidie fricabantur, postquam vapore spiritus vini ad sudorem illarum partium erant excepti: atque hoc modo intra tres menses restitutus.

Ante aliquot annos veniebat ad me magni nominis Princeps ex Italiâ (nominarem, sed quia quoque gonorrhœâ laborabat, σιγᾶν δεῖ) ejus brachium valde emaciebatur, frigidum erat & motui ferè ineptum. Fovebam ejus brachium quotidie stupâ, quæ ex funibus picatis colligitur, & spiritu vini calidissimi, inque spatio quatuor hebdomadarum restitutus, relicto largiori sostro, in patriam reversus.

Ante plures annos sanavit mulieris brachium Leovardiæ solo fotu siliquarum excoctarum (vulgo) *Draf*, vel *Borstel*) quæ calidè imponebantur, in iisque noctu dieque brachium destinebatur.

Ante annos quatuor, (inquit vir nobilissimus) cum uxor meâ adhuc in virgineo statu degebat, tempore mensium fluxus, corpus à terrore quodam alteratum fuit. Insequebatur dysuria, urinam vix excernere potuit, quodque excretum, erat ardens & acris. Interim in corpore gravitas, tumor & in flatio: atque hæc decem vel duodecim hebdomadas perseverabant, & omnia symptomata cessabant, inque sânum statum restituta.

 Sed

Sed postquam per duos annos sana & integra vixerat, ingenti cephalalgiâ corripiebatur, sed à terrore quodam dolor capitis locum commutabat, & in pristinum malum degenerabat, quod nunc duobus integris annis persistebat, sed aliquando melius, aliquando pejus se habebat, cum continuâ quasi obstructione circa ventriculum: qui locus, si externè prematur, dolorem persentiscit, inter ventriculum & umbilicum, alias ut decet cibos & potus mediocriter appetens. Sed quando cibus ex ventriculo intestina ingreditur, angustus transitus est, ut cibus quasi stridore egrediatur. Interdum quædam pressio in infimo ventre est, non secus ac si uterus deorsum premeretur: nonnunquam fauces quasi strangulantur; adveniunt Catarrhi graves cerebro & dentibus, cum continuo auris dextræ susurro.

Urina pallida est, cum levi sedimento, instar lintei rasi; sed hoc tempore plus, alio minus sedimenti adest: semper tamen aliquid emingitur, præsertim post Diureticorum usum, quæ in hac ægra sine dolore sensibili usurpari possunt. hæc ille.

Ex terrore varia produci Symptomata novimus, præsertim mensium tempore: in hac ægrâ statim laborabant levitur uteri & præsertim vesicæ nervi, unde earum partium quasi paralysis seu potius stupor; hinc fibræ musculosæ ut & sphincteris vesicæ officio debito fungi nequibant: exinde liquet quare urina expelli non potuerit. Urina porro retenta acrimoniam, ut solet, cum ardore contrahebat. Porro ab urinâ retentâ fiebant & inflatio quasi & gravitas, idque propter urinæ molem ut solet iis accidere, qui in navibus &c, urinam retinent. Ista Paralysi sensim diminuente, malum sensim quoque abiit.

Sed postea denuo perterrefacta & cephalalgiâ correpta, malum istud altiores egit radices, quia non tantum vesica de novo dysuriâ fuit correpta, sed etiam intestina, idque eadem tensione & paralysi, nam hoc vel illud intestinum angustius fiebat; hinc ciborum solitus transitus fuit denegatus. Deinde ob tensiones & spasmos, species quasi Hystericæ passionis; paralysi quippe aliquando convulsiones adjunguntur.

Quod urina sit pallida &c. signum est cibos non bene digeri, hinc chylus crudus, & sedimentum album.

Paralysis scorbutica. Quidam Baro agens annum 62. juventute tam mari quam terrâ per plurimos annos semper in itinere fuit, cum optima sanitatis dispositione.

Postea iterum Stadii otia renovavit. ante 22. annos valetudinarius factus, usus aquis Spadanis ut & Granensium, tum bibendo, tum balneando, sed sine solamine, ideoque Medicum Hollandicum consuluit, qui dicebat, Morbum esse scorbuticum. Ideoque antiscorbutica sumpsit, & intra duas septimanas restitutus fuit, deinde ad priora studia se contulit.

Nunc vero ante sex annos incidit in Paralysin dextri lateris, unde non nisi cum difficultate incedere valet: sed usu antiscorbuticorum, iterum ad priora negotia se comtulit.

Sed undecim aut duodecim mensibus elapsis, in novam paralysios speciem incidit: verum in tempore usu remediorum, reconvaluit. Ast memoriam læsam retinuit, quæ nunc ferè restituta. Ast, quod maximum, Cephalal-

giam

griam quotidie patitur, cum omnibus signis scorbuticis. Cætera, quæ habet, scorbuti symptomata, sunt spasmus, visus obscuritas, sed aliquando melius se habet, non obstante senectute, sine perspicillo legit, non autem clarè ut quidem ante.

Annotandum, quod hora una post quam patiens è lecto surrexerit, dolor capitis gravior sit, qui post meridiem diminuitur, ita ut ad officia obeunda promptior sit. Hucusque ille casus.

Iter faciendo æger se bene habuit, quare, quia in continuo corporis exercitio erat. Ast cum se studiis addicebat, succi omnes, antea mobiles, nunc lentorem quendam contrahebant, unde nervorum, cerebri, unde veniunt, obstructiones, hinc paralysis, spasmi, oculorum obscuritates &c. succis aliquando in cerebro stagnantibus, oriebatur Cephalalgia, quia acorem & acrimoniam contrahebant.

Præscripsi Vinum medicatum ex Betonicâ, Majoranâ, Salviâ, Roremarino, Thymo, Lavendulâ, &c. quibus convaluit, sed post duos annos Padernornæ ex Apoplexia obiit.

Ad capitis morbos etiam EPILEPSIA refertur, quæ est derepentinus totius corporis nervorum convulsivus motus, aliquot dies, menses aut annos intermittens, deinde rediens, quo functiones spirituum animalium, læduntur, atque ita æger inscius in terram vi quasi & insciens prosternitur: convulsio hæc non tantum est in nervis totius corporis, sed & in ipsis musculis. Nempe spiritus isti in fibras musculosas excurrunt quibus fibræ sanguinem continentes ita inflantur, ut ipsæ venæ, musculos percurrentes comprimantur, minorque sanguinis copia pertranseat, quam ab arteriis affluebat, qua de causa musculi tumidiores fiunt & per consequens breviores: Hic itaque læduntur spiritus animales & consequenter cerebrum cum nervis appendentibus. Ea est *Hæreditaria*, *Idiopathica*, quando per se subsistit: vel *Symphatica*, si ab alterius partis malo proveniat, uti à Liene, Hepate, Utero, Ventriculo, Intestinis, &c. hanc ob rem nervi eorumve plexus in principio, medio aut fine irritantur. Epilepsia.

Differt quoque à symptomatum enormitate ab invicem: alia enim gravioribus symptomatibus & pluribus stipatur quam alia. Tempus quoque durationis vel breve est vel longum.

Signa præeuntia sunt capitis gravitas, oculorum coruscatio, vertigines, aurium tinnitus, præcedens spasmus in hoc aut illo membro, qui quasi vapor frigidus ascendit, oscitationes, sternutationes, odor rerum fœtidarum, &c. Hæcce in præsenti sequuntur in terram prostratio, dentium stridor, de se ipso æger nihil conscius est, ori & naso spuma adest, caput huc illuc agitatur, contrahuntur manus & pedes, oculi prominent & cirumagitantur; adest clamor & velut ululatus inconditus; quidam manibus pectus pulsant; Respiratio penè suffocatoria est, excernuntur semen, stercora & urina invitè &c. De causis hic nihil dicam, quoniam hanc telam in *Institutionibus* satis superque absolvi.

Hæreditaria cum ingenii obtusitate, & post pubertatem veniens, nunquam aut raro restituitur. Quando barbam alere incipiunt, aut menstrua fluunt,

per ſe aliquando ſanatur. Nam poſt utriuſque pubertatem ſeminalis materia ſanguini & ſpiritibus vigorem addit ac ſtatum perfectiorem; imo & acidum acre temperat. In principio ſæpe curatur, ſed ſi inveterata ſit, rariſſimè, quia canaliculi cerebri illam diſpoſitionem pororum acquiſiverunt, per quos Materia epileptica facile tranſit: *principiis* itaque *obſta*. Febris (inquit *Hippocrates*) convulſioni ſuperveniens, melius eſt quam convulſio febri. Vide obſervationes *T. Bartholini*, *cent* II. Hiſt. LXVIII. In paralyſin mutari poteſt, ut & in Melancholiam, Maniam: ſi caſu ab hac aut illâ parte veniat, ſæpe ſanatur.

Indicatio duplex eſt: ut Paroxyſmus abbrevietur quantum poſſibile ſit: deinde ceſſante paroxyſmo, ut cauſæ tollantur. Omnia itaque *acidum temperantia*, ut *oleoſa volatilia* ut & *ſalia volatilia* conveniunt, quæ in *Cephalalgiâ* & *Apoplexiâ* deſcripſimus.

In Paroxyſmo *frictiones*, præſertim, ſi fuerit longæ durationis, circa ſuturam coronalem, ſunt adhibendæ, ut & *linimenta*, *vincula*, *Vellicationes*, *Membrorum extenſiones*, *oris dilatationes*, &c. admovetur *Spiritus ſalis armoniaci* naribus, tunc aliquando ſtatim paroxyſmus ceſſat, & ſurgunt, & ſi hoc medicamine paroxyſmus non profligetur, per ſe ceſſare debet, quia nihil potentius.

Extra paroxyſmum aliquando *Purgationes*, uti & *Vomitiones* conveniunt, quas hic non deſcribam, quia vulgo ſatis conſtant: addantur quædam *Antepileptica*, ut, *Caſtoreum*, *Spiritus ſalis armoniaci*, *Oleum roriſmarini*, *Oleum ſuccini*, *Sapo venetus*, *Oleum rutæ*, &c. Hiſce peractis formulæ quædam præſcribantur, quibus materia Epilepſiæ dometur: ut

Recipe Cinnabaris nativæ, *drachmam ſemis.*
Coralli rubri,
Margaritarum,
Croci, *ana drachmam unam.*
Miſce fiat Pulvis.
Doſis à granis ſex ad viginti cum vehiculo convenienti: vel,

Accipe Spir. Liliorum convallium. *Uncias quatuor.*
Salis Armoniaci, *drachmas duas.*
Tincturæ Caſtorei, *drachmam unam.*
Miſce, cochleatim. vel,

Sume Terebinthinæ Venetæ,
Saponis Veneti, *ana drachmam unam.*
Balſami Peruviani, *guttas ſex.*
Vitelli ovorum, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Conditum.
Doſis drachma una. vel,

Miſce

Misce Terebinthinæ Ven. coctæ,
Salis Succini Volatilis,
Oculor. Cancri, *ana drachmas duas.*
Castorei, *scrupulum unum.*
Cinnabaris Antimonii, *scrupulum semis.*
Vitrioli Martis, *drachmam semis.*
Florum Salis Armoniaci,
Salis volatilis cornu cervi, *ana scrupulum unum.*
Fiat pulvis.

Dosis, à granis quadraginta ad sexaginta, bis singulis diebus exhibeatur. vel,

Sume Rad. Angelicæ, *unciam semis.*
Fol. Rutæ,
Salviæ, *ana Manipulum unum.*
Flor. Lavendulæ, *pugillum unum.*
Limaturæ Chalybis, *uncias duas.*
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi, *ana drachmam unam.*
Vini optimi, *libras quatuor.*
Misce fiat Vinum Medicatum.
Dosis ad drachmas duas mane & vesperi.

Non est vitio vertendum, me non præscribere *Radices, Flores & Semina, Pæonia*; *Viscum Quercinum*, *Rasuram Cranii Humani*, ejusque *Muscum*, *Ungulam Alcis*, *Unicornuve Gronlandicum*, sane si quis rem bene perpendat, ejusmodi remedia non tanti æstimabit, ad ipsum enim sanguinem non penetrant.

Pueri sæpe falluntur *Sapone Veneto* crustulis incocto, aut dulci lacti admixto. Mixtura quoque sequens conveniet: ut

Recipe Spir. Rutæ,
Liliorum convallium, *ana unciam unam.*
Vini, *uncias sex,*
Cornu Rhinocerotis, *drachmam semis.*
Misce.

Quidam integrum caput radunt, eique imponunt *Emplastrum* ex *Castoreo*, *Tacamahaca*, *Caranna*, *Balsamo peruviano*, &c. aut sub capillitio *Cucupham* habent, ex *Lavendula*, *Castoreo*, *Ruta*, *Salvia*, *Betonica*, *Thure*; *Caryophyllis*, *Cinamomo*, *Oleo succini*, &c. Salivationem quidam præscribunt cum successu.

Vermes

Vermes si adsint, ut in pueris, *Anthelminthica sunt usurpanda.*

Sunt, qui non sine ratione, castrationem præscribunt: nam hoc modo totius sanguinis crasis immutatur, sed quoniam licitum non est, ad eam non est descendendum.

Si convulsio à quopiam viscere aliove loco instar frigidi vaporis videatur ascendere, ibidem loci *cauterium* est applicandum, aut moxacomburenda: Quidam capitis vulnere liberatus est, utique *Trepanum* etiam hic locum habere posset. Quidam cauterium applicant ubi sagittalis sutura coronalem attingit. Essem in ea quoque opinione, quod omnes illi, quos *Dominus Christus* in Instrumento novi fœderis sanaverit, nomen à Diabolo obsessorum aut Lunaticorum habentes, fuerint Epileptici, aut Maniaci, uti ex circumstantiis ibidem relatis, satis conjicere est. Porro in tota Epilepticorum cura nihil melius expertus sum quam *spiritum cornu cervi* & *Lunæ tincturam*, ut & *saponem venetum.*

Henr. ab Heers refert de puellâ nubili, quæ ab ebriis duobus ad stuprum sollicitabatur, unde in epilepsiam ex subito terrore & animi consternatione incidit: observabat illam duos utriusque pedis pollices confricare, &c. loca statim ad os usque butyro antimonii devorabat, & paroxysmi, qui à cerebro fiebant, planè cessaverunt.

Epilepticæ Historia.

Anno 1675. mense Aprili, contigit in Frisiâ, in pago, nisi fallor, *Husum*, puellam epilepticam videre, quæ locum è regione lienis notabat digito, unde Epilepsia originem habebat: locum designatum exussi lanugine Moxa dicta, nempe tempore paroxymi, & restituta evasit.

Idem Experimentnm Embdæ feci, cum ibidem casu eram. Epilepticus de origine in sinistro pollice querebatur, in ipso paroxysmo pollicem ferro candente ussi, & ab eo tempore sanitati restitutus fuit.

De infantium Epilepticis motibus.

INFANTES RECENS NATI, INSULTUS EPILEPTICOS ETIAM NON RARO PATIUNTUR, qui non sine vitæ discrimine sunt; vel adultiores facti, sæpe quasi delirant, vel stulti & stupidi fiunt: quia cerebri fibrillæ hisce motibus non tantum magnoperè convelluntur, sed aliquando rumpuntur, hinc ingenium labefactatur. Aliquando per totam vitam hanc labem, sub nomine *Epilepsiæ*, retinent. Causa eadem est ac de *Epilepsiâ* superius dictum. Videntur tribus gradibus ab invicem differre, itaque alius alio gravior. *Prior gradus* potissimum est in musculis faciei, capitis & oculorum, qui è nervis tertii, quarti, quinti, sexti & septimi paris ramulos nanciscuntur. In *secundo* gradu non tantum enarrati musculi patiuntur, verum & musculi brachiorum, manuum, crurum, & pedum, idque à nervis qui è medullâ spinali ad has partes tendunt. In *Gradu tertio* etiam viscera imi ventris sursum trahuntur. Tres illi gradus, vel omnes simul se produnt, vel pro parte. Variæ quoque differentiæ sunt observandæ, quod symptomata, quam quoad causas. Symptomata etiam sunt diversa, pro diverso gestu, quem edunt; *primo* videntur ridere, qui risus postea in motus convulsivos mutatur. *Secundo*, nullam vocem aut ejulatum, &c. edunt; & alii è contra caniculatum in modum ferè latrant, pro diverso oris aut laryngis musculorum motu. *Causæ* esse possunt alimentum perversum, Terrores, Dentitiones, morbi &c.

hisce

hisce & hujusmodi, membranæ, nervi &c. facile motuum anomalias incurrunt. Ipsæ sæpe matres causa motibus epilepticis infantium existunt: tempore enim gestationis habent, nescio quos, appetitus perversos; quibus alimentum fœtus pervertitur, & acorem contrahit, itaque post partum ventriculus acido plenus est, & omne lac ingestum acescit & in partes secedit: ut & matrum lac, quia acido turgent, in infantium ventriculis facile acescit, hinc sanguis & succus nervosus pravus; sic facile ventriculus & intestina convelluntur, contrahuntur, & per consequens systema nervosum.

Sic tempore dentitionis, idem malum dentibus accedit, quia membranas, sub quibus dentes primo latebant, perterebrare coguntur, hinc succi illas liberè petransire nequeunt, sicque resiliunt versus cerebrum, acorem contrahunt, ac tandem motus convulsivos inferunt.

Si infantes imbecilles sint, eadem spirituum eclipsis oriri potest, hinc illud *Hippocratis*. sect. VI. Aphor. 39 *Convulsionem fieri ex repletione, aut inanitione.* Nam si fibrillæ nervosæ, à materiâ Heterogeneâ influente ad titillationem & compunctionem instigetur, rigidis istis particulis, ipsæ fibrillæ comprimuntur, ex quibus earum tunicæ erant conflatæ, quâ earum systoles & diastoles vices augebantur, & per consequens earum motus: quoniam porro tanta spirituum copia tam citissimè affluere nequit, quam prius exprimebatur, Eclipsis quædam producitur, ut in *Institutionibus* de Epilepsiæ causis dictum. Et si contingat, ob morbos, ægritudines aut alias nullos aut paucos generari spiritus, nihilominus tamen quidam furtim quasi transeunt: nam si planè nulli segregentur, potius soporosus orietur affectus, quam convulsio. Contingit itaque, ut dictum, nonnunquam quidam generari, qui, particulis pungentibus turgentes, fibras nervosas vellicant, atque motum involuntarium concitant, quapropter, ob spirituum defectum, puerorum & infantium motus convulsivi producuntur.

Quamvis in adultis periculo vacat, contrarium tamen infantibus evenit, quia canaliculi cerebri tenelli facilius vehementi illo motu læduntur quam in adultis: & si planè læsi aut abrupti non sunt, tamen velut paralysi laborant, ita ut postea ingenio stupidi evadant, vel semi delirantes.

Si aliquando redeat, quod quidem fit, non raro ad pubertatem usque extenditur, & si tunc non cessat, ad finem usque vitæ continuatur: quia, si infantes aut pueri diu motibus convulsivis detenti fuerint, canaliculi cerebrales admodum ampliantur, & recipiendis particulis heterogeneis adaptantur. Sed quare morbus iste aliquando circa pubertatis tempus cessat: quia spiritus animales tunc in majori vigore sunt, & particulæ sanguineæ volatiliores fiunt, & diaphoresis augetur: atque hæc fieri ex semine & menstruis apparet, quæ non essent, si motus succorum intestinus non fuisset auctus: quid igitur potentius est domandis particulis heterogeneis, quam sal illud succorum volatile? & quid diaphoresi utilius hosti sub jugum mittendo foraſque expellendo? Verum si sub hoc tempus morbus non cessat, manet semper, quia vires & vigores ab hoc tempore iterum magis magisque diminuuntur.

Descendamus ad ipsam curationem. Si morbus veniat ab objecto quopiam

piam externo, uti à terrore, pueri aut infantes nunquam sunt terrefaciendi. Si à pulte acescente, recens semper substituatur oportet. Si à lacte, quod sugunt, lactantes animi pathematis, acidis & frigidis se abstineant, ac volatilia quædam sumant. Si à causâ internâ, malum è sanguine, & succis est expellendum: sed in paroxysmo ea sunt adhibenda, quæ paroxysmum pellunt. Ad curationem potissimum pertinent, quæ acidum moderantur & viscidum è corpore pellunt, nobisque multum salis volatilis oleosi & aromatici elargiuntur: ut sunt

Acorus, Angelica, Contrajerva, Betonica, Ruta, Rosmarinus, Thymus, Majorana, Salvia, Crocus, Lavendula, Lilium convallium, Sinapi, Coriandrum, Cardamomum minus, Careum, Caryophylli, Macis, Nux Moschata, Cinamomum, Ammoniacum, Assafœtida, Caphora, Castoreum, &c

In Paroxysmo admoveatur nonnihil *Spirirus salis armoniaci* naribus, aut *cæpam* recens dissectam, tunc statim, si secundo omnia vento fluant, ad se redeunt: si non, omnia esse adversa signum est. Interim refocillentur sequentibus: ut

Recipe Spir. Liliorum Convallium,
Aquæ Melissæ, *ana uncias duas.*
Tinct. Croci, *unciam semis.*
Spir. cornu cervi, *guttas sex.*
Misce. vel,

Misce Spir. Rutæ,
Vini Hispanici, *ana uncias duas.*
Tinct. Castorei, *unciam semis.*
Spir. Salis armoniaci, *guttas sex.*
Detur usui.

Utræquæ istæ mixturæ per semi cochlearia dari possunt. vel,

Sume Tinct. Moschi, *drachmam semis.*
Succini,
Elix. citri, ana *uncias duas.*
Spir. Eboris, *drachmas duas.*
Misce.

Guttas aliquot subinde cerevisiæ admisce, aut alio cuivis vehiculo.

Multi *Setacea* instituunt, ut & in brachiis *Fontanellas*, sed qui circulum novit sanguinis, omniaque bene perpendit, Medicinas hujusmodi inutiles ridebit. Hic quidem *Hysterica passio* esset pertractanda, quia ad motus nervorum convulsivos pertinet, verum quia in superioribus, cum de uteri morbis agebam, illam telam absolvi, materiam illam hic non attingam.

Ad cerebri morbos etiam MEMORIA LÆSA refertur; atque ea est, quando quis difficulter aliquid memoriæ mandare potest; vel rem mandatam, facile obliviscitur; vel quidquid mandavit, non nisi quam per partes enunciare novit. *Signa* & *differentiæ* sunt, quando in pueritiâ tardè discunt, &

& tardè loquuntur, quæ sunt prognostica sæpe imbecillis memoriæ; & si judicium bonum non adsit *Imprudentia* dici meretur. Etiam per dispositionem hæreditariam fieri potest: aut per senectutem, aut cerebri in aut extra partum læsionem, verberibus, ictu, casu, &c. Ergo cerebrum læsum est ut & spiritus animales.

Quamvis causas in Institutionibus nostris satis superque explicaverim, nihilominus tamen, ea hic loci addam, quæ ibi non explicata & omissa sunt. Licet quis memoriam admodum fixam habeat, tamen ob plurimas occupationes, sæpe res perceptæ facile evanescunt, quia motus rei perceptæ impressionem satis altam & notabilem non relinquit. Memoria enim videtur fieri, quando spiritus ab organis sensuum externis per commune αἰσθήριον, corpora striata, corpus callosum in corticalem substantiam insiliunt; ibique impressionem indelebilem relinquunt. Verum si non sit cum attentione, facile & citò evanescit, & tunc *Oblivio* vocatur. Anima enim ad unicam rem tantum, simul attendere potest, itaque si diversi motus simul animam intrent, hoc aut illud, aut quidem omnia eodem momento obliviscuntur. Causa etiam latet in viis aut spiritibus. Viæ etiam esse possunt nimis angustæ recipiendis in sufficienti quantitate spiritibus, sive cerebrum sit, ob cranium nimis compressum, angustatum, sive ob ventriculos nimia succi viscidi copia pressum. Compressio cranii fit in partu, aut accidentaliter casu, verberibus, ictu, &c. quapropter motus sufficiens ab animâ non recipitur; hinc nullum quoque judicium. Spiritus ipsi peccant, quando sunt nimis debiles, aut vapposi: vel quandò eorum, est defectus; vel cum è sanguine particulas heterogeneas & cerebri canaliculis non congeneres sibi adsciverunt, quod facile à senectute, morbis soporosis, aliisque morbis oriri potest. Poro senectus, narium, mensium, Hæmorrhoidum &c. ut & jugis venarum sectio, venus, morbi chronici, nimius opii usus, vigiliæ, seriæ in rebus altis continuæ cogitationes (unde *Catalepsis*) &c. spirituum ductus, & consequenter memoriam hebetant, obtundunt.

Raro curam admittit, præsertim si dispositio sit hæreditaria, ex senectute, mala cerebri aut cranii conformatione, &c. sed si post morbum relicta sit, spes est.

Si veniat, ex sanguinis visciditatibus, blandis catharticis, multum pituitæ expurgatur. Deinde, quidquid pituitosum, salibus volatilibus oleosis, in motum ducatur oportet. Si veniat ex nimiis occupationibus, optimum erit, eas aliquomodo declinare. Quæ accidentalis est, ex verberibus, ictu, lapsu, depressione cranii, &c. manu chirurgicâ restitui debet. Quæ ex loquendi timore oritur, vinis aromaticis audacitas nanciscitur. *Purgantibus* aromata adsint, ut *Castoreum*, *Caryophylli* &c. Capiti *cucupha* ex *Castoreo*, *Caryophyllis*, *Iride*, *Majoranâ*, *Roremarino*, &c. imponatur. Conveniunt hic *Masticatoria*, *Sternutatoria*, *Errhina* &c. sequentia erunt quoque felicis usus: ut

Recipe Thuris,
Piperis nigri, *ana partes æquales.*

Fiat Pulvis.

Detur tempore sex Hebdomadarum, singulis diebus, matutino tempore drachmam unam. vel quod sequitur:

Accipe Fol. Rorismarini,
Salviæ, *ana Manipulum unum.*
Zingiberis,
Thuris, *ana unciam semis.*
Caphoræ,
Sem. Sinapi, *ana drachmas sex.*
Spir. vini optimi, *uncias quadraginta.*
Misce fiat Vinum Medicatum.

De quo matituno tempore quotidie sumatur integrum cochlear.

Si itaque nihil procedit (quod rarum non est) ad decocta cephalica vulgo itur: sed eorum ingredientia potius sorberi possunt, uti nunc Thea solet, fiat igitur collectio ex *Sassaphras*, *Salviâ*, *Betonicâ*, *Lauro*, *Majoranâ*, *Pulegio*, *Floribus Lavendulæ*, *Croci*, &c. Quidam Emplastrum aromaticum supra caput gerunt, &c.

Phrenitis & paraphrenitis. In superioribus cum de *Febribus* mihi enarratio erat, nonnihil quidem de PHRENITIDE & PARAPHRENITIDE scripsimus, uti & in *Institutionibus* nostris, verum totam curationem non dedimus. Nihil aliud est quam febrium tam continuarum, quam intermittentium Symptoma, sed in intermittentibus tantum *delirium* adest: & in continuis Mania quædam sæpe adesse consuevit. Est ergo delirium, cum febri continuâ, sæpe cum furore ac irâ effusâ. Hæc itaque dicitur *Vera* vel *notha*. *Vera* est cum vehementibus Symptomatis, sive vel cum malignitate &c. Quoad *signa* sunt Febris continua, Vigiliæ, Deliria effræna, Spirandi difficultas: pulsus sæpe parvus est, vel durus, aut celer: lingua scabra, aliquando aliquid ante oculos videtur volare, sæpe cum quieti videntur, floccos quærunt &c. in *Paraphrenitide* seu *notha* major est spirandi difficultas.

Causæ sunt sanguis, qui propter crassitiem quandam succum cerebralem effero, quam decet, modo, transmittit, & ejus vice laticem subtiliorem ac acriorem percolat, qui, cum plus justo à subtili materiâ movetur, ἀνομάλως, cerebrum ac nervosum systema irradiare potest: hinc cerebrales canaliculi diversimodè aperiunntur, unde cogitationes innormes ac inconstantes formantur, quibus inordinate elocutis, delirium febricitanti adesse indicatur: & quia corpus magis mechanicè movetur quam mentis voluntate, hinc est quod prolata & acta post restitutionem obliti fuerint. Motis porro hac materia musculis, robustiores sunt quam alias, nullum enim metus judicium habent. Porro quid *Febris* sit, ante diximus. Si materia illa crassa magis cerebellum invaserit, *Paraphrenitis* dicitur, tunc enim nervi versus organa respiratoria euntes obstruuntur, gravantur & conturbantur. Præter hæc sanguis potest esse adeo incrassatus, ut pulmones & cor pertransire non possit, nisi eum magnâ difficultate: musculi enim, respirationi inservientes, obstruuntur.

tur, aut ſpaſmo afficiuntur, hinc reſpiratio ferè ceſſat quomodo floccos quærunt, conſule ſuperiora.

Cadaveribus poſt mortem apertis in cerebri ventriculis non raro non parum humoris acris & rodentis ſolet inveniri. Putabant olim meninges inflammari; ſed ubi inflammatio ibi tumor; ſi tumor adſit, is amplius requirit ſpatium; itaque hoc tumore cerebrum ejuſque canaliculi obſtruerentur, & omnis tranſitus ſpiritibus præcluderetur; hinc potius Lethargus quam Phrenitis naſceretur. Neque Paraphrenitis, ex diaphragmatis inflammatione eſt, ſed à cerebello pereſo & per conſequens ulcere obſeſſo.

Signa prognoſtica ſunt: quod morbus hic dubius ſit, & periculo plenus. Junioribus & ſucci plenis, minus erit vitæ diſcrimen, quam exuccis & ſenioribus: ſi intermiſſiones habeat, præſtat, quam contrarium: ſi poſt ſomnum furor non ceſſet, atque excrementa alvina ſint albi coloris, malum: ſi floccos quærant de ſtragulis, ſæpe lethale eſt. In Lethargum; Maniam, & Melancholiam, omnium rerum præcedentium totalem oblivionem &c. aliquando tranſeunt. Si Febricitantium urina craſſa, tenuis redditur, ſæpe prognoſtica ſunt Phrenitidis. Sudor ſpontaneus ac lotium copioſius febrim ſolvit. Paraphrenitis, ob reſpirationem magis læſam, phrinitide periculoſior eſt. Pallida urina, cum continuis narium Hæmorrhagiis, advenientibusque vomitu, ac convulſionibus, mortem indicant, futurum.

Primo inſiſtendum ut motus ſpirituum inordinatus ceſſat: remedia eum in in finem ſunt Medicamina ex opio præparata: deinde *volatilia* quæ acidum ſanguinis domant, ac eundem motui debito ac fluori reſtituunt: atque inter hæc *ſudorifera* primum locum tenent: interim ſymptomata ſunt reſpicienda. Opiata itaque ſunt Sudoriferis admiſcenda, ex:gr: ex opio *Caphora*, & *Vino* ſi fiat Hauſtus. Vel ex *Vino*, *Spiritu Salis Armoniaci*, *Caphora* & *Opio*. Si ab hiſce æger ſatis citò ſolamen non ſentiat, *Opii* quantitas eſt augenda; ſed prima inſtantia prudenter opiatis inſiſtendum, ne in Lethargum incidant. Quidam *venam* frontis *incidunt*, ſed hoc ridendum; fiat, ſi opus, in brachio: omnes enim venæ ad eundem fontem redeunt, ab eoque iterum procedunt. Si alvus non ſatis reſpondeat, *Enemate*, aut *Suppoſitorio* aperiatur. Supplantalia ex *Sapone*, *Sale*, *Ruta*, *Fermento Acido*, *Aceto*, &c. pedum plantis alligentur. Tempora illinantur *Caphora*, *Opio* & *Spiritu Vini*. Fronti lintea *Spiritu Vini Caphorato* madida applicentur. Quidam Capiti Columbam aut gallinam vivam recens diſſectam applicant; quarum calore & ſpirituoſitate non raro optati ſucceſſus expectantur. Cordis regioni etiam linteamenta ſpiritu vini madida admoveantur. Pro potu detur decoctum ex *Scorzoneræ Radicibus*, *Cornu Cervino*, *Corticibus Citri Recentibus Meliſſæ Foliis*, *Papaveris Semine*, *Sale Prunellæ*, &c. vel fiat decoctio ex *Corticibus Citri* cum aquâ, cujus colaturæ admiſceas *Spiritum Cornu Cervi* cum nonnihil *Vini*. Similes enim potiones ex ſale volatili oleoſo conſtant, hinc eſt quod ſanguis & ſpiritus reficiantur, ac fluidiores reddantur; quorum quoque uſu diaphoreſis promovetur. Pudendo, non reſpondente lotio, fomentum aplicetur ex *Chærefolio*, *Hederâ Terreſtri*, *Petroſelino*, *Parietariâ* & lacte dulci.

Gg 3 Ceſ-

Cessantibus hisce symptomatis vino quodam, cerebri imbecillitatem restaurante, utatur ex *Vino Rhenano Veteri*, *Caryophyllis*, *Macere*, *Galanga*, *Chalybis Limatura* &c. *Thomas Willisius*, *Magnus illi Doctor & accuratus scriptor* phreneticam Ancillam in aquam conjicere jussit, & statim sanata fuit: hujus rei causa erat, quod sanguini in majoribus vasis fortior erat motus quam in minoribus: hinc in majoribus ob frigiditatem retardabatur; hinc sanguis in majoribus non fortiter comprimebat eum, qui in minoribus continebatur, atque sic motus æqualitas, & symptomatum enormitatis cessatio.

Melancholia, sive delirium in quo continuo idem repetitur.

Perveniamus nunc ad morbum, qui ab Antiquis MELANCHOLIA dicitur, sed meo Judicio malè; hic non peccat *Atra bilis* seu Μέλαινα χολὴ, sed est morbus Judicii, sive unius rei continua & repetita cogitatio, cæterum alias sani sunt, & officio bene fungentes. Definitur vulgo, quod sit *Delirium*, in quo ægri sine manifestâ re Tristes sunt & Timidi, cum imaginatione rerum horrendarum, & aliquando ridiculum, cum cogitationum multitudine, unam rem sæpe repetentes. Advenit itaque is mobus cum Tristitiâ, stultitiâ, aut enormi delirio: vel delirant de rebus divinis aut Diabolicis, putantes non posse esse beati, vel à Diabolo obsessi: vel delirant de rebus humanis & creatis, quando imaginantur quod sint Reges, aut mortui, non habere caput, aut nasum; vel nates habere vitreas, non audentes sedere: aut granum esse tritici, fugientes gallinas, ne ab iis devorentur, &c. de causis consule *Institutiones nostras*. Quidam continuò ita delirant, sed alii intermissiones habent: aliquando brevi curantur, alii tardè, alii vero nunquam, Si morbus iste subitò adveniat facilius curatur, quam qui à longo tempore. In Maniam sæpe mutatur, aut in convulsiones, Paralysin, Apoplexiam, vel in violentam mortem.

Curatio hic immediatè ipsum morbum respicit: deinde causæ præcedentes sunt examinandæ: atque hic porro vires sunt pæservandæ. Quoad correctionem humorum, volatilia oleosa & aromatica, ut & acidum temperantia sunt quidem in usum vocanda: sed arte & dolo potissimum curantur, quia non est morbus corporis, sed Judicii, sunt alias sani & ad omnia negotia satis expediti. Admonitiones itaque fiant callidæ & dolosæ: aut divertantur sodalitiis jucundis, aut studiis, aut iter cum aliis per mare aut terras faciant, ut rerum enormium obliviscantur. Ne sint soli, ut & priores phantasias repetant. Sic, si putant habere nullum, caput ei imponatur plumbeus pileus, aut colaphum malis injunge, tunc gravitatem pilei sentiet satis, & colaphi dolorem, ita facile se ἀκέφαλον non esse concipiet. Si granum tritici imaginantur esse, subitò & ex improvisò aliquot gallinæ in cubiculum mittantur, in quo est, januaque claudatur: similesque technæ sunt admoliendæ, ut imaginatio falsa tantum divertatur. Sic illi, qui continuo & tam diligenter Ecclesiam publicam & Catecheseos examina frequentant, etiam in ejusmodi deliria sæpe incidunt, putantes neminem esse sapientiorem aut doctiorem quam eorum sodalitium; & qui cum illis unanimes non sunt, ejusdem consortii, exulant, & pro insipientes habent: ac si non possemus esse Hilares, Deumque laudare &c. absque tristi, fucata, factitiâ illâ facie; non constat itaque nostra salus & summum bonum in verbis fictitiis, veste simplici atque in continuâ suggesti præsen-

ſentiâ; cum interim faciem repræſentant invidam ac viperinam, paſſionibus inæquales, &c. plenam.

Transſeamus porro ad MANIAM ſive FUROREM. *Mania* itaque eſt delirium, cum effræni iracundiâ, abſque febri aut Metu. Venit vel caſu; perverſâ Diætâ, Hæreditate. Aliquando cum maximâ Iracundiæ ſive Furoris Effervescentiâ ſive incandeſcentiâ. Sæpe per intervalla venit, præſertim verno aut autumnali tempore: aliquando perpetua eſt, aut brevis, aut longa, vel mediocriter longa. Phantaſmata eorum turgent in inquietis ac effrænis cogitationibus, quas noctu dieque tacitè murmurando apud ſe, aut altâ voce & clamore ſæpe repetunt. Eorum perceptio eſt deformata, falſa atque erronea. Deliriis ejuſmodi maxima non raro adeſt audacitas, furor effuſus, ac virium robur immanis imo incredibilis. Mania.

Cauſas hujus morbi ſatis ſuperque in *Inſtitutionibus noſtris* dedimus, itaque crambem bis coctam hic ſecundâ vice non apponam. Ad *prognoſin* itaque eamus. Per ſe lethalis non eſt, verum curatu difficillima; invetrata, Hæreditaria, aut è morſu canis rabidi contracta non niſi rariſſimè curationem admittit. Ab externis cauſis, ſi inſequantur febris, ſcabies, puſtularum effloreſcentiæ, Hæmorrhoides, Varices, Hydrops, Hæmorrhagiæ, &c. facilius curatur quæ per intervalla venit, æquinoctiali tempore & diebus canicularibus maximè ſævit. Quæ ridendo advenit & ſymptomatis blandis, facilius quam cum furore effuſo curatur.

Cum Mania ſit duplex, nempe *continua*, aut *intermittens*, etiam *Intentio* ſit duplex oportet; una eſt ut Furor ſedatur, & altera non tantum ſedatur, ſed extra paroxyſmum allaborandum, ne redeat, extirpetur. *Intentio* ergo eſt *curativa*, *præſervativa* & *vires roborantia*. Specifica, ut vulgo appellantur, ſunt ut in Melancholiâ, Phrenitide &c. dictum. Primo itaque æger diſciplinâ & minis eſt cohibendus, uti & vinculis, verberibus; atque ſi hiſce furores non moderentur Morotrophio ejuſmodi Homines includendi: ut tempore à Medicis & miniſtris, ad illam curationem conſtitutis, debito modo tractentur. Atque hoc modo metui ſenſim ſenſimque auſcultantes fiunt, & fræna temperantibus ſubjiciuntur: hiſce eo uſque ductis etiam ſpiritus efferi refrænantur atque compeſcuntur. *Venæ ſectione* largâ hic ſummoperè opus eſt, quia deprompto ſanguine, ſpiritus æſtuoſi felicius temperari nequeunt: ſic quoque vinum ſecundo aut tertio effervescens, citius quieti non reducitur, niſi prius in aliud dolium depromatur. Sic *Purgationibus* & *Vomitionibus* aliquando repetitis etiam ſpiritus indomiti facile ad quietem componuntur. Conſtent itaque ex vehementioribus, quam ſolet: nam eâ de cauſâ à circumforaneis, minus prudentibus, facilius curantur quam à Medicis ad rem nimium attentibus.

Porro ad *Præſervationem*, quædam frigida ac acidum temperantia exhiberi poſſunt, ut pulveres ex *ſale prunellæ*, *corallis*, *Caphura*, &c potus ſit tenuiſſimus. Capiti etiam *lavamenta* admoveri poſſunt, ex *ſpiritu vini*, *ſale prunellæ* & *caphorâ*. Aut ex *aqua roſacea* & *ſale ſaturni*: aut tempora illinatur *unguento populeo*, *oleo papaveris* & *nymphææ*, cum *opio* & *Caphora*. Etiam exhibenda intus *opiata*: nam ubi motus nimius, ibi eſt compeſcendus, & è contra:

è contra: Compeſcatur itaque granis quatuor *opii*, cum *caphora*, *Lapide prunellæ* & *Vino*. Sunt qui capiti *Cauteria* applicant ut & *Veſicatoriâ* & *Trepana*, inſtituunt quoque *Arteriotomiam*, *Salivationem*, &c. ſed unicuique ſit liberum judicium.

Ceſſante Paroxyſmo (quod ſæpe fit, ſi furor ex amore fit, aut coitu prohibito, Furore uterino, denegatis menſtruis, &c.) omnia quæ acria ſunt ut acida, ſalſa, aromatica, & in diæta ſunt arcenda: procurandum tamen ut ſpiritus de novo generentur; quotidie quoque Temperantia ſunt exhibenda, ex *Oculis cancri*, *Vitriolo Martis*, *Caphora* (ut diaphoreſis procuretur) &c. ſi Aquis frigidis ſubito immergantur, procul omni dubio exinde curatio poſſet expectari. Si intermittens ſit, ante vernum, & autumnale tempus, ut & ante ſirium ſeu caniculam eſſet purgandum aut vomendum: imo converſatione ſociorum ejuſmodi perſonæ ab enormitatibus iſtis arceantur oportet. Fugiant ante omnia lites, iram &c. Sit corpus ſemper laxum. Bibat potius potum ex ſalviâ, Theâ, aut Coffeâ, quam cereviſias ſpirituoſas, aut vina eorumque ſpiritus.

Stramoniæ ſeminum effecta. Puellula octodecim menſium, & puellus triginta menſium (Amſtelodami in Platea *de Bloem-ſtraat*) caſu quodam *ſemina* invenerunt *Stramoniæ*, quæ comederunt. Brevi poſt Furore inſaniebant, omnia percutiendo, mordendo, unguibus in adſtantes inſiliendo, ut & pedibus in alios calcando, atque ſpumam ore agitando &c. Puellula paulo poſt ab horrendis convulſionibus obiit. Aſt Puellus poſt 24 horas reſtitutus. Dabatur ad vomitum concitandum oleum olivarum cum ſaccharo: enema injectum & cardiaca data, ut & decoctum ex ſcorzonera & Raſura cornu cervi, cereviſiæ loco.

Nucum Vomicarum effecta. Quidam loco pulveris oculorum cancri, ſumpſit, *nuces vomicas* pulveriſatas, (vulgo **kraan-oogen**:) hinc præcordiorum Anxietates, & quaſi venenum ſumpſerat; Ebrio ſimilis & Maniaco. Statim butyrum & oleum cum cereviſia calida datum, unde vomuit. Enema injectum ſudorifera, anodyna, & diuretica ſumpſit, ſudavit, & feliciter reſtitutus eſt.

Rabies Hydrophobica. Horum deliriorum ultimo hoc capite Tractetur RABIES HYDROPHOBICA ſeu HYDROPHOBIA, quæ maximâ ex parte motus convulſivus eſt, cum furore, aquæ & luminis metu, ſæpe cum delirio, febri aliiſque ſymptomatis, ortum habens ex morſu, ſpuma, &c. canis rabidi. *Signa* ſunt Anxietas; Inquietudo; corporis jactatio; Ira; æſtus & calor circa ventriculi & præcordiorum regionem; ſopor eſt abruptus; vigiliæ continuæ; adeſt aquæ metus & lucis aut luminis fuga; convulſiones; ſpaſmi Membrorum; Vox rauca, imaginatio falſa, judicium pravum; Vertigo, reſpiratio difficilis cum æſtu caloris; Oculi torvi, feroces; ac ardore flagrantes; Febris; Acutus dolor in parte morſâ; fauces anguſtæ; lipothymiæ; dentium ſtridor; ſingultus; Mania; os ſiccum; ſæpe faciei & aliquando totius corporis rubedo; ſudores; alvus aſtricta; Mordendi cupido; canum inſtar latratus; urina ſæpe nigra. Mirum & obſervatione dignum quod piſcatores vel nautæ narrant, eos ſemper circa maris fluxum magis furere, atque mordendo ſævire, at in maris refluxu omnia fieri mitiora; imo & vehementius furere, quo ſint mari

pro-

propinquiores. Et quod magis mirandum, quando ægro inſcio, in cubili clam cantharus cerevisiæ plenus, abſcondatur, nihilominus tamen ſymptomata magis exacerbari.

Signa *canis rabidi* hæc ſunt: Canis neque edere, neque bibere cupit. multum ſpumæ tam ex naribus quam ore prodit, unumquemque ſine differentia aggreditur, annitens eos commordere, tamen ſine allatratu; oculi apparent rubicundi & ignei: omnibus indifferens indiſcriminatim eſt. Cauda ei dependet, atque lingua (quæ ſæpe fuſci aut flavi coloris eſt) longiſſimè ex ore pendet: interdum celerrimè incedens, in hoc vel illud ſubjectum, quaſi incogitanter, illidit, deinde ἐξαφνῶς, alio tempore, ſiſtit gradum, & alii canes eum fugiunt. Signa canis rabidi.

Cauſa itaque *externa* erat canis rabidi morſus; atque hoc modo ab ipſius ſalivâ, ſive per vulnus morſum, ſive per os, nonnihil ſanguini noſtro communicatur: quare tunc tota ſanguinis maſſa inficitur, non ſecus ac tantillo fermenti acido integra farinæ maſſa acida redditur. Separatis itaque ex tali ſanguine in cerebro ſpiritibus, eorum ope tales quoque, uti in cane, canaliculi in cerebro aperiuntur: hinc ſymptomata, ut in cerebro aperiuntur: hinc ſymptomata, ut in rabido cane, ita in homine eadem ſunt. Et ſi materia ſubtili vehementer moveatur, Maniæ, deliria, vigiliæ, iræ, uti in *Mania dictum*, generantur. Huic porro ſi accedant acres & pungentes particulæ, Convulſiones, dentium ſtridores, dolores, lipothymiæ, ſingultus, & mordendi appetitus oriuntur. Spiritibus hiſce æſtuantibus ad pulmones euntibus, calore non amœno ſuffunduntur pulmones, cor, ventriculus; reſpiratio læditur; & convulſionibus factis mirus efficitur clamor ac geſtus, quibus ſpuma è pulmonibus quoque exprimitur: æſophagi muſculis ſpaſmo affectis, difficultatem humido deglutiendo pariunt; hinc iis injicitur metus potulenta deglutiendi, atque ea de cauſa aquam timent: non tam propter aquam, quam quia bibentibus nocet, poſt enim potum, ſtatim in convulſiones & ſpaſmos incidunt. De cæteris inſpice *Inſtitutiones* noſtras. Porro ſi Mania huic adjuncta adhuc in inſtanti ſit, ſpei ſatis eſt, & nihil timendum, alias vix aut nunquam; ſi aquæ metum incipiant habere raro curam admittunt, & quo magis inveteratus eo pejus; ſemper, non ſine contagionis tranſgreſſu periculoſa eſt. Primo momento ſtatim poſt morſum inſequuntur hæc ſymptomata, ſed aliquot ſæpe annos latuiſſe teſtantur Authores, eodem modo ac lues venerea, & Tarantulæ morſus.

Primo vulnus eſt reſpiciendum, & ſi ſymptomata quædam oboriantur, ea medenda ſunt. Hic conveniunt, quæ in Peſtis curatione præſcribuntur, nempe *Antidota* & *Sudorifera*. Si quis ergo ſpumam animalis rabidi attigerit, locum ſtatim mixtura ex *ſpiritu vini*, *caphura*, & *ſpiritu ſalis armoniaci*, abluet, & ſine mora *cucurbitulam cum ſcarificatione* imponet, ut hoc modo ex loco morſo trahatur venenum: ſed non ſine ratione venæ ſectio rejicitur, quia ex loco affecto in ipſam maſſam ſanguineam trahitur. Loco cucurbitularum alii *Veſicatoria* imponunt; deinde ſudoriferum potens propinant: ſudatio bis terve eſt quoque repetenda: ſumatur interdiu, ne diaphoreſis impediatur ſequens mixtura: ut

Recipe Spir. Liliorum convallium, *uncias duas.*
Rutæ, *unciam unam.*
Cornu cervi, *drachmam unam.*
Vini Hispanici, *uncias decem.*
Misce.

Si morsus suspicio sit, an vero ex rabido cane, an vero ab alio sit, hocce experimento constabit, sume micam panis triticei, eam imgerge aceto, vulnerique impone, deinde post duas horas gallinæ comedendam projice, & si deinde non moriatur, evanescit omne periculum: sin alias, & vulnus sit parvum, dilatandum est, & lavandum cum *spiritu vini caphorato* & *spiritu salis armoniaci*. *Lapidis serpentini* applicatio hic etiam non parvi erit usus, dicunt enim eorum applicatione serpentium venena foras extrahi. Vel *Cataplasma* imponatur ex *Cepis*, *Allio*, *Ruta*, *Sale*, *Melle* aut *Sapone*. Imo & vulneri statim quidem Cauterium candens imponitur. Si metus incipiat aquæ advenire, solent ejusmodi homines aquis summergere; videntur enim tunc spiritus efferi domari, ut de Phrenitide *Willisii* exemplum dedimus, sanguinis enim & spirituum cursus hoc improviso in aquam jactu non parum alterantur. *Vomitoria* ut & *Sternutatoria* etiam aliquando conveniunt, ut & *usus cephalicorum* sequitur.

Meningum inflammatio. Sed hoc observatum est, ut si homines aquam & omnia humida timere incipiant, submersionem nihil effecisse, quæ si prima instantia non fuisset instituta, illam incassum esse tentatam.

Nunc cerebri, seu potius Meningum inflammatio: Nam dubitatur, num ipsa cerebri substantia possit inflammari. *Inflammationem* hanc *Calor*, *Rubor*, *Dolor* & *Pulsus* immediatè insequuntur. *Dolor* vehementissimus est, quoniam inflammatæ meninges immensè dolent, cum certum sit nullam capitis partem esse sensitiorem crassa meninge; hinc exquisitissimi dolores necesse est adsint, cum ob stagnantem sanguinem sequatur membranæ *distensio*, quam necessario sequitur *dolor* acerbissimus, *lacerativus*. Hinc videmus veros *Phreneticos* (ut plurimum hodie confunditur *Phrenitis* cum *delirio in febre ardente*) *avellere capillos* præ nimio dolore & immenso quasi furore *caput* inaniter corcutere. Propter acerbissimum hunc dolorem malum est adeo acutum, ut tertiâ die sit lethale, cum propter sensibilissimum dolorem spiritus dissipentur, facileque partis inflammatæ sequitur *gangræna*, & inde *necrosis*.

Præterea ægri mox *delirant*, adeo ut neque calorem, neque dolorem sufficienter exprimere possint, propter intensam incalescentiam spirituum animalium, eorumque inordinatum & impetuosum motum: unde talibus insigniter dellirantibus superveniunt interdum gravissima symptomata, in specie *convulsiones*, idque præcipue, quando malum in *gangrænam* desinit.

Præterea *pulsatio in capite* est vehementissima, de qua in primo principio conqueruntur ægri. Quanta sit talis pulsatio & inde *dolor capitis pulsatorius*, potest

test collegi, si attentè adspiciamus collum, apparebit quod vehementissimè pulset *carotis*. Ex quo colligi potest, quantum impetum & qualem pulsationem sanguis in loco inflammationis sub cranio inferat. Moderno igitur abusu, *Phrenitis erit delirium maximum, ex cerebri & speciatim ejus membranarum inflammatione ortum, cum febre ardente & peracuta junctum*: & hoc est Veterum *Sphacelus*. Utut majori abusu ferè quandoque *delirium grave febri ardenti* aut malignæ superveniens, similiter phrenitis appellari soleat. Apparet ex his *Veterum Phrenitidem* rarum esse affectum, quem intra biduum aut triduum insequitur mors.

Causæ internæ sunt raræ, nisi forsan præcedens sanguinis excretio quædam suppressa, aut alias inflammationis metastasis, *veræ phrenitidi* occasionem suggerat. Atque hoc contingit puerperis, lochiis intempestivè suppressis; item ex retentione hæmorrhoidum. Item illud ex menstruorum suppressione non raro evenit.

Hic affectus ut plurimum lethalis esse solet, qui tertio die hominem jugulare potest. Dejectiones alvi albicantes & urinæ cruentæ, albæ & pallidæ pessimæ sunt, ut plurimum enim ægri intereunt. In *Inflammationibus cerebri*, quibus tremulæ aut obscuræ sunt desipientiæ tumultuosæ, id est, interdum phrenetici apparent quasi dormiant, utut nil minus faciant, quin variis hinc inde insomniis conturbentur, adeo ut ad quasita ineptè respondeant: Tales phrenetici, cum talibus variis insomniis & obscura desipientia, periculosiores sunt iis, qui fiunt cum vociferationibus, artuum contorsionibus &c.

In curatione eodem procedendum modo ac de phrenitide antea diximus.

CAPUT XIII.

DE OCULORUM VITIIS, DE GUTTA SERENA, OPHTHALMIA, MYOPIA; PRESBUTIA, NYCTALOPIA, MICROPHTHAMIA. HYDROPHTHALMIA, CUM OBSERVATIONIBUS ET EXPERIMENTIS DE HUMORE OCULORUM AQUEO ETC.

GUTTA SERENA est morbus nervi optici cum cætitate, nullo vitio in oculo externo, apparente. *Causa* est obstructio, ulceratio, compressio, &c. nervi optici, quâ lucis radiis ad cerebri penetralia aditus denegatur. *Obstructio* illa, est istius nervi paralysis, quando in ejus poris quædam particulæ viscidæ hærent, tunc illum spiritus ex cerebro venientes, irradiare debito modo nequeunt: estque aliquando febris effectus. *Ulceratio* venit à vulnere aut inflammatione vel in ipso nervo, vel partibus adjacentibus; in nervo ipso, tunc per se patitur, alias si à vicinis partibus nervus prematur à tumore vel pure; vel ab effuso è vulnere san- Gutta serena.

guine &c. Hæc *Gutta ſerena* tamen aliquando totalis non eſt, ſed aliquid luminis intrat, & tunc non niſi obſcure viſio peragitur, quia quidam pori obſtructi ſunt, quidam non. Hæc ſpecies in perpetuam cæcitatem aliquando mutatur, ſi brevi non curetur, itaque cura quam citiſſime eſt inſtituenda.

Materia impacta, aut premens eſt removenda, Veſicatoriis, Errhinis, Maſticatoriis, volatilibus ac penetrantibus. Pone aures *Veſicatoria* applicentur. *Errhina* dentur & *Sternutatoria*, ut, narium membranis irritatis, etiam per conſequens obſtruentes particulæ irritentur, atque ſic materia impacta exprimatur. Per ſe arte reſpondeat alvus: bibatur decoctum cephalicum ex *radicibus ſalſæ parillæ*, *Chinæ*, *ligno guajaco*, *Herbis Majorana*, *Salviæ*, *Roriſmarini*, &c. neque potus Theæ eſt negligendus, quia eo caput & nervi reficiuntur. Caput quoque linteis cum *ſpiritu vini Caphorato* fricandum: *uſus* quoque *tabaci* non minimi eſt valoris, vel ejus loco *Betonica*, *Majorana*, *Lavendula*, *Salvia*, vel etiam ejuſmodi Herbæ, loco Theæ extrahi poſſunt & ſorberi. Deinde ferè procedendum, uti de morborum ſoporiferorum curatione diximus.

Myopia. Alia adhuc oculorum vitium eſt, quæ dicitur MYOPIA, quæ eſt in rebus diſtantibus viſus obſcuritas, cum in propinquis ſufficiens ſit perſpicacitas. *Cauſa* maximè conſiſtit in oculi rotunditate, ideoque è longinquo majorem recipiunt radiorum ſolarium quantitatem. Retina quippe longius ab humore cryſtallino diſtat, qui quoque paulo convexior eſt, & ſic radii ab objectis longinquis venientes, junguntur, antequam retinam attingunt, unde confuſa viſio. Qui diligenter ſtudent plerumque ſolent eſſe *Myopes*, ut & illi qui Ophthalmia diu laboraverunt, ut & fæmininus ſexus, qui primo ſuendi artem diſcunt: illi omnes aſſueſcunt oculos magis ad rotundam figuram dirigere: ideoque vitris concavis medentur, niſi tales à nativitate habuerint oculos, tunc enim viſus ſolummodo corrigi ſolet. Irritum eſt tentamen, ſi Medicamentis viſum hunc depravatum reſtituere ſtudeant: nam medicamenta externa aut interna cauſam non tangunt. Ad Medendum itaque concavo utuntur vitro, quia objecta conſpiciuntur minora, & per conſequens radii ad pupillæ receptionem adaptantur: & nimia quantitas diſpergitur & quoniam Myopiæ gradus differunt hinc eſt quod vitia concava majorem vel minorem habeant concavitatem. Cominus bene quidem vident, quia tunc minorem radiorum quantitatem recipiunt. Plurimi enim radii confundunt viſum, pauciores moderantur eundem: quod ſolem aſpecientes norunt.

Presbytia. *Myopiæ* contrarium eſt PRESBYTIA, ſive *ſenilis viſio*, in ea, quæ eminus ſunt melius conſpiciuntur, quæ cominus vero, pejus, atque corrigitur vitris convexis, quibus objecta majora exhibentur: ſic ſolent continuo eminus videre ad radios plures recipiendos, pupillam ita accommodaverunt, ut cominus videre vix poſſunt, nam pauci radii non ſufficiunt ad objecti radios recipiendos.

Si contingat, objectum oculo tam propinquum eſſe, ut cryſtallinus humor ſatis rotundus fieri nequeat, ad objectum bene videndum, tunc utimur vitris convexis. Aſt ſi objectum tam longe ab oculo diſtet, & cryſtallinus humor non ſatis deprimatur, ut imago clarè repræſentetur, tunc concavum

vitrum

vitrum usurpamus. Qui solent omnia cominus videre, communiter ultimo malo vexantur; sed qui primo laborant symptomate à senectute habent, quia fibræ ligamentorum ciliarium, ut cæteræ corporis partes, ferè inflexibiles evadunt, atque nonnihil contrahuntur, unde humor crystallinus, ex parte magis deprimitur, atque tollitur sic motus, ut satis rotundus fiat.

Nunc sequitur NYCTALOPIA, quæ duplex est, in *prima*, objecta nocturno tempore & diluculo melius conspiciuntur quam interdiu: *altera*, è contra, est, qua objecta interdiu bene, ast noctu, aut in locis obscuris, minimè conspici possunt. Novi fabrum lignarium qui interdiu rectè videbat, sed appropinquante vesperâ, visus fiebat magis magisque obscurus, qui noctu nihil videbat, imo vix accensâ candelâ. In priori est pupillæ nimia dilatatio, quæ interdiu non satis coarctatur, ideoque objecta ob plures radios confunduntur, quod noctu ita contingebat, hinc est quod plurima animalia noctu vident, & radiis nimium influentibus, pupillam coarctant, quod in felibus manifestum. In altera omnia contraria sunt, nam in eâ est nimia pupillæ coarctatio, qua nocturno tempore satis radiorum, ad videndum, recipi nequeunt. Visus illæ species medicamentis aut conspicillis sanari non possunt, sed fortè quidem corrigi. Nyctalopia.

Sequitur OPHTHALMIA, quæ est inflammatio in tunicis oculorum, cum calore, rubore, dolore, pulsatione, lachymarum effusione &c. Atque non tantum tunicæ primo læduntur, sed ipsa vasa. Atque huic conjungitur LIPPITUDO, quæ est, cum in ophthalmia copiosissimus liquor lacrymalis, salsus & rodens, tam ex glandulis angularibus, quam etiam glandulis palpebrarum erumpit, ratione cujus in ophthalmia Symptomata *Celsus* appellavit *Ophthalmiam Græcorum*. Ophthalmia. Lippitudo.

Causa itaque *proximæ* sunt obstructiones arteriolarum, ideo tument, & quia sanguis ex iis depleri nequit, hinc rubent; &c. ergo adest inflammatio, de qua alibi speciatim in genere. *Causæ Externæ* sunt usus nimius rerum acrium, aromatum, vini &c. ut & ignis, fumus, sol, pulvis injectus, festucæ, frictiones, compressiones, vulnera, aliaque: de quibus in *Chirurgia*. Post Inflammationes non raro ulcerationes & deinde cæcitates. Diarrhæa superveniens, bonum: sed dolores diuturni, malum.

Primo quidquid impactum dissolvi debet, deinde dolor est mitigandus. Diæta tenuis est primo observanda; contineat se in cubiculo obscuro, & oculus claudatur linteo nigro, cæruleo aut viridi, ejusmodi enim colores visui non adeo nocebunt ac albi, flavi, rubri, &c. caveant se à pinguibus, salsis, acidis, piperatis, omnibusque aromaticis, quia hisce sanguis nimium incalescit, atque nocumentum oculo inferrent. Neque potus spirituosus est gustandus. Pone aures *Vesicatoria* applicant, alii *cauteria* instituunt: interim quotidie laxanda est alvus. Pedum plantis applicentur *supplantalia* ex *fermento acido*, *pulvere pyrio*, *sinapi*, &c. *Masticatoria* etiam instituunt, ex *cerâ*, *sale*, *semine staphidis agriæ*, *Pyrethro*; &c. Topica deinde sunt adhibenda; applicentur itaque primo sequentia: ut

Recipe Mucilaginis Seminis Psyllii, in Aqua Rosarum extractæ, *uncias duas.*
Pulpæ Cydoniorum, *drachmas duas.*
Spir. Salis Armoniaci, *guttas quatuor.*
Misceantur, colentur & cum tenui linteo oculo applicetur. vel,

Accipe Vini Hoglandi albi, *uncias duas.*
Spir. Matricalis, *unciam semis.*
Salis Armoniaci, *guttas quatuor.*
Caphoræ, *grana sex.*
Misce. Vel.

Dissolve Mucilaginis Sem. Fænugræci, *uncias duas.*
Tutiæ præparatæ, *drachmam unam.*
Trochisci albi Rhasis, *scrupulos duos.*
Misce. Vel,

Cape Aloës Lucidæ, *grana sex.*
Croci, *grana quatuor.*
Cerussæ, *grana decem.*
Lactis Muliebris, *uncias duas.*
Misce fiat Collyrium.
Dolor si nimium urgeat, sequentia præscribito: ut,

Recipe Albuminis ovi, *unciam unam.*
Croci, *grana quatuor.*
Lactis Muliebris, *uncias duas.*
Misce. Vel

Misce Pulpæ pomorum dulcium assatorum, *unciam unam.*
Micæ panis albi, *unciam semis.*
Abluminis ovi, *unciam unam.*
Lactis Muliebris, *quantum sufficit.*
Fiat cataplasma.

Qui consueverunt habere oculos inflammatos, laxam habeant alvum necesse est: Potentque decoctum ex *Salsa Parilla* & *China*: & diæta, ut supra dictum, est observanda.

Ne liber noster in experientia deficiat: libet Historias quasdam *Doct.* & *Prof. A. Nuk* huc adferre: quæ agunt de ductibus aquosis oculorum, malè affectis.

Ductuum læsorum Historia. Microphthalmia.

Anno elapso ex pueri recens nati oculo utroque, tam supra quam infra oculi globum, materiæ albicantis portio ad dimidiatam drachmam continuo effluebat cum affectu *Microphthalmico*, sive oculo parvo conjuncto: durante

te hoc fluxu, oculi sensim diminuebantur, & Atrophia sive Macie corripiebantur. A parentibus in consilium vocatus, malum hoc, quoniam in utero materno contraxerat infans, periculo non carere prædixi, factoque mali eventus prognostico, curam unà cum Chirurgo suscepi; variæ injectiones & collyria adhibita, quibus continuo materia purulenta elueretur, ne sua acredine partes circumjacentes corroderet & consumeret, sed omnia incassum; quoniam Novi nostri Ductus materia acri jam diu in ipsis claustris uterinis fuere exesi, nulla arte reparabilis. Oculi enim (secundum nostrum prognosticum) novum humorem aqueum, obseratis ductibus nostris, pro suâ conservatione non recipientes, necessario minus extendi potuere; hinc vigor illorum sensim evanuit, & macie confecti, visioni haud parvum incommodum tulerunt.

Brevi post Nobilem quendam Anglum juvenem duo de viginti annorum, visitare contigit, affectu planè contrario *Hydropthalmiâ* scilicet, laborantem; nam uti in citato casu, oculi fuere emaciati & valde imminuti, ita hic oculorum alter in stupendam excreverat molem. Nobilissimi hujus oculus, aliquot ante annos, gravi quodam ictu tactus, objecta sensim & sensim obscura magis videre cœpit, intolerabili insuper dolore tentatus; interim in suâ circumferentiâ quotidie extenditur oculus, ejusque moles in tantum aucta est, ut jam altero tanto major appareat, & magnâ sui parte extra orbitam suam promineat: post corneam pellucidam, humor parum albicans conspicitur, visus imminuti potissima causa. Aqueus humor non clarus, sed ex parte turbatus videtur, Iridis vix vestigium apparet, dolor ipsum sæpe subito invadit, ni ab acidis & salinis abstineat; reliqua sanus. Ductuum ampliatorum historia Hydrophthalmiæ.

Percelebres aliquot Doctores Anglicanos ad ejus curam adhibuisse retulit, qui veram affectus causam nescientes, proficere nihil potuere; diversimodè enim judicatum fuit: alius Catharrhum, alius Suffusionem, alius iterum Cataractam esse credidit; hinc suffimentis, fomentationibus, venæsectionibus, purgantibus patientem nostrum multum fatigarunt; sed omnia successu admodum infelici. Tandem Celeberrimus quidam Medicus à nullo alio remedio, quam â perforatione (qua mediante aquei humoris portio superflua extrahi posset) successum felicem & curam sperandam declarat. Hoc, quum periculosum nimis & patienti & amicis visum fuerit, transfretarunt, & civitatis hujus Medicum unum aut alterum consuluere; quo tempore etiam ego advocor, & primo statim intuitu affectum hunc *Exophthalmiam* esse una cum Incipiente *Cataracta* vidi. Exophthalmia.

Mali hujus causa, quum non nisi ex vera Oculi Anatomia erui possit, haud difficile erit, cognitis nostris Ductibus, eam expiscari: Primo enim instanti, cum partiens noster hunc oculi ictum acciperet, his Ductibus, sed potissimum vasculis venosis, tanta illata fuit vis, ut facile, magnâ ex parte, aut læsæ aut obstructæ fuerint hæ venulæ; hinc humores, circuitum suum ibidem absolvere nescientes, necessariò humoris aquosi copiosior subsequuta est secretio: qui, quum non aliam sibi viam parare potuerit, quam per hos nostros Ductus, eos quotidie ampliavit; transitum simul præbendo particulis viscidioribus, crassioribus & aquâ minus flexibilibus: hinc oculi bulbus

bus quotidie debuit extendi & in tantum augeri, ut amplius orbitâ suâ contineri non potuerit; sed antrorsum propulsus, hoc modo *Exophthalmiam* induxerit. Particulis humoris viscidioribus in oculi cavum delatis & varie motis, ejus latera ita fuere agglutinata, ut dictæ particulæ, facile corpus aliquod membranaceum repræsentarent, & hinc *Suffusio*, sive *Cataractæ Incipientis* exordium; quædam etiam ex hisce particulis viscidis tunicæ poris, intro foras spectantibus, adeo fuere infarctæ, ut insensibilis transspiratio fuerit sublata. Reliquorum symptomatum causam explicare non aggredior, quum illa per se satis manifesta sint.

De mali hujus eventu nihil boni prædicere potui, quoniam hic affectus inveteratus esset & jam aliquot annos durarat; quo temporis lapsu vasorum canaliculi, ita fuere dispositi, ut non alium, quam hunc vitiosum potuerint transmittere humorem. Tunciam insuper Corneam & Sclerotidem jam à longo tempore multum incrassatam & extensam, pristinam figuram recuperare posse, impossibile visum: Cataractam Incipientem tollere, tempus adhuc minus opportunum existimavi, & licet tolleretur, statim de novo regeneratum iri prædixi: ideoque corporis exercitia vehementiora vitanda esse, (ne copiosior foret humoris aquei secretio) sanguinis acrimoniam temperandam, à salsis & acidis ægro abstinendum suasi. Acus beneficio partem aquei humoris extrahere velle, temerarium fore judicavi; quoniam paucas intra horas eadem quantitate facile regenerari posset, uti ex sequentibus colligi poterit.

Oculi humor aqueus aliquoties exstractus.

Juveni Bredano, XXIV. circiter annorum, post Ophthalmiam pertinaciorem, gravissimosque oculi sinistri dolores, visus sensim diminuitur, pupilla obscurioris redditur coloris, ab humore aqueo turbidiore, copiosius affluente, oculi bulbus ita extendi cœpit, ut paucos intra menses in prodigiosæ magnitudinis *Hydrophtalmiam* abiret; oculus extra orbitam suam propullulans, palpebraque eundem ob molis magnitudinem amplius tegere nesciens, bubulum magis, quam humanum oculum referret. Interea nos unà cum Chirurgo Civitatis Hagiensis dexterrimo convenit, nostrum expetens & consilium & auxilium. Omnibus ritè perpensis, in antecessum prognosticum institui; ipsum nunquam oculi affecti visum recuperaturum attamen nos certo experimento novisse, humorem aqueum extrahere, & ad pristinam naturalemque redigere magnitudinem, oculumque postea oculo artificiali muniendum esse.

Hac spe quidem allectus, sed simul dubius hæsit, quærendo; numquid, operatione minus bene succedente, oculus sanus male inde affici posset; respondi, me quidem ejus plane certum non esse, sed magnam affulgere boni eventus spem. Nostræ itaque curæ, quum sese commisisset; primo pilulas aliquot hydragogas ipsi dedimus devorandas, ut ita sanguineam massam seri portione liberarem: diductis itaque palpebris, luci obverso, in pupillæ medio (ubi vasa minima) Corneam pellucidam, acus nostræ beneficio, perforavimus; Oculique globus, ab humore aqueo rivulose prosiliente, statim quinta circiter parte, in sua circumferentia minor reddebatur, molemque ejus diminuere adhuc potuissem, si leviori saltem

com-

compressione humoris aquosi exitum promovissem: sed studio omisi, ne vim aliquam oculo jam læso inferrem, & quod simul etiam humoris aquei regenerationem exspectarem, hinc in diem sequentem alia exploranda deferre consultum.

Nec mea me fefellit opinio; sequenti die oculus pristinam magnitudinem recuperarat; ideoque ex vulnusculo pro secundâ vice jam pertuso, oculique globo presso, majorem extraximus aquæ portionem; quo etiam apparuit, oculi bulbum manifestius diminutum, quam à primâ pertusione. Non tamen in eo statu mansit, sed tertio die, à novo humore influxo, iterum apparuit distentus, minus tamen à prima punctione: ideoque in sequentem diem quartum, tertiam pertusionem deferendam judicavimus; quo tempore, uti die secundo, à præmenti interna aquâ, extensum vidimus: hinc pro tertiâ vice cornea pertusa, vulnusculoque majori læsa, copiosiorem fudit aquæ copiam.

Interea temporis collyria vulgaria, levioribus astringentibus conflata (compressoque iisdem imbuto externè admoto) fuere adhibita; in diæta à liquidis, salsis, acidis & aromatibus, quantum possibile abstinuit. Quinto & sexto die spes aliqua curationis affulgere cepit; notabiliter enim oculi globus non augebatur. Die septimo & octavo sensim iterum accrevit, hinc decimo die, pertusa cornea, (ab immisso tubulo subtiliori) tantam aquei & vitrei humoris quantitatem sugendo eduximus, ut à debitâ magnitudine parum saltem defferret. Quo in statu per integrum triduum mansit, oculo sano interim nihil mali sentiente. Decimo quarto tamen die, debitam magnitudinem quum iterum sensim superare inciperet; pro ultimâ & quintâ vice (eadem methodo uti die decimo) humores extraximus & quidem tali cum successu, ut ab illo tempore desideratam magnitudinem servaret oculus toties pertusus.

Ut autem tali in statu servarem, laminam plumbeam & concavam fabricari mihi curavi, eamque intra palpebras, ad superficiem oculi affecti adaptatam (oculorum artificialium in modum) per aliquot dies gestavit, eaque tantum profecimus, ut oculo ita compresso, fibrisque contractis nullo modo amplius extendi potuerit. Hisce ita assuefactus, postea oculum artificialem admovimus, quem adeo dextrè applicat & gestat, ut non facile quis advertat, ipsum oculo uti fictitio.

Similem ferè casum proponit Cl: *Valentini* Observ. LXX. in Ephem. German. Anni sexti. Ubi patientem introducit *Hydrophthalmia* laborantem, ad quam funditus curandam eradicatio oculi jam erat proposita. Tentatum tamen primò fuit, annon pertusione oculi aliquid effici posset, quod adeo feliciter cessit, ut evacuato humore malum prorsus fuerit victum.

Non minus notabilem Casum notare mihi licuit in Matrona quædam honestissima Hagiensi, cujus oculi bulbum, prægressa gravi Ophthalmia, non adeo quidem extensum, sed tribus excrescentiis, cornuum in modum, obsitum conspeximus. Variis incassum adhibitis, tandem consultum fuit, ejusdem acus beneficio, unum ex his protuberantiis (quas suspicabamur Oculus Tuberosus.

more aqueo repletas esse) pertundere. Quod tanto cum successu peractum, ut abundanter aquâ promanaret, singulæque protuberantiæ minores redderentur. Collyrium interim leviter adstringens adhibitum ejus incrementum impedire non potuit; sequenti enim & tertio die iterum propullulare tubercula vidimus, ideoque idem, quod ante, perforandum judicavimus, hocque tam feliciter iterum præstitum, ut peractâ hâc operatione, naturalem jam magnitudinem & formam non superaret oculus affectus, diuque in tali statu manserit: postmodum tamen ex ipsius ore accepi, prominentiam dictam bis terve adhuc fuisse pertusam, copiosamque effluxisse aquam. Hoc autem incommodo se jam plane liberatam vivere affirmat.

Humor Aqueus ex oculis extractus.

Cani unoculo, inflicto propè iridem vulnere, humorem aqueum rivulosè promanantem extraxi, & corneæ jam flaccidæ de sequenti medicamento applicui, quod,

Recipe. *Album Ov. Conquassat.*
Bol. Armen.
Aq. Plantag.

Hujus mixturæ oculo læso per intervalla applicui tantillum, canisque interea loco obscuriori servatus, eâdem adhuc vesperâ oculi vigorem recuperavit, & tertio, post institutum experimentum die, æquè ut ante vidit μονόφθαλμος. Idem experimentum in quamplurimis aliis quadrupedibus postmodum institui, modo punctim oculi tunicam perforans & semper successu felici. Nec ita pridem illud ipsum publicè coram multis celebravi, cum eventu itidem desiderato, nihil aliud subinde applicando, quam sequentis mixturæ tantillum, quæ,

Resp. *Aq. Rosar.*
Alb. Ov. Conquassat.
Bol. Armen.
Caphur.

quibus paucorum dierum spatio restitutum visum conspexerunt plurimi. Nec necesse habui, medicamenta multo labore parata in usum adhibere; ratione enim & experientiâ jam didiceram, incassum ad medicamenta, olim pro secretis habita, confugere, qualia fuere Aqua elicita ex Foliis Chelidoniæ per M. B. cum admista Caphura: Aqua item Vitrioli Martis mysteriosè præparata, aliaque olim *Cl. Th. Bartholino* communicata à *Domino Burrho.* huic usui inservire voluere Veteres, eò quod crediderint; *Hirundines, occœcatis pullis, visum restituere suâ Chelidoniâ potuisse*; sed quum nunquam ejus generis herba in nidis hirundinum reperta sit, hæc pro figmentis potius habenda censemus. Verum non aliud medicaminis genus necessarium magis esse putavi, quam quod mucagine quadam labia vulneris oblinire, & viam quodammodo præcludere valeat, ne aqua de novo progenita per vulnus cla-

beretur:

beretur: dein, & quo inflammatio arceri & levi aſtrictione extrema vaſorum apertorum claudi poſſint; quibus indicationibus medicamentum noſtrum abſolutiſſime reſpondet. Methodum reliquorum oculi humorum reſtituendi conſulto prætereo, cum de Humore Aqueo tantum hic loci agere decreverim.

Subitnea humoris aquei regenerationis ratio redditur.

Quis quæſo jam humoris tam ſubito regenerati viam nobis monſtraret, niſi Novos Ductus noſtros in uſum habeat? Quibus manifeſtiſſime probatur, non medicamentorum vi hunc humorem regenerari, ſed à novo humore ſecreto & per hos Ductus delato, oculi bulbum repleri, debitamque figuram & magnitudinem recuperare. Ne tamen quis putet hanc humoris aquei reſtitutionem in quadrupedibus tantum, aliiſve brutis locum habere, expertus dico, etiam in Oculis Humanis læſis eandem valere, & ſucceſſu non minus felici præſtari poſſe. Quod jam obſervationibus & hiſtoriis quibuſdam oſtendere non gravabimur.

Humor Aqueus reſtitutus in puella.

Quinquennis Puellæ ſiniſtra palpebra ſuperior, inſtrumento quodam pungente ita læſa fuit, ut ea non modo ad latitudinem ſeſquilineæ mathematicæ fiſſa fuerit, ſed & pungens inſtrumentum per corneæ tunicam adactum, exituro humori aqueo viam paraverit, qui copioſè effluxit, genam patientis madefaciendo. Vocabatur Chirurgus, ut oculo, viſu jam deſtituto, medicinam faceret, qui viſus reſtitutionem impoſſibilem pronunciavit: interim iter ad nos, noſtrum expetitur conſilium; curavi primo, emplaſtro glutinoſo ut labia vulneratæ palpebræ adducerentur, oculo læſo medicamenti ſupra præſcripti, (& toties cum ſucceſſu in vulneratis canum oculis adhibiti) ſingulis bihoriis tantillum applicari juſſi, loco obſcuriori quietam ſe teneret patiens, expreſſe mandavi: Alimenta liquida ſumeret, ne duriorum maſticatione (qua oculi ſæpe ſolito magis moventur) vis aliqua inferatur, aut commotio; His ita præſcriptis, & diligenter obſervatis, paucorum dierum ſpatio reſtitutam vidimus patientem, remanentibus ſolum & in palpebra & in cornea exiguis cicatricibus, quæ tractu temporis in tantum diſparuere, ut jam non niſi leve poſt ſe relinquant veſtigium.

Alia Hiſtoria.

Antè aliquot menſes cuidam Puellæ Hagienſi, duodecim annorum natæ, oculorum alter, in pupillæ limitibus, aſſulâ adeo graviter læditur, ut aqueus humor ſtatim ex oculo emanaret, & tam copioſe, ut planè flaccidus appareret, cum dolore haud levi & inflammatione ſubſequente; parentes multum attoniti, Chirurgi alicujus opem implorant hic, quia non diu ante ex ore noſtro hiſtoriam prædictam hauſerat, idem applicuit medicamentum, obſervatis iiſdem, quæ & ibidem memoravimus: quibus triduum intra oculo vigor rediit, duarum ſeptimanarum ſpatio vulnus plane conſolidatum: & patiens ſanitati reſtituta fuit, cum hoc ſolummodo, quod cicatrix, ad pupillæ meditullium ſeſe nonnihil extendens, in cauſâ ſit, ut, dum oculum deorſum movet (aſſulâ enim inferior pars magis læſa fuit) aliquod inter videndum ſentiat impedimentum, objecta tam diſtinctè non dignoſcendo; à qua tamen eam ſenſim immunem fieri ſperare licebit, ubi cicatrix (quod vulgo fieri ſolet) tractu temporis evanuerit.

Separata Humoris vitrei parte visus restitutio.

Generosissimi Officiarii oculi cornea pellucida margine acutioris vitri ita læditur, ut aquei non tantum portio, sed & vitrei humoris pars per corneam fissam exiret, propriâ tunicâ adhuc inclusa, in oculi superficie convexa hærente. Vocatus judicabam dictum humorem propullulantem auferendum esse; quodque acus nostræ beneficio feliciter adeo peractum, ut, post adhibita collyria astringentia & glutinosa, non nisi leve cicatricis remanserit vestigium, & qui antea objecta fere omnia ut fissa per medium divisa videre solebat, jam ferè ut olim eadem distinguit perfectè.

Alia Historia.

Haud absimilem affectum videre licuit in juvene septemdecim circiter annorum, cujus oculo læso applicitum fuit Collyrium, quod,

Resp. *Mucilag. Sem. Psyl. & Cydoneor. Aq. Rosar. Extract.*
Croc.
Album. Ovi Conquassat.
Sief. Alb. &
Spirit. Vin.
M.

Quo solo, calidè adhibito, sensim melius habere cœpit, tandemque restitutus fuit patiens.

Usus Catechu in Vulneribus Oculorum.

Sunt qui *Usu Catechu* ejusmodi oculorum vulnera restitui posse affirmant, idque feliciori successu, quam quidem ullo alio medicamine, quodque confirmatur à *D: Hagendornio Miscell. Med. Physic. Ann. 9. & 10.* sequenti exemplo. Ancilla, inquit, casu quodam rupturam oculi experitur, quâ humor oculi aqueus tam copiose effluxit, ut oculi figura, quæ ante globosa, jam collapsa appareat, cum hæmorrhagia, partium vicinarum tumore & intolerabili dolore: Accersitus Chirurgus *Collyrium* immittit ex *Aq. Ros. Album. Ovi & Bolo Armena.* Externe *Epithema* applicat ex *Tutia*, *Bolo Armena*, *Caphura*, *Croco*, cum *Aq. Fœnic. Euphr*: *Rosar*: *paratum*; Verum cum levamine ferè nullo: tandem supradictus D. *Hagend*: in Consilium vocatur, qui pulvisculum immisit concinnatum ex *Catechu*, *Myrrha & Sacch. Cand*: qui per vices in oculum immittur: unde elapso paucarum horarum spatio, sanguinis humorisque aquei fluxus cessavit: Postmodum hic pulvis aquis quibusdam ophthalmicis junctus, calidè in oculum instillabatur, sicque oculus pristinam figuram recuperavit.

Oculi læsi restituuntur subinde sine applicatione medicamentorum.

Sed quid *Catechu*? quid Chelidoniam, de quâ ante, aliaque medicamenta varia memorabimus? Expertus novi, loco saltem obscuriori servato animali, (post corneæ læsionem, & humoris aqueï expressionem) decem horarum spatio, oculo humorem redditum fuisse, & nuperrime adhuc in Theatro nostro Anatomico publicè idem demonstravimus in cane, cui ex vulnerato oculo tam copiose effluxit Humor Aqueus, ut flaccidus appareret oculus læsus; observatum tamen, elapso sex horarum spatio, oculi bulbum humore suo iterum repletum fuisse, idque sine ulla medicamentorum applicatione. Non diu ante, ex eodem hoc cane, non solum Lienem, sed & Renem alterum per inflictum vulnus extraximus, ligatisque vasis sanguineis abs-

abſcidimus, & ad cicatricem vulnera inflicta facile perduximus; poſt triplex tamen hoc inſtitutum experimentum, hodie adhuc bene videt & valet canis.

Sed, ut redeamus ad Oculos læſos; ipſum *Galenum* non latuit, Oculos ita vulneratos reſtitui poſſe: *Cæterum*, inquit alibi, *incredibile quidam, nec fieri vulgo ſolitum, in puero vidimus, qui ſtylo in pupillæ loco fuerat compunctus; nam quum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota Cornea apparuit rugoſior. Cæterum ſanatus poſtea recte vidit, collecto, ſcilicet, paulatim in eo, qui effluxerat, humore.* Et ſi fides habenda Hiſtoriæ Byſantinæ Scriptoribus, teſtantur hi; Imperatores Conſtantinopolitanos quoſdam, quorum oculi pungente inſtrumento (qua de cauſa, ſupervacaneum hic dixiſſe) ita lædebantur, ut aqua effluerct: brevi tamen poſtea oculorum & vigorem & præter exſpectationem viſum recuperaſſe.

Ita ex fide dignis accepi, nebulonis cujuſdam, ob grave aliquod crimen, judicis mandato, oculum unum atque alterum fuiſſe pertuſum. Quo facto, viſu privatus carceri fuit incluſus; ſed quod mirabantur omnes, paucos intra dies, ſine ullo medicamentorum ope, lucem non tantum aſpicere, ſed diſtincte videre cœpit.

Vulnus pupillæ ſanatum vide apud *Tulpium* Lib. 1. Cap. 30. Sagitta, inquit, decidens ex altiori loco, diſcidit cujuſdam equitis filio tam latè pupillam: ut effunderetur non tantum aqua, oculo incluſa: ſed concideret quoque membrana uvea, hebeſcente inde uſque adeo viſus acie, ut ne admotum quidem candelæ conſpiceret lumen: Inter medicamenta adhibita primas tenuiſſe ait, Collyria cum anodyna, tum exſiccantia; quibus ſimiliter uſque adeo benedixit Deus, ut inducta vulneri cicatrice, brevi ſuccreverit iterum aqua deperdita: & pulſa caligine redierit rurſus, gratiſſimum viſus officium; verum naturali imbecillius: ob cicatricem, uveæ, à vulnere, relictum.

Notabilis etiam proſtat caſus apud D. *Joh. Muys Practicum Arnhemienſem, in Praxi Chirurgica Rationali*, Dec. 1. Obſerv. 7. Ubi Juvenem proponit, globulo ſclopeti minore, iridem inter & pupillam ita læſum, ut magna ſui copia humor non tantum effluxerit aqueus ſed materia inſuper viſa fibroſa candicanſque, vulnus obturans, & præter inflammationem tumoremque, livore conſpicuum oculum, acidum acrimoniamque temperantibus feliciter tamen reſtituit.

Hæc ſi minus veriſimilia videantur teſtem adduco *Joſephum Zambeccarium*, qui de Doctore quodam *Nerio* narrat ſequentia: *Canis*, inquit, *binos oculos, ſcalpello Chirurgico, quo venas aperire ſolent, dextrè confodit, & ex iis totum humorem aqueum expreſſit, ita ut oculi, tanquam duo ſacculi vacui, corrugati manſerint: Cane deinde ſub ſolius beneficæ naturæ tutela relicto, poſt ſex horas, & breviori forſan tempore, ipſius oculos repletos fuiſſe, & ad ſtatum naturalem rediisſe; cicatricis nota ſolum remanſerat, & canis lætus & alacer erat, ac ſi nullo affectus fuisſet incommodo, & quod pluris intereſt, cæcus non manebat, & acutè videbat.*

Idem Experimentum in variis aliis canibus, ſuper cuniculis, Indicis

porcellis & agno rursus tentavimus , semper omnes intra paucas horas felicissime sanati sunt , & adeo incolumes evaserunt , ut ne unus quidem ex inflicto vulnere cæcus remanserit.

Hæc autem, quæ *Nerius* expertus est, verissima sunt, sed locum saltem habent in oculis, quibus pungente acu, aut alio quopiam instrumento, sed tenello, vulnera infliguntur exigua; si vero majusculum fuerit vulnus, intimiusque adactum instrumentum pungens aut secans, sanandi Methodum, quam supra proposuimus observare præstabit.

Humoris Aquei cognitio necessaria. Sanguine bene disposito, Ductibusque nostris ritè constitutis, continuo hic Humor Aqueus, dum spiritus artus nostros regit, oculum versus amandatur, quo sine visionem peragi impossibile quidem. Cum itaque tanta ejus sit præstantia, in humoris hujus indolem ulterius inquirere lubet. Cogitaram alioquin huic Tractatui jam finem imponere; verum succurrebat, Humorem Aqueum, eo modo, quo proposui, à nemine adhuc, quod sciam, examinatum esse: ideoque hunc intactum transmittere non potui; utpote summæ & utilitatis & necessitatis; ut tanto melius, & feliciori cum successu, in affectibus quorundam oculorum, medicamenta possimus adhibere: præ cæteris autem illa medicamenta examini nostro subjiciemus, quæ vulgo Ophthalmica audiunt, ut (iisdem diversimode qualis particularum inter se sit consensus aut dissensus; quamvis præter hæc nonnulla alia in eundem Humorem sumus instillaturi; ut ex varia eorum miscella, vera inde resultet Humoris Aquei constitutio.

Exper. I. Humorem Aqueum ex diversis animalium oculis extractum, clarum semper invenimus, aquâ tamen vulgari minus limpidum, consistentiâ sua ferè convenientem cum albumine ovorum exagitato; quamvis animalium adultorum humor consistentiæ semper erat crassioris & coloris magis opaci, juniorum vero animalium humor, fluidior conspiciebatur & coloris magis pellucidi. *Saporem* quod spectat, insipidum eum ferè deprehendimus, nisi quod aliquantulum de salsedine videbatur participare, quam tamen magis in adultorum, quam juniorum animalium humoribus gustavimus. *Odorem* si examines; humorem hunc recens extractum, inodorem percipies; si vero per aliquot dies in vitro servetur, eodem ferè modo nares offendit, atque albumina ovorum in vitro per octiduum servata, quæ fœtore nares ferire solent.

Qualis sit Color, sapor & Odor Humoris Aquei.

Exper II. Aquæ Ophthalmicæ examinantur. Inter medicamenta Ophthalmica primæ considerationis erunt aquæ quædam stillatitiæ, ideoque *Humori Aqueo* affudi *Aquam Rosaceam*: verum hi liquores non miscebantur, nisi igni leniori admoti: quo tantillum de pelluciditate sua remittebant & colorem sublividum repræsentabant: addito *Vitrioli Cyprei* pulvere, color paulo magis cæruleus evasit, cum mixti particularum secessione.

Vitriolum quid faciat. Hisce cum superadderem *Vitrioli Albi* pulverem, cæruleo iterum pellucidior clariorque reddita fuit miscella, remanente tamen partium secessione. Eundem mistionis ordinem observavi, cum *Aquis Fœniculi & Euphragiæ*; verum nihil peculiare, præterea, quæ dicta sunt de Aqua Rosarum, observare potui.

Per-

Perſcrutaturus num cum *Aqua Plantaginis* eodem modo ſeſe res haberet, quemadmodum compereram cum aquis Roſarum, Fœniculi & Euphragiæ; hanc obſervavi differentiam, quod *Aqua Plantaginis* cum *Humore Aqueo* minime ſe miſceri pateretur; quamvis cum utroque adjecto Vitriolo eadem, quæ ſupra, obſervaverim. Expr. III.

Certus eſſe volui, utrum hæ præcipitationes admiſtione ſolius *Aquæ Roſarum* cum *Vitriolo* uno & altero contingerent; Verum hæc nihil mutationis ſubiit, quam quod Vitriolum cum aqua bene fuerit miſtum, ſine ulla particularum ſeceſſione: idemque etiam obſervare licuit cum *Vitriolum* cum *Aqua Fœniculi* componerem. Exper. IV.

Ut explorarem miſturam *Aquæ Euphragiæ cum Saccharo Saturni & Humore aqueo*, obſervavi primo, Aquam cum dicto Saccharo bene miſceri, ſed lactei coloris evadere: verum addito Humore Aqueo, Humor in coagulum abiit, & liquidum, quod ante lacteum, iterum limpidum evaſit; ut autem viderem, quid eveniret, ſi hiſce *Oleum Tartari per deliquium* affunderetur, obſervavi ex ejus admiſtione, coagulum illud iterum ex parte diſſolvi; liquorem vero (cui innatarat coagulum dictum) lac tenuius referre. Exper. V. Saccharum ſaturnum.

Quod magnarum virium *Chelidonia*, in affectibus oculorum nonnullis habeatur, *Humorem Aqueum* ejus ſucco admiſcere volui; ſed leni ignis calore ſtatim partium ſubſequuta fuit ſeceſſio: hiſce addidi Vitrioli pulverem, verum nihil inde mutationis ſubiit miſtum. *Chelidoniæ Succum* etiam ſeorſim examinavi, verum igni admotus eandem patiebatur ſeceſſionem. Solo autem *Succo Chelidoniæ* ſi inſpergatur *Saturni Saccharum*, ſtatim hæc exacte inter ſe miſcentur: huic miſto ſi addatur *Spiritus Vini*, eadem mixtura manet, exactiſſime unita. Exper. VI. Succus Saturni.

Ut ſcirem, qualis inter Lac & Humorem Aqueum eſſet convenientia, primo *Lac Vaccinum* miſcere cum *Humore Aqueo* inſtitui. Quæ facillime inter ſe miſcebantur, verum, ex admiſto Vitriolo, ſtatim coagulum album fuit ſecretum, ſero ſuo (quod ſaporis expers erat) innatans. Simul etiam idem tentavi experimentum cum *Lacte Muliebri*, recenter mulcto; verum hanc obſervavi differentiam, quod admiſtione Vitrioli, particularum quidem ſubſequuta ſit ſeceſſio, nulla tamen coagulatio. Exper. VII. Lac Vaccinum & Muliebre examini ſubjicitur.

Alicui pariter *Humori Aqueo* affudi *Vinum album Gallicum*, *dulce*; cujus affuſione notavi, Humorem Aqueum non diſſolvi, ſed viſcidum magis reddi, & parum ſaltem de naturali ſuo ſtatu recedere. Idem contingit, ſi *Humori* dicto affundatur *Vini Spiritus*, ex quo mutatio ab omni parte ſimilis deprehenditur. Eidem *Oculi Humori* ſi addatur *Spiritus Vini Caphuratus*, non magis quam à vino aut ſpiritu vini alteratur. Experim. VIII. Vinum Album Gallicum.

In aliquam *Humoris Aquei* portionem inſtillavi *Spiritum Salis Armoniaci*, quo dictus Humor ſtatim fuit diſſolutus, & cum Spiritu intime junctus: addito *Metallorum Croco*, manſit mixtura, ſine ulla partium turba. Exper. IX. Spiritus Salis Armoniaci.

Ut viderem, quid eveniret ex admiſtione *Humoris Aquei* cum *aqua Reginæ Hungariæ*, (l'Eau de la Reyne d'Hongrie) obſervavi, hæc bene inter ſe con- Exper. X. l'Eau de la Reine.

conjungi; Humor enim Aqueus statim fluidior fuit redditus, & intume Spiritui junctus: Hisce admiscui *Vitrioli* pulverem, quo non quidem in coagulum abiit humor; sed particularum aliqua subsequuta secessio, quæ particulæ fundum petiere, remanente tamen spiritus & humoris fluiditate.

Exper. XI Tinctura Croci examinatur. *Humori Aqueo* affudi tantillum *Tincturæ Croci*, aquæ statim exacte Humori jungebatur: hisce addidi pulverem *Aloës*, *Sacchari Albi*, *Hepatis Antimonii*; attamen mansit mixtura, sine particularum perturbatione: tandem superaddidi *Vitriolum Cypreum* & statim partium conspiciebatur secessio.

Exper. XII Tinctura Opii. Exploraturus quid mutationis observarem inter *Tincturam Opii & Humorem Oculi Aqueum*; vidi hæc bene inter se misceri; additione *Spiritus Salis Armoniaci*, *Tincturæ Croci & Sacchari Canti albi*; mixtura in eodem statu permansit, sine ulla particularum secessione aut præcipitatione: superaddita hisce *Tutia*, non tamen mutabatur mixtura, quamvis Tutiæ pulvis vasis fundum peteret.

Exper. XIII. Olei Caphuræ examen instituitur. Ut examinarem quî *Oleum Caphuræ & Humor Aqueus* inter se convenirent, vidi Oleum illud Humori supernatare: additione *Spiritus Vini*, Oculi Humor quidem parum dissolvebatur, sed maxima pars sub forma filamentorum petiit fundum: globulis interim quibusdam oleosis per tenuiorem portionem fluctuantibus.

Exper. XIV Saccharum Album. Separatim examinavi *Oleum Caphuræ Saccharo Albo* exceptum, & cum *Spiritu Vini* mistum: quibus observavi Oleum quidem in exiguos admodum globulos divisum, non tamen in totum dissolutum fuisse: addito hisce *Humore Oculi Aqueo* humorem partim dissolutum, partim vero filamentorum quorundam adinstar ad fundum præcipitatum conspexi.

Exp. XV. Aloë cum Sacchato. Exploraturus qualisnam mutatio sequeretur ex miscella *Humoris Aquei* cum *Aloë* in tenuem pulverem redacta; notavi hæc principio quidem bene convenire, sed brevi post Aloen quodammodo in coagulum abire: at additione *Sacchari Canti Albi* intimius iterum conjungi: separatim vero si misceatur Humor Aqueus & Saccharum Cantum Album, nulla mixturæ perturbatio accedit.

Exp. XVI. Metallorum Crocus examinatur. Si vero misturæ *Humoris Aquei & Sacchari Canti Albi*, addatur *Metallorum Crocus*, particularum exiguarum inde subsequetur præcipitatio, sed additione *Vitrioli Cyprei* Humor Aqueus totus fere coagulatur, & caseosus quasi redditur; remanente, cui innatabat, seri aliqua portione; sed admodum tenui.

Exp. XVII Saccharum Saturni. Ut examinarem *Humorem Aqueum* mistum cum *Saccharo Saturni* (igni non admotum) notavi totum ferè in coagulum album abire, & tantillum saltem seri restare. Separatim vero si examinetur *Saccharum Saturni*, *Vino* junctum, bene hæc inter se misceri liquidò constabit. Similiter & *Saturni Saccharum* cum *Aqua Rosarum*, optime conjungitur.

Exp. XVIII. Olei Tar- *Humor* hic *Aqueus* ex admisto *Saccharo Saturni* in coagulum mutatur.

Ad-

Additio *Olei Tartari per Deliquium* lactescit & ferè totum dissolvitur. Separatim vero si examines *Oleum Tartari per Deliquium* cum *Humore Aqueo* mistum, videbis Humorem Aqueum tenacem reddi & incrassescere, albuminis ovi non agitati instar; si vero adatur *Vitri Antimonii* pulvis, Humor Aqueus iterum magis dissolvitur. tari per Deliquium examen.

Quod *Oleo Tartari* contingit, idem etiam observabis ex admistione *Olei Sulphuris per Campanam* & *Humoris Aquei*; principio quidem conspicietur liquor lacteus, sed brevi in coagulum transit Humor Aqueus. Eademque ferè observantur, si Humori dicto instillentur guttulæ aliquot *Spiritus Nitri*; quo iterum primo lactescit Humor, sed statim in coagulum transit; remanente, in qua fluctuat, tenui aquâ: hisce si addatur *Olei Caphuræ* tantillum, coagulum ferè in totum dissolvitur. Exp. XIX. Oleum Sulphuris.

Ut notarem, num *Cerussa* cum *Humore Oculi Aqueo* posset jungi; vidi, principio Humorem in coagulum abire; postmodum vero, ubi partes diutius paulo agitaram, eundem iterum tenuiorem reddi, & lactis formam induere. Exp. XX. Cerussa.

Vitrioli Cyprii pulvis si inspergatur *Humori Aqueo*, Humor hic partim in coagulum abit: partim vero, si agitetur, in tenuem aquam transit. Eidem Humori si addatur pulvis *Vitrioli Albi*, mistura in totum mutatur & in coagulum album transit. Exp. XXI. Vitriolum.

Ut certior fierem quî *Humor* dictus & *Vitri Antimonii* pulvis sese jungerent; notavi itidem, Humorem partim coagulari, coagulumque flavescentis coloris evadere; partim vero tenuioris aquæ formam repræsentare. Idem observatur, si *Humor Aqueus Metallorum Croco* admisceatur. Ubi coagulum itidem flavescit, sed aqua secreta ex flavo nigricantis coloris conspicitur. Exp. XXII. Vitrum Antimonii examini subjicitur.

Hæc Experimenta quum non sufficerent, ulterius Humorem Aqueum examinandum esse necessarium duxi; Ideoque Humoris hujus drachmas quinque retortæ indidi & leni igne destillationem institui: vix igni incalescebat vitrum, quin Humor in coagulum album, sed tenuioris consistentiæ, abiret; & brevi post in plurimas bullulas (instar smegmatis hispanici aquâ agitati) mutabatur: dissipatis bullulis, iterum coagulum apparuit; sed crassius quam ante, & majoris consistentiæ. Aqua autem, quæ guttatim in vas recipiens stillabat, limpida erat & admodum pellucida: destillationem ad siccitatem continuavi, & aquam destillatam observavi pendere drachmas tres cum semisse, saporis & odoris expertem: Caput mortuum vero pendebat grana viginti duo, quod colorem ex obscuro flavum repræsentabat, cujus partes omnes tenaciter in se cohærebant; exceptâ exigua earum portione, quæ friabilis, in pulverem facile redigi poterat. Odorem spirabat empyreumaticum, & salsedo ejus perfecte linguâ potuit dignosci. Hoc autem Caput Mortuum aquâ si facile dissolvi posset, necessario particulæ salinæ aquâ istâ absorberentur; quâ iterum evaporatâ, forte aliquot grana, substantiæ plane salinæ post evaporationem restarent; verum quum observarem, hoc Caput Mortuum, particulis suis tenacibus & viscidis tan- Exp. XXIII. Distillatione examinatur Humor Aqueus.

quam vinculis firmissime teneri, vix operæ pretium judicavi, illud Experimentum instituere.

Hisce ita demonstratis, jam manifestum redditur; quibus particulis constet Humor Oculi Aqueus: *Primo* enim aquam in se continet admodum limpidam & pellucidam: *Secundo*, particulis scatet viscidis & tenacibus: *Tertio*, sal in se continet atque acidum: *Quarto*, particulas insuper habet terrestres: *Quinto*, non destituitur suo spiritu volatili. Hac itaque methodo via patebit, quâ varia medicamenta in Affectibus Oculorum, qui dependent à vitiosa Humoris Aqueï constitutione, sint præscribenda & applicanda; quâque, præter jam usu recepta, quisque ingeniosus facile alia adinvenire poterit, quæ Humorem Oculi bene constitutum præservare, & malè affectum corrigere valebunt.

De cæteris oculorum morbis in *Chirurgia* nostra agam.

Caput XIV.

DE QUIBUSDAM NARIUM, FAUCIUM, DENTIUM AC AURIUM MORBIS; UT DE CORYSA; CATHARRIS SIC DICTIS; HÆMORRHAGIA; GINGIVIS SANGUINOLENTIS; DENTIBUS VACILLANTIBUS; ODONTALGIA; STERNUTATIONE; SURDITATE; TINNITU ET GRAVI AUDITU, ETC.

Coryza sive gravedo.

CORYZA sive GRAVEDO est quædam lymphæ, à frigore contracto, incrassatio, quâ succi incrassati à narium glandulosis acinis, faucium, oris, laryngis, &c. cum salsedine & acrimoniâ segregantur ac instar pituitæ viscidæ emunguntur aut excreantur.

Causæ externæ sunt frigus contractum, præsertim quando quis erat calidus, atque se vestibus subitò denudat; vel si contrahat frigidum ventum per fenestræ aut januæ rimam, aut alias: tunc succi nutritii aliquo modo incrassantur, hinc quidquid salsum à renibus deponi debebat, in illis succis manet, & à glandulis narium, faucium, &c. mucum secernentibus secernuntur; non quidem hac crassitie, quâ deponuntur, ibi sequestrantur, tunc enim omnia totius corporis vasa essent obstructa, verum tenuiori; sed quia in illis glandulis aliquandiu morantur, ideo ab aëre frigido inspirato ulterius condensantur, atque sic in formâ pituitæ evacuantur. Si è cerebri ventriculis liquor pituitosus per infundibulum, &c. non separatur, ibi subsistit & gravitatem cerebro parit: ita etiam naribus obstructis, idem malum oboritur. Propter poros in sanguine diversimodè dispositos febricula sæpe oritur & sanguinis incalescentia. Sic ob salivæ tenacitatem & salsedinem, à renibus non depositam, oritur sitis: & quoniam hoc casu chylificatio non procedit, urina, instar lactis ebutyrati, alba est vel clara.

Appe-

Appetitus edendi nonnihil etiam turbatur, quia ſucci ventriculares etiam pituitoſi & ſalſi exiſtunt.

Anno M.C D Lxxii. Gubernator Hulsdenſis, & Centurio *Perceval* cum copiis ſuis Trajecto ad Moſam præſidebat, inque urbis propugnaculo viſitans, à Gallis, tunc hoſtibus, globulo Sclopetario in frontis oſſe ſupra ſupercilium dextrum, ictus; vulnus penetrabat uſque in cavitatem, quæ ibi invenitur: ab hoc vulnere liberatus: Sed poſtea quærebat ex me quare, cum Chirurgus ipſum vulnus denudabat, aërem per nares attractum per frontis oſſis cavitatem emitteret. Hic nodus erat ferè Gordianus, quem Magnus Alexander non niſi gladio ſuperabat; ſed hic mihi erat ratione opus & Experientiâ: accepi igitur capita humana arefacta, quibus crania ſerrâ erant ablata, in ſiniſtram cavitatem aërem inflavi, ſed in certo loco videbatur exire: deinde aquam guttatim inſtillavi, quæ per naris ſiniſtræ poſteriora exibat. In dextrâ idem expertus, & aqua etiam ex dextra nare verſus poſteriora quoque deſcendebat. Aquam quoque fudi in oſſis cribroſi pelvim, quæ etiam per nares, iiſdem in locis emanabat. Quid ergo concludendum? Quantum mihi judicare licet, dicerem in illis cavitatibus omne humidum colligi quod inter duas cranii tabulas confluit, & in nares duci. Hinc ſi à frigore ille liquor fuerit incraſſatus, in gravedine caput ſupra naſum grave eſt, & materia præ craſſitie emungi nequit: hinc ſternutatoria juvant pariter & Errhina: nec non ſi linteo calidiſſimo ad focum frons continuo per horæ quadrantem foveatur: idem à tabaci fumo fit, præſertim ſi tabacum integrum naribus intrudatur; ſic coryza pellitur fumo maſtichis, Thuris, Caryophyllorum. Porro in illis cavitatibus viſcidus humor, ſubſtantiæ cerebri non abſimilis, quod ex vulneribus liquet, colligitur. Unde? niſi ex cranii interſtitiis. Et licet aër in vulneratis per cavitates illas exeat, non tamen ideo factæ videntur, quia in ſanis ſive aëre ſive humida materie repleta ſunt, ergo aërem ex naribus non admittunt, qui per vulnus efflatur: tunc enim nihil aërem aſcendentem impedit. nam viæ tunc patent. Imo, quid ſentiendum in Lue venerea, ubi ægri de doloribus ſupra ſupercilia quæruntur, tandem ſequitur narium obſtructio, fœtor, oſſiculorum caſus &c. Quod & poſtea vel eodem tempore palato &c. evenit: hinc uvulæ & adjacentium quoque partium infectio, & ulceratio.

Cur aër per foramen in os frontis inflictum ſpiratur.

Quoad os cribroſum, licet plurimis vaſculis, ſanguineis ſit pertuſum & perforatum, cur etiam non quidam ramuli ex nervo, odoratorio dicto, idem cribrum, uſque in naſum pertunderent? ſternutando enim alleviatur cerebrum in coryza, & multum mucoſi humoris elutriatur: quid in capitis dolore, Epilepſia &c. non efficiat ſpiritus ſalis armoniaci; in convulſionibus Hyſtericis aſſæ fœtidæ graveolentia &c. quæ totum cerebrum fulminis in modum perreptant. unde hoc? niſi quod os Ethmoides, præter vaſa ſanguinea, etiam aliis tubulis ſit perforatum. Sequens caſus mihi, in hunc modum, miſſus:

Clarissime Domine,

Saliva quasi pilosa.

Mense Januarii 1697. inter comedendum sentiebam vespertino tempore subitò aliquid in faucibus, ac si esset pilus, & per aliquot dies post & ipse credebam; postea mihi videbantur & fauces & os plenum esse pilis & filis; & non mirum quoniam saliva & screatus, qui sæpe exoriebatur, tam tenax erat & viscidus ac si fuissent filamenta. Vox aliquantulum rauca, sine tamen difficultate inter bibendum & edendum, tunc enim mihil mihi incommodi parit: neque publicè concionari quidpiam impedimenti apportat. Præscripserunt mihi linctus, gagarismata, purgationes duodecies repetitas, sed omnia frustra, Æthiopem enim lavabant. Uvula interim præter morem solitum crassior evadebat ac rubicundior: os, lingua & mala sinistra aliquo modo inflammantur cum rubore: item externè collo è Laryngis regione accedebant pustulæ. Glandulæ pone linguam evadunt crassæ, breves & cuspidatæ. Nervi (*tendines* vult) cervicis, & qui laryngem prætereunt solitò paulò rigidiores. Alias videor sanus. Urina rubicunda, sæpe crassiuscula inter mingendum. Stomachus se bene habet. Matutino tempore lingua, absque amarore, nonnihil obducta. Neque tussio, neque difficile respiro. Astringenti Gargarismate uvula imminuta & oris, &c. rubedo solitum colorem recepere. Excreatum non adeo tenax, & salivam ordinariam propemodum refert, sed interdum copiosius excernitur, cum pruritu ingenti: ante aliquot dies ex gravedine tussis, & malum auctum est; hinc partes illæ evaserunt dolorificæ &c.

J. ANTONIDES
Pastor.

Westerwytwert Groningorum.
8 *Junii.* 1697.

Humores screatum componentes, nimium incrassati fuerunt, atque filorum in modum per porulos uvulæ, tonsillarum, circumjacentiumque partium sensim sensimque protrusi fuerunt. Hinc si ab humoribus à tergo succedentibus protrudi nequibant, acres facti, & hisce partibus pruritum intolerabilem inducebant: hinc multi humores salivales subsistebant; ideoque lingua, uvula &c. nonnihil inflammabantur; & quia sanguini liber non concedebatur præterfluxus, tardius etiam præterfluebat, & parum gradum sistebat, hinc rubedo. Porro filamenta illa ob aëris inspirationem frigidiora facta, quoque tenaciora evadebant, ideoque in ore & faucibus pili aut filamenta videbantur.

Itaque ut materia tenax incideretur, dedi pilulas ex Galbano, assa fœtida, martis vitriolo, mercurio dulci & oculis cancri. Deinde radices pyrethri, (ut salivam emulgendo materiam tenacem educeret, masticandas porrexi) & liberatus.

Quidam in hoc casu purgant, sed opus non est: sed potius instituatur *Sudatio*, quâ humores tenaces & infrigidati iterum in pristinum redigantur statum. Bibatur ad sudorem Potus Theæ, vel vinum aromatites calidum: sedeat

fedeat ante focum caliſſimum, ut ſudore diffluat. Accendat fiſtulam tabacariam, vel loco tabaci ſumat ſuccedaneum aliquod ex *Betonicâ*, *Majoranâ*, *Roremarino Thymo*, *Lavendulâ*, &c. Caput, nares, &c. infumentur *Maſtiche*, *Thure*, *Benzoin*, *Caryophyllis*, *Semine Nigellæ*, &c. ſed Caput linteo eſt velandum, ut naribus recipiat fumum. Fiat quoque ſternutatio ex *Pyrethro, Helleboro albo*, *Pipere*, Tabaco, &c. quidam, ſed ſine fructu, veſicatoria pone aures applicant. Summoperè annitendum ut quis ſe in continuo calore contineat; inde enim omnis eſt expectanda ſpes.

Quid ſit *Aphonia*; ſive vox abolita, alibi *in Inſtitutionibus* expoſuimus. Si Apoplexiæ jungatur difficile curam admittit. Si ſit cum ſingultu, omen peſſimum eſt, Si ex terrore, aut alia ecſtaſi, curam quidem admittit, ſed tardè. Novi matronam, quæ ex ſubito terrore muta erat facta, quæ poſt aliquot annos loquelam ſenſim iterum recuperavit. Primo addiſcebat dicere *ja*, *ja*, deinde, *neen*, & ſic deinceps.

Si itaque veniat ex paralyſi muſculorum laryngis, vel ex ſpasmo ab irritatione aliquâ, tum nervina, oleoſa & volatilia ſunt adhibenda; item ſudorifera aromatica, maſticatoria, decocta ligni ſaſſafras & ligni ſancti: exterius ſunt ſpiritus volatiles oleoſi & camphorati applicandi: colli frictiones cum linteis calidis proſunt: cæterum reſpiciendæ ſunt cauſæ.

Sunt quibus nares continuò tenuem & ſalſum ſtillant humorem, præſertim tempore hyemali & ventis frigidis expoſiti. *Cauſa* eſſe videtur, quod eo tempore oculi, eorumque nervi motrices, ab aëre acri & mordaci magis afficiuntur, quare liquor lachrymalis majori copiâ ſecernitur, & copioſius per ductus lachrymales ad nares ablegatus, etiam largius effunditur. Et hoc verum eſſe liquet, quod lachrymæ ipſæ, ob nimiam quantitatem, ab ipſis oculis decidant. *Curatio* hic nulla adhibetur, quia calore tantum abigitur.

Huc quoque pertinet RAUCEDO, quæ tunicæ intimæ laryngis eſt aſperitas, unde vox rauca & ſonora, ita ut videatur tacitè loqui: quia debitus ſonus non effertur. *Cauſa* hoc in loco eſt, quando vento boreali, præſertim hiemali tempore, aër, ſalinis & acidis aſperitatibus, imprægnatus, inſpiratur; tunc enim intima laryngis tunica ſcabra fit, eodem ferè modo ac cutis eodem tempore ſcabra redditur. Raucedo.

Raucedo ſi per annos perſeveraverit, raro curationem admittit. Si ob ſuppurationem ſive Tabem fiunt, fere ſub mortem futuram veniunt.

Videndum num *cauſa* ſit interna, num externa; an lympha ſit benigna, an acris nimis; quod ex materia tuſſi aut ſcreatu ejecta ſatis conſtat. Si ſit recens ac ex benigniori lympha, opiatis & lenientibus nimia lymphæ irroratio ſiſtitur; accedant quoque lymphæ acrimoniam temperantia. Si fuerit *inveterata*, pectoralia, & incidentia conveniunt: imo præter alvum purgantia, ex jalappâ, Mechoacannâ, Scammonio &c. conveniunt emetica. Si ex ſcorbuto, lue venereâ, tabe, vomicâ &c. ad cauſas reſpiciendum.

Remedia non ſunt tanti, vulgus utitur *pasſulis majoribus*, *ficubus*, *glycy-*

rhiza, &c. sed illa tantum aërem adhuc inspirandum temperant, ne ingrediendus aër tunicam læsam ulterius lædat. Usui etiam utique esse posset *vinum passulatum cum Helenio*, *Zingibere*, *Angelica*, &c. acida sunt vitanda, quia aër inspirandus multo acrior fieret, ulteriusque læderet; bibatur lac calidum cum Croco, ut & ova sorbilia, aliaque lenientia usui veniant.

Convenit Raparum decoctum cum pauco sacchari, flores sulphuris, balsamus sulphuris anisatus, sperma ceti, cerevisia Jopensis, Erysimi decoctum, mel scilliticum, &c.

Tussicula. TUSSICULA sæpe adest, si aër inspiratus tunicam magis læserit, ita ut ex glandulosis asperæ arteriæ tunicæ acinis humor acris & salsus deorsum destillet: Hinc in ramulis Bronchiorum oritur quidam titillatio, & consequenter motus convulsivus, qui *Tussis* dicitur. Curatur quoque medicamentis, quibus Raucedo restituitur, & si parum vehemens sit, sume lac orizatum cum croco & semine papaveris. De cæteris vide caput de *Tussi*.

Hæmorrhagia narium. Ad NARIUM HAEMORRHAGIAM descendamus: illa oritur à rebus externis aut internis: *causæ externæ* sunt Ictus, Lapsus, Sternutatoria nimis fortia, læsio per digitorum intrusionem, &c. *Internæ* sunt sanguis crassus facile per arteriolarum ramulos erumpens. Arteriæ enim in caput ascendentes, juxtaque nervos olfactorios euntes per cribrosum os succulos quosdam in nares, earumque tunicam glandulosam emittunt, qui sanguinem, &c. ibi deponunt. Existente nunc sanguine nimis crasso & acri, vascula hiantia nimium dilatantur, corroduntur, vel rumpuntur, hinc sanguis magnâ quantitate effunditur, præsertim post usum potuum nimis spirituosorum aut aromatum, ut & à motu nimio, tunc enim sanguinis motus acceleratur, & quia tam citissimè vascula minora, præsertim narium, non permeant, erumpit. Quod & fit si quis corpus suum flectat, ut aliquid de pavimento tollat, tunc nimium vasa sanguinea comprimuntur, ut non tantum liveat facies, sed per illa vascula exprimitur. *Narium stillicidium* in quibusdam morbis mali aliquando ominis esse solet, uti in morbillis, variolis, febribus malignis, peste &c. Ideoque si contingat quamprimum est sistendum. Mediocre licet in Cachecticis, cum pulsu debili & sudore frigido periculosius est, quam in sanguinolentis corporibus. Nimius sanguinis fluxus Hydropem parit & cachexiam. Si accedant arteriarum convulsivi motus, malum.

Omnis narium Hæmorrhagia est sistenda, nequid multum sanguinis deperdatur. Deinde sanguis crassitie, acrimoniâ, &c. peccans, est attenuandus, ut facillimè vascula minora pertranseat. Ad sistendum, externè valent omnia astringentia, quibus sanguis in vulnere ipso coagulatur. Sed intus porrigenda, quæ sanguinem fluori justo restituunt. Externa sunt.

Orbicularis, *sive Bovist*, *Cortices Quercus* & *Granatorum*, *Gallæ*, *Sumach*, *Thus*, *Amylum*, *Mastix*, *Alumen*, *Bolus*, *Vitriolum cæruleum*, *Spongia*, *Terra sigillata*, *Creta*, *Colcothar vitrioli* &c.

Vinculis constringantur brachia & crura. Capiti, temporibus &c, aquâ frigi-

frigidâ laventur; vel eximproviſo eadem cervix irrigatur, nam perterrefactione ſæpe ceſſat. Quidam plantis pedem cauterium applicant: alii pulvere ſympathetico Digoæano contenti ſunt. Naribus inditur cum linteo carpto *Colcothar vitrioli*; aut intruditur *bolus*, *Maſtix*, *olibanum &c.* cum *ovi albumine*. Hiſce turundis facile ſiſtetur ſanguis. Erecto potius ſedeant corpore, quam decumbant, alias facile ſanguis in laryngem, ad ſuffocationem uſque, ſtillaretur. Sequentia interim cochleatim ſunt ſumenda: ut

Recipe Aquæ Plantaginis, vel
Pluvialis coctæ, *uncias tres.*
Salis prunellæ, *drachmas tres.*
Laudani Opiati, *grana tria.*
Miſce. vel,

Miſce Succi Urticæ,
Plantaginis, *ana uncias tres.*
Caphoræ, *drachmam unam.*
Miſce. vel

Sume Aquæ plantaginis, *uncias duas.*
Salis prunellæ, *ſcrupulos duos.*
Laudani Opiati, *grana duo.*
Caphoræ, *grana decem.*
Miſce.

Laudat Eruditiſſimus Dom. *F. Gruiwart* M. D. & Conſul apud Goeſanus ſpectatiſſimus ſequens unguentum, quod ope lintei carpti jubet naribus intrudi:

Recipe Boli Armenæ,
Trochiſci de Terra ſigillata,
Lapidis Hæmatites, *ana drachmam ſemis.*
Albuminis ovi, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat inſtar unguenti,

Commendat idem laudatus vir ſequentem mixturam, quam millies probatam, addit.

Recipe Florum cæruleorum cardui ſylveſtris, *unciam ſemis.*
Vitrioli albi, *grana decem* vel *duodecim.*

Fiat debita maceratio in aquæ communis unciis octo. Colatura facta & expreſſa reſervetur uſui: hic liquor linteo carpto naribus inditur

Sequenti mixtura ſolebat Expertiſſimus lithotomus *Smaltius*, in omni Hæmorrhagiâ tam narium quam aliarum partium, uti: Ex. Gr.

Recipe

Recipe Olei Vitrioli,
Limaturæ chalybis, *ana libram semissem.*
Fuliginis cacabi æ nei, *quantum sufficit.*
Aquæ commumis, *libras duas.*
Effervescentiâ peractâ, adde
Aluminis crudi, *uncias duas.*
Liquor filtretur & usui reponatur.

Quidam venæ sectionem instituunt sed sive febris adsit, sive non, solamen inde minimè, nam per ipsam hæmorrhagiam vires satis detritæ sunt, non opus ergo est, ut per aliam viam adhuc ulterius exhauriantur: novi quosdam exinde in paralysin incidisse, & Hydropem, cachexiam &c. contraxisse. Opus hic sunt, quibus acidum salsum temperantur: ut

Recipe Cornu cervi usti,
Coralli, *ana scrupulos duos.*
Caphoræ, *scrupulum unum.*
Opii *grana duo.*
Fiat pulvis pro duabus dosibus. vel,

Gingivarum Hæmorrhagia.

Accipe Ocul. Cancri, *drachmam unam.*
Croci, *scrupulum unum.*
Misce fiat pulvis.

Quandoquidem Hæmorrhagiæ vox sit generalis, sub eâ omnes sanguinis fluxus censentur: Atque hoc scribendo incidit in mentem HAEMORRHAGIA DENTIUM ut dicitur, sed potius GINGIVARUM, cum dentes, tanta non habeant vasa sanguinea. Experientissimus *Fr. vander Schagen*, vocatus apud Matronam in viciniis habitantem annorum quinquaginta vel circiter, cui ex gingivâ interiore circa dentes incisorios maxillæ superioris aliquot sanguinis pondera intra triginta horas effluxerant, Eruditissimus vir plurima styptica quidem præscripserat, sed omnia sine fructu; ego adhuc juvenis dicebam matronæ, me fortasse fluxum inhiturum, ut dictum, factum, contundebam vitriolum cæruleum, cum bolo vulgari & alumine, quem miscelam supra fungum orbicularem insperfi, quem jussi loco sanguinem fundenti admovere, & per horam manibus ita tenere: & restituta mihi, cum donatiuncula quadam, gratias egit.

Masticatio læsa.

Masticatio imminuitur quando musculi temporales, ut & musculi genis & labiis communes, (qui maxillam inferiorem movent & ad superiorem adducunt (spasmo sive convulsionibus, aut paralysi laborant: vel si vulnerati sint. Spasmus, si adsit, vocatur *Spasmus cynicus*, de quo alibi: & tunc ægri imitantur canes ringentes: vel ridentibus similes sunt, & appellatur ideo *Risus Sardonius*. Si utriusque genæ & labiorum musculi paralysi laborent aut contrahantur, oris erit utriusque diductio. Ast si alterutra faciei pars convul-

sione

sione contrahatur, aut paralysi afficiatur, tunc debita oris figura in alteram partem contorquetur, in convulsione quidem, pars sana ad ægram convulsam; in Paralysi, pars ægra resoluta ad sanam. *Oris tortura* speciatim appellatur, in qua modo dicta oris ad alterum latus distorsione oculus alter ritè claudi nequit, nec æger debitè exsufflare, quando exspuere jussus, ex altero tantum oris latere id præstare potest. Vel, si æger ridebit, vel o pronunciare, videbis alteram faciei partem liberè movere non posse. Si porro faciei pars dura sit, cum sensili plus minus dolore, & hæc aliam, rectè se habentem, ad se quis trahat, à convulsione illius lateris malum esse palam fit. Ast si pars affecta mollis, laxa & minus sensilis, & ejus oculi inferior palpebra ferè decidit, ad sanam partem trahatur, à paralysi malum esse ostenditur.

Causæ spasmi & paralyseos eædem sunt ac specialibus capitibus tractavimus.

Oris Tortura tardissimè curatur, nam malum est difficile: in morbis acutis, periculosissimum. Huc pertinet Aphorismus Hippocratis 49, Sect. 4 *in febre non intermittente, si labrum vel oculus, vel nasus, vel supercilium pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, quidquid horum evenerit, mors proxima est.* Sed in Coacis prænotionibus ait, *tantum esse mortale.* Sit ut fit, est alea periculo plena, quia cerebro propinqua admodum est: & delirium adesse significat.

Curatio eodem modo est instituenda, ac suo loco de spasmo & Paralysi docui.

à Maxillarum *Luxatione*, etiam Masticatio vitiatur, in qua os nimis hiat, à quavis violenta externa facta: quod etiam fit ab *oscitatione vehementiori*, unde hiatus oris nimius inducitur; atque huic malo medetur alapâ sub mento per percussionem inflictâ. Læditur quoque Masticatio à tumore faucium, inflammatione tonsillarum, &c. in quibus vox vix audiri potest. Sic parotides impediunt motum liberum, quando maxillæ cum suis processibus in cavitate sua moveri nequeunt. Cæterum in cavitatibus juncturarum tartarus quidam ut in scorbuticis quibusdam crescere potest, unde & maxillarum movendi imbecillitas. Maxillarum vitium.

Sic à convulsione musculorum reciprocâ, maxilla tremulè cogitur moveri, hinc *motus* maxillæ *depravatus*, & *dentium stridor*, qui in febrium accessibus communis est: ut & in alio extremo hyemis frigore, quando totum corpus, & præsertim præcordia frigore vexantur. Ut tremulus motus fiat alibi diximus. Porro adultis dentium stridor superveniens malum, aut Apoplexiæ, aut Epilesiæ imminentis. In febribus dentibus stridere, malum, præsertim si deliranti id accidat. Stridor dentium.

In *curatione* externè penetrantia sunt applicanda, atque internè usurpanda, quæ in convulsionibus alibi præscripsimus. Alibi legi de Dentium nocturno stridore in matrona, sed nescio in quo Auctore: inter legendum in memoriam incidebat me habuisse fratrem *Nicolaum Blancardum* S. Th. Studiosum, nunc ἐν ἁγίοις, qui mecum Medioburgi, & postea Franequeræ semper condormiebat, is semper tempore nocturno dentibus stridebat. Quare Stridor dentium nocturnus.

an ob molares dentes exactè sibi invicem respondentes; an ob motus convulsivos leves, nam in primis post nativitatem mensibus motibus epilepticis obnoxius fuerat?

Dentium vitia.

Læditur quoque Masticatio vel ob dentium defectum; vel quia vacillant; vel ob stuporem aut dolorem. *Defectus* aliquando fit ab externâ causâ, cum ictu aut casu evelluntur, aut excutiuntur: item à cibis & potibus dentibus inimicis, detritio gingivarum à pulveribus dentifriciis, tunc enim rectè cum gingivis cohærere nequeunt, unde tandem vacillare coguntur. Ab internis causis si fiat, ortum habet ex scorbuticâ salivæ constitutione, qua dentes & gingivæ eroduntur, unde dentium & ossis maxillæ caries, & oris cancer. Hisce accedit senium, & puerorum dentium commutatio.

Saccharatis porro, passulis, ficubus; caseo præsertim acri & vetustiore non parum corrumpuntur dentes, exedantur enim & carie absumuntur. Sic nimis frigida aut nimis calida: sic si nuces dentibus frangantur, sæpe ipsi dentes franguntur, & rimas agunt, unde iis sensim caries inducitur. Qui Cinamomum quotidie masticant, iis dentes, ob oleum penetrans, corrumpuntur, & carie conficiuntur.

Tartaro quandoque dentium præsertim radices obsidentur, ab acido nempe corrosivo, quo dentes corroduntur: tunc enim acida spicula alcalinis dentium poris se insinuant; dentium particulas loco movent, & tartarum terreum constituunt. Si caries adsit, à puncto nigro se primo prodit, hinc sensim quædam cavitas aperitur, & tandem temporis successu cavitas fit major, ex qua fœtor, putredo, vermiculi, &c. prodeunt. Novi infantem, cui ne fleret, dabantur ficus, ut eorum dulcedine se tandem ad soporem componeret; sed quia quotidie ficuum dulcedine oblectabatur, tandem in cancrum & cariem maxillarum delapsus est. Dentes etiam vacillant, & excidunt post salivationem cum Mercurio.

Dentium Casus in Junioribus, à subnascentibus per se restituuntur. In senioribus nunquam renascuntur, & si videantur de novo renasci, illud evenit à radicibus dentium priorum, nam radices & ipsi dentes continuo crescunt, quod & mihi evenit; elapso enim, ante sex lustra, dente molari, ita ut nullum vestigium relictum videbatur, denuo excrevit; illud evenit mihi quoque in superioribus duobus incisoribus, qui enascuntur, quamvis ad gingivas usque casu fregere.

Ob alveolos oblitteratos, dentes excidunt.

Dentium alveoli quandoque obliterantur, hinc munimentis ablatis, dentes vacillant, membranisque tantum cingentibus cohærent, qui tandem excidere coguntur, nam emoriuntur sensim. Alveoli abolentur, quando eorum parietes, ob dentium longitudinem sensim franguntur, & à debito alimento frustantur; itaque quod non nutritur, sensim perit & evanescit.

Arte dentes restitui aliquando possunt, ne defectus loquelæ officiat: optimi fiunt ex ebore, sed meliores & corruptelæ minus obnoxii ex dente equi marini. Sunt qui scribunt dentes evulsos & in alveolos iterum insertos, denuo cum gingivis coaluisse, ac si nunquam defuissent: sed hoc non credo: pars enim corporis semel separata, in æternum mortua est, & manet.

Caries dentium medetur vel saltem suspenditur, intrusione vitrioli cærulei:

lei: aſt, ſi metus ſit proximum etiam dentem carie infici, evulſio præſtat, ut propinqui dentes integri ſerventur: dentes vacillantes facile & ſine moleſtiâ evelluntur: alias ſi radices habeant fixas, cavitati ſuccum Tithymalli, chelidoniæ majoris, aut lac ficulneum cum farinâ piſtum, intrudunt, ut eo melius absque doloris ſenſu extrahatur. Porro loco vitrioli, Cauterio candente dentes cavi inuruntur, ut in aliis cariei oſſibus: & cavitatem replent cerâ viridi, melius plumbo. Alii ſpiritum vitrioli aut aquam fortem cum goſſypio intrudunt: hoc quoque modo dentium fœtor tollitur.

Si in dentium cavitatibus vermiculi creſcant, os colluatur decocto abſinthii, vel cavitati goſſypium cum oleo vitrioli intrudatur: aut cauterio inuratur. Sunt qui per infundibulum fumum ſemimis Hyoſcyami ore ſuſcipiunt, ſed hoc fallax eſt circumforaneorum remedium; ſemen enim illud prunæ injectum ſtatim ex cortice ſuo exilit & infundibulo, intus madefacto, vermium in modum adhæret. Vermes dentium.

Tophi ſeu tartarum dentibus adhærens, inſtrumentis ferreis abradendum, ne dentibus ac gingivis officiat: ut & mucus dentes ſenſim erodens, quotidie aquâ frigidâ abluatur. Si exterior cortex ſit nigricans, & color ad medullam non penetret, dentes quotidie fricandi pulvere cryſtallorum tartari, tartaro vitriolato, pulvere panis ſuper ignem aſſati, pumice, alumine uſto, &c. ne dentifriciis ingrediantur duriora ut corallia, teſtacea, porcellana, &c. quibus non tantum cortex continuò fricando aufertur, ſed & ipſæ gingivæ abraduntur: unde vacillatio. Pulveribus hiſce adde bacillos ex malvæ radicibus, quibus dentes purgantur. Dentium tophi, & mucus.

Vacillantes Dentes ſæpe reſtituuntur collutionibus aſtringentibus; præſertim ſi origo ex alveolis ulceratis vel corroſis ſit inchoata, nempe aqua aluminoſa, decoctio florum roſarum rubrarum, corticum granatorum, florum balauſtium, Tinctura Catechu &c. tunc enim quidquid putridi detergetur, & reliquum ſanatur. Hæc & ſimilia etiam conveniunt in dentium vacillatione à Mercurii uſu, præſertim ſi ſalvia decoctionibus adjiciatur.

Maſticatio quoque impeditur à *ſtupore dentium* dolorifico, qui ab acidis quibuſdam vomitu ejectis, vel ingeſtis originem habet, nempe à ribeſiis, limoniis, citriis magnâ quantitate devoratis. *Cauſa* conſtitit in acidis ſpiculis, quæ ad dentis intima penetrant, atque hoc modo nervi & membranæ, quibus dentes intus inveſtiuntur, convelluntur, unde doloris ſenſatio. Hæmodia ſive ſtupor dentium.

Idem in *dentium algore*, quando frigida ferre nequeunt, quæ etiam, ut dictum, ad partes, dolorem ſentientes, penetrant. Algor dentium.

Ambo illa mala curantur collutione ſpiritus vini, tunc enim acidum mitigatur, quod etiam alcalinis efficitur, quibus acidum domatur.

Porro de ODONTALGIA, nobis hic erit ſermo. *Doloris*, ut vocatur, *Dentis cauſa* in eo eſt ſita, nempe, quando dens debilis, corruptus aut carioſus eſt, tunc ſucci præterfluendi, ibi propter obſtructionem quandam, præterfluere nequeunt; hinc tandem corrumpuntur, aceſcunt & acrimoniam rodentem contrahunt, atque ſic nervi & membranæ, in intimâ dentium radi- Odontalgia.

cantes, corroduntur, unde dolor intolerabilis: raro enim afficimur dentium dolore, quin aliquid fit, quod peccat. *Causæ* sæpe sunt *externæ*, ex. gr. si quis solevit quædam durissima manducare, aut dentibus nuces confringere, aliquando dentes rimosi fiunt; atque tunc nascitur occasio, quâ cibi masticati inter rimas hæreant, ibique putrescant; ac corrumpantur. Acidum, salsum & saccharum dentibus valde inimicum.

In osse Maxillæ superioris cavitas infra oculi orbitam invenitur, ex qua dentis canini radix videtur originem habere; quæ si humido quodam impleatur, ibique stagnet, non raro isti denti Odontalgiæ causa existit. Cavitas enim illa, quamvis ornatus causa dicitur esse structa, alium tamen habet usum: nihil enim frustra homini datum. Verisimile est in illa à partibus vicinis humorem colligi, qui in narium cavitates vel per palatum in os mittitur

Primo itaque dolor est compescendus, deinde causa est tollenda. Dolor statim sistitur grano uno aut altero *opii*. Denti applicetur *Oleum Caphoræ* sive *radicum arboris cinamomi*. *Tabaci fumus* non consuetos statim juvat. Si caries in dente adsit, inditur penicillo nonnihil *spiritus vitrioli*, vel cauterium actuale applicatur; vel cum lanâ oleum origani, Tabaci aut caryophyllorum excipitur, atque denti intrudunt: à sequenti mixtura statim aliquando levamen sentiunt: Ex. gr.

Cape. Aceti vini, *uncias sex.*
Caphoræ, *drachmam unam.*
Aluminis, *drachmas tres.*
Opii, *scrupulum semis.*
Salis Saturni, *grana sex.*
Sem. Staphidis agriæ,
Pyrethri, *ana drachmam semis.*
Misce.

De hac mixtura nonnihil in ore teneatur, & multum salivæ fœtidæ emulgebitur. Alii simplicem vini spiritum in usu habent; alii aquam frigidam. *Masticatoria* præparantur ex simplici *Tabaco*, vel ex *Pyrethro*. Aut componunt quippiam ex *Cera*, *Mastiche*, *Pyrethro*, *Pipere*, &c. quibus etiam saliva elutriatur. *Sternutatoria* ex *Elleboro Albo*, &c. magni quoque æstimantur. *Errhina* & *Nasalia* non sunt spernenda: intrudunt naribus quidam *Betam* aut *Betonicam viridem* paulo manibus confricatam, aut speciem quandam tabaci: Item crocus spiritu vini irrigatus; vel naribus attrahunt vini spiritum, aut spiritum rorismarini. Alii vesicatoria pone aures aut temporibus applicant. Nonnulli aquam frigidam, acetum, spiritum vini, &c. auribus instillant; aut iis pupulas intrudunt ex *cepâ caphorâ & semine cumini*. Solamen quidem expectant cataplasmate ex fermento acido, raphano rusticano cum aceto &c. quod venæ medianæ in flexurâ cubiti applicant. Emplastra temporalia etiam fiunt, ex simplici *Mastiche* cum *Oleo Origani*.

Vel ex *Gummi Elemni*, *Thure*, *Opio*, *Pice*, &c. Extra paroxyſmum, ſi dens ſit excavatus, intrudatur aliquoties nonnihil vitrioli cærulei, quo cavetur ne dolor redeat, ſaltem intra annum, quod multoties expertus. Neceſſe quoque eſt ut os & dentes poſt prandium & cœnam bene frigidâ colluantur, ne particulæ cibi hærentes corrumpantur denteſque corrodant. Extra paroxyſmum ſunt quædam antiſcorbutica in uſum vocanda. Si caput & collum non bene fuerit tectum, tegantur; frigore enim nervi ad dentes euntes non raro afficiuntur. Plurimi curati fuerunt ſolo hoc remedio.

STERNUTATIO eſt convulſio membranarum naſi, cerebri, &c. ex irritatione quacunque narium ortâ, cui adeſt quidam ſonitus. *Cauſæ externæ* ſunt ſternutatoria, titillatio in naribus mediante plumâ aliisve de rebus. Ipſe aliquando aër in cauſâ eſt, præſertim ſi ex calido lecto ſurrexeris & ſubitò aëri frigido temet expoſueris, tunc enim membranæ narium & oculorum ab irritantibus aëris nitroſis particulis titillantur, vellicantur & in motum convulſivum ſollicitantur. *Internæ cauſæ* ſunt mucus acris irritantes particulas continens, quibus narium membranulæ ad pruritum convellentem ſollicitantur. Sic mucus in naribus exiccatus; non raro quoque ejuſmodi irritationes infert: etiam in quibuſdam morbis à cerebri & nervoſi generis convulſionibus oritur. Sæpe ſine periculo eſt, quamvis *Agathonis* tempore morbum Epidemicum fuiſſe ferant, quo homines ſternutando enecabantur, inde Proverbium illud originem ſumpſiſſe videtur *Profit tibi*, vel *ſit ſaluti* &c. alii tamen putant proverbium hoc vetuſtius agnoſcere tempus. Sternutatio.

In principio Coryzæ valde nocet, quia mucus tunc nimium acris eſt. In febribus non parum fatigat, vires enim nimium conſumuntur. Sternutatio modica ægris ſæpe proficua. In paſſione Hyſterica, partu, &c. boni ominis eſſe poteſt. In apoplexia, ſi arte non cauſatur, actum eſt de vitâ.

Inteſtinorum Herniis, exomphalo, &c. ſuperveniens, malum. In affectibus oculorum nocent, ideoque Errhina potius adhibenda, quæ minus nervos oculorum, ob conſenſum, infeſtant. Si arte in Epilepticis, Hyſtericis, apoplecticis &c. inſtituantur, & expectationi non reſpondeant, malum eſt ſignum. A nimiâ ſternutatione ſæpe Hæmorrhagia ſequitur. In pleuritide aut peripneumoniâ valde malum; niſi materia in bronchiis hæreat.

Materia itaque peccans expellenda & domanda eſt. Si à cauſâ externâ, per ſe ceſſat: ſed ab internâ nares intus oleo vel lacte fricandæ; vel aquæ puræ fiat attractio per nares. *Maſticatoria* quoque uſu veniant. Si tunc non ceſſat, ad *opium* confugiendum & ſudorifera. Porro utenda quæ ſuccum & ſanguinem corrigunt.

SURDITAS eſt à nativitate, aut caſu: qui ſurdi ſunt nati, etiam loqui nequeunt, quia nunquam verba audiverunt. *Cauſa* eſt *interna* ſive in compreſſione aut obſtructione nervi auditorii, & tunc eſt iſtius nervi paralyſis. Vel *Externa*, quando tympani membrana eſt incraſſata, aut ceru- Surditas.

 mina

mina collecta, sunt indurata; vel foris aliquid intrusum: aut excrescentiæ sunt in meatu auditorio, ut tumores, verrucæ, glandulæ, ulcerationes, &c. consequens sæpe est apoplexiæ, aut cari; huic quoque rei contribuere possunt cerebri contusiones, compressiones, vulnera, ulcera, pus, &c. sic Tympani membrana cartilaginosa evadit. Ut & istius membranæ perfotione tandem auditus cessat.

Auditus gravitas. tinnitus.

AUDITUS GRAVITAS à surditate tantum gradibus differt. TINNITUS & SUSURRUS fiunt, quando de quacunque causâ membrana Tympani molestiâ afficitur.

Nam si membrana isthæc continuò in illud conprimatur, motum tremulum excitat, qui nervo auditorio, cerebro ac menti communicatur, *susurrus* & *bombilans* quasi *sonitus* exauditur. Sic meatu auditorio obstructo, vasa vicina comprimuntur, quorum motus pulsans ad nervum auditorium transfertur, unde etiam *susurrus*. Sic meatus auditorii diaphoresis impedita, quaquaversum repercutitur, unde etiam ejusmodi susurrus. Aër in meatu auditorio conclusus, à materiâ subtili in continuo motu est, hinc etiam in omne latus repercussus, ejusmodi bombos excitat; atque hoc satis apparet, modo Buccinum admoveatur auribus. Si fuerit à nanativitate, aut membranæ tympani vulnere aut incrassatione, nunquam sanatur: alias sæpe restituuntur, præsertim, si *Tinnitus* adsit, aut obstructio in causâ sit.

Casus de susurro, cum Syncope.

Si veniat à morbis cephalicis, medicamentis quoque cephalicis restitui debet. Si post Apoplexiam remanserit, utimur vesicatoriis, capitis frictionibus, sternutatoriis, &c. spirituosa quædam & penetrantia sunt auri instillanda ut *spiritus vini* cum *spiritu salis armoniaci*, idque quotidie repetatur: interim decoctum potet ex *Salsâ*, *Chinâ*, *Sassafras*, *Betonica*, *Salvia*, *Majorana*, &c. à sex annorum tempore, patientem incommodavit aurium susurrus continuus præsertim in dextrâ, & pro vario tempore nunc magis nunc minus eum affligens. Præterito anno, mense septembris incidit in Syncopen, sæpe redeuntem, (præsertim si rebus seriis occupatus fuerit) ita ut nulli rei peragendæ capax sit. Exinde admodum inquietus est, & memoria ei aliquantulum deficit. Vinum polygophorum, neque aromata fert. Singulis diebus utitur Theæ sorbitiunculâ bis. Ex Tabaco, à Doctoribus præscripto, se malè habet. Fonticuli facti, nullum solamen attulerunt. Alvus tarde respondet. Ex Chalybeatis se bene habet. Mediocris complexionis est: agit annum quadragesimum quartum.

Patiens ille sanguinem habet crassum, viscidum, & particulis acidis abundantem. à Particulis viscidis obstruitur membrana tympani pro parte, & aër tympano conclusus agitatur, unde susurrus: deinde, si spiritus illi viscidi versus præcordia fluere nequeant, animi defectus, præsertim si rebus seriis cogitandis occupatus est; tunc enim ab aliis partibus abstrahuntur, unde lipothymiæ, syncope: eadem de causa memoria labilis est, quia perceptiones altè imprimi nequeant. Propter acidum in corpore abundans Vinum, Tabacum &c. non fert, quia hisce in motum & agitationem ducitur. Porro ob tenacitatem bilis & succi intestinales deficiunt, hinc alvus astricta.

Hic

Hic pituita seu tenaces humores erant incidendi, & acidum domandum, præscripsi sequentes pilulas.

Recipe Gummi Ammoniacj *unc. sem.*
Assæ fœtidæ *drach. unam.*
Vitrioli martis, *drach. duas.*
Ocul. cancri, drach. tres.
M. F. pilulæ ex scrup. quinque.

De hisce mane unam sumebat, & unam cubitum iturus.

Inter prandendum cum vino sumpsit aliquot guttas spiritus cornu cervi. Auri bis terve de die instillabatur spiritus matricalis. Et tandem restitutus.

In AURIUM symptomatibus locum quoque habet DOLOR, sive OTALGIA, qui oritur in conchâ ac toto meatu auditorio usque ad Tympani membranam: cui adjungitur Compunctio, Erosio, Tensio, Gravitas & Pulsatio. Atque hæc originem debent Inflammationi, corporeis extraneis meatum auditorium immissis, Vermibus, & omnibus iis, quibus dolor in reliquis partibus producitur. *Cerumina*, quia constant ex particulis salinis & oleosis, sæpe possunt esse nimium acria ac pungentia. Si glandulosi acini, quibus meatus investitur, à nimia frigore obstruuntur; hinc intumescunt, & cerumina detinentur, acriora ob moram fiunt, & membranas, nervosque non parum vellicant. Sic serositates acres, acidæ & salsæ quæ per glandulas auris evacuantur, non raro dolorem concitant. Vehementi huic ac violento dolori accedunt Febris acuta, insomnia, Deliria, Convulsiones & Lipothymiæ; imo non raro Symptomata sæpe Lethalia: nam meatui membrana est tenerrima, & admodum nervosa: habet enim nervos à nervo auditorio duro, & secundo pari vertebrali. Aurium dolor.

Post Inflammationes sæpe ULCERA oboriuntur, ex quibus sæpe magna puris copia profluit, & admodum difficulter sanari queunt, præsertim si in meatu osseo formantur; nam ob continuum affluxum vix consolidantur. In meatu cartilagineo facilius curatur, quia meatus osseus versus membranam Tympani declivis est, & ubi in planum descendit, fossam efficit notabilem, è quâ pus cum summâ difficultate eximitur. Ast cartilagineus meatus concham versus declivis est, hinc puris evacuatio facilior. Ulcera auris.

Ex ulceribus in aure excitatis, aliquando VERMICULI generantur, à quibus ingens dolor sæpe suscitatur: quorum causam alibi exposuimus. Vermiculi.

Ex penè omnium infantium auribus quotidie plurimum HUMORIS PELLUCIDI & FŒTIDI secernitur, idque bono cum emolumento; ideoque cura habeatur, ne sistatur: imo sunt, quibus aures in adultâ ætate, non sine magno fætore & adstantium fastidio, fluunt. Humor iste ob laxitatem glandulosorum acinorum, quibus meatus auditorius investitur, emanat. Quibus obstructis nervorum ramulos & membranulas, ob acrimoniam tempore contractam, irritant, unde motus aliquando Epileptici. Sunt, quibus post lapsum, casum, contusionem, &c. in cranium, aures aliquot pondera clari, lympidi & insipidi humoris, fundunt: quod Aures humorem fundentes.

nullam

nullam aliam causam videtur agnoscere, quam quod lympha vel similis liquor, ob intumescentiam vel obstructionem internam, liberè vias solitas pertransire nequeat, & coactus sit, per auris meatus glandulosos acinos se exoneret: & per hos nonnunquam pus & sanguinem eructari vero non est absimile.

Dolor si fuerit immanis, venæ sectione opus est: & in *Inflammationibus* incedendum, ut in aliis: in meatum stilletur *spiritus vini camphoratus*; vel per Otenchytam immittatur sequens decoctum:

Recipe Absinthii latifolii,
Scordii,
Centaurii minoris
Abrotani, *ana manipulum semis*.
Coquantur in vino ad uncias sex. Colaturæ adde
Camphoræ, *drachmam unam*.
Misce.

Ex magnate remanenti fiat cum micâ panis, cepis coctis, butyro recenti &c. Cataplasma; & calidè quam fieri potest applicetur, sæpiusque renovetur. Etiam auri calidè applicatur dimidia panis triticei pars spiritu vini & spiritu salis armoniaci irrigata. Vel loco ejus arena calida, præsertim noctu.

In *Ulceratione* injectiones sunt adhibendæ, nempe paretur superior decoctio; cui adde *Rosas rubras*, *Aristolochiæ radicem*, cum *Myrrhâ & Aloë*: aut instilletur Tinctura ex Aloë, Myrrhâ, Gallis cum spiritu vini extracta.

In fluxu materiæ serosæ nihil est adhibendum: eo enim impedito symptomata sæpe gravia oriuntur.

Extranea aliquando à puerulis intruduntur, ut pisa, globuli, nuclei, &c. & si altè in meatum sint intrusa, clauditur meatus ille, qui valde est obiquus & versus membranam Tympani declivis: tunc à cerumine viscoso ibi detinentur, & non nisi difficillimè extrahuntur: præsertim ea, quæ ab humido intumescunt, ut fabæ, pisa &c.

Surditas ab externis. Si meatus, ob negligentiam non ritè purgetur, cerumina inspissantur, indurescunt & meatum obstruunt: imo ob particulas salinas sæpe petrificari possunt, & in gypseam materiam mutari, unde *Surditas*. Claudunt non raro membranulæ in meatu auditorio succrescentes: ut & excrescentiæ carnosæ & fungosæ ex ulceribus aut vulneribus: sic & auris obstruitur: si acini glandulosi, ut aliarum partium glandulæ, tumescunt, meatumque claudunt: hisce obstructionibus adjungitur sæpe membranæ tympani relaxatio.

Si Extranea meatum claudunt, videndum num emolliri possint, ut fabæ, pisa, nec ne, ut globuli vitrei, plumbei &c. & an meatum cartilagineum obstruant, an vero osseum. Intrusa si fuerint mollia, & in cartilagineo tantum meatu, ea sunt frangenda, cochleari aliove instrumento extrahenda. Videatur speculum auris, specillum, cochleæ & tenâcula apud *Hildanum* *obs.*

obs. 4. *cent.* 1. si pone corpus obstruens adigi potest, & in parte molliori, uti cartilago, facile extrahitur, quod circa corpora dura quoque locum invenit. Ast in meatu osseo & illum exactè implens, perquam difficulter extrahitur. Ideoque hoc in casu suaderem incisio pone aurem fieret versus ejus partem superiorem: quod secure satis fit, nam vasa ibi non excurrunt ampla, neque tunica glandulosa est timenda. (Vide Anatomiæ nostræ Tabulam XXVIII figura 5. atque sic quadantenus devitatur obliquitas meatus: & pro terebello &c. adhibendo via sternitur.

Si nucleus *fuerit intrusus*, qui propter figuram ovalem utraque sui extremitate posset tenaculo Hildani apprehendi, tunc res est in vado. Ante instrumenti usum, meatus oleo quovis lubricari debet, ut contentum eo facilius extrahatur. Si leve quid aut parvum auri sit intrusum, tunc saltandum eo pede in cujus latere obstructio est. Alias forcipibus ac auriscalpiis tentandum, ut contentum extrahatur: sunt & qui canaliculis exugere tentantur.

Quando cerumen est induratum, rumpendum est, & à meatu separandum, imo & aquâ tepidâ, injectione sæpe repetitâ, emolliendum; aut spiritus vini instillandus: sed licet statim non emolliatur aut separetur, tamen ab iniectionibus non desistendum, quia post diem sextum, octavum, &c. primo emolliri aliquando incipit. Sed ubi ante membranam communiter cerumen colligitur, quæ præter sanitatem nata est, meatus primum per injectiones aquæ calidæ purgandus est, & deinde purganda est membrana: sed cavendum ne Tympani membrana lædatur.

Excrescentiæ fungosæ & scirrhosæ, quæ post abscessum oboriri possunt, si ligaturis auferri nequeant, caustica usu veniant, quæ facile applicantur, modo laminis cereis meatus muniatur. Si ob magnitudinem meatus excrescat, cultello vel forfice incisorio abscindenda, vel filis ligari debet; & eschara vitriolo est inducenda, quo & sanguinis fluxus sistitur: deinde quidquid in meatu contentum, causticis provide auferendum: imitti potest canalis coriaceus, & per hunc unguentum aliquod causticum, (ne meatus membrana lædatur) idque ope penicilli: loco coriacei canalis, haberi potest cupreus, argenteus, plumbeus, qui secundum meatum incurvari possunt. Eschara inducta oleo amygdalorum aut ovorum est fovenda, & separanda: deinde ut reliquum consumatur, *Unguentum Fuscum Felicis Wurtz* applicatur; & ultimo cicatrizantia sunt adhibenda. Imo ad excrescentiam consumendam tomentum linteum vitrioli solutione madidum in aurem intrudi potest, nam comprimit ulcus, & carnem excrescere prohibet.

Glandulosa tunica si fuerit obstructa & tumefacta, tunc fomenta adhibentur & spiritus penetrantes instillandi, ut glandulæ deobstruantur; & deinde gossypio moschato meatus est obturandus. Si adsit dolor aut suppuratio procedendum, ut solet.

Tympani membrana quoque relaxatur, nimis tenditur, induratur, & dirumpitur; ob nimium humoris ex glandulosis acinis affluxum, facile *relaxatur*, unde quædam audiendi difficultas: huic rei non parum facit, aër pluviosus & nebulosus: *Tensio nimia* priori est contraria: & illa spe- **Audiendi difficultas.**

cies ſpaſmi aut convulſionis fit in magnis cephalalgiis, febribuſque acutis, inflammationibus meningis &c. In ſenibus & decrepitis non raro AUDIENDI eſt DIFFICULTAS; quia tympani membrana ut cæteræ partes, *indureſcunt*, & cartilaginea redditur & calloſa: atque tunc ſæpe oritur Surditas incurabilis. Membrana hæc aliquando *dirumpitur* ab auriſcalpio aut alio quovis inſtrumento. Vel impetu quodam, quando ore & naribus clauſis, ſpiritus retentus cum violentiâ protruditur. Quodque etiam in ſternutatione obſervatur, ubi ſentimus aërem, per meatum ſubitò redeuntem, membranam tympani extrorſum expellere & tenſionem efficere non ſine dolore; quod & in Anginâ aliiſque reſpirandi difficultatibus facile fit, in quibus fundus palati & naſi intumeſcunt, vel per inflammationem vel alias: quando enim aër ex pulmonibus propulſus liberè non egrediatur, tanto impetu fertur in meatum ab aure ad palatum tendentem, ut membrana tympani facile rumpatur. Membrana hæc quandoque à ſtria avellitur, (vide in *Tabula* XXIX. fig. 16. Anatomiæ noſtræ) nam illa totum circulum non conficit, ſed proprè oſtium illius meatus deſinit, qui in ſinuoſitates apophyſis maſtoidis terminum conſequitur, & quod illo loco membrana tympani adglutinata tantum ſit margini meatus oſſei auris, hinc facile intelligitur, eam nullo negotio poſſe avelli illo loco, atque hoc modo aëri in aurem exteriorem aditum concedere. Præter hoc ob humorum, puris, &c. acrimoniam facile corroditur, perforatur; idque tam ab externâ parte, quam internâ: hoc modo fumum tabaci per aures norunt efflare; imo & ipſas candelas extinguere: ſit ut ſit, auditus non ſtatim quidem debilitatur, ſed tempore, & tandem evaneſcit. Refert *Willis* exemplum in cane inſtitutum his verbis: „*quippe experimento olim in cane facto conſtabat, quod perforato utriusque auris* „*tympano, auditio adhuc ad tempus perſtaret, quæ tamen ad tres circiter menſes penitus ceſſabat ſcilicet poſtquam ſenſorii ad externas injurias pateſcentis craſſis everteretur.* Si auris collapho impingatur, membrana quoque & dilatari & rumpi poteſt: illud à lapſu & caſu eveniſſe novi: accedunt quoque bombardarum ſubita exploſio, tonitrua, aliique ſoni modum excedentes.

In relaxatione inſtillandi ſunt ſpiritus penetrantes, cum caphurâ, quibus ſiccatur membrana: ſed præprimis eſt cauſa removenda, nempe ulcerationis, adfluxus humoris, &c. In Tenſione auris foveatur dulci lacte, oleo jaſmini, vel decoctis ex malvâ, althæâ, pane albo, croco &c. diruptiones & cæteræ indurationes prorſus curari nequeunt.

In ipſo Tympano & Labyrintho, quia membranulâ tenui cinguntur, Inflammationes & ulcera non patiuntur, & deinde cariem, cui adjungitur fœtor teterrimus: hinc partium internarum totalis deſtructio, & ſurditas incurabilis. Quoad inflammationem, non raro tympanum, Veſtibulum, canales circulares & cochlea ſordibus valde ſpiſſis & incraſſatis reperiuntur plena; quod fortè ab abſceſſu membranarum, hæc oſſa inveſtientium, evenire potuit: hinc quoque ſurditas, nam materia peccans exitum non habet. In carie, auris eſt implenda ſequenti tinctura.

Resp. Alcohol vini, *uncias quatuor.*
Euphorbii,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*
Aloë, *drachmam unam.*
Misce fiat Tinctura.

Hæc penetrabit ad interiora; sed aurium meatus linteo carpto aut gossypio, aliove tomento est implenda. Cætera remedia externa hic habere usum nequeunt.

Morbi in nervo auditorio sunt obstructiones aut compressiones: Paralysis in eo æque ac in cæteris nervis particularibus oboritur, ut in linguæ paralysi & gutta serenâ sic à sanguine extravasato, & à tumoribus in cerebro cretis, steatomate, &c. facile SURDITAS oritur. Quia partes hæ, ut in oculo, conspici nequeunt, difficile est scire, num causa in aut circa nervum sit, num in auditus organo. Si in nervo fuerit sæpe præcedunt Apoplexia, Lethargus &c. & tunc medicamenta sunt adhibenda interna, quæ in paralysi præscribi solent. Si à tumore comprimente surditas proveniat, malum erit incurabile. Surditatis interna causa.

Tinnitus, est auditus depravatio, nam soni percipiuntur, qui non existunt, vel qui minimum non sunt extra aurem, ita ut occupata jam à sono falso, minus apta evadit impressioni sonorum externorum recipiendæ, nisi sint admodum violenti. *Tinnitus causa* est Inflammatio & Abscessus Tympani, Labyrinthi, & morbi meatus auditorii: necessario enim concutiunt laminam spiralem & canales semicirculares, sive per tensionem membranarum, sive per vapores; qui transpirant & cum aëre tympani miscentur. Humores acres, vermes, corpora extranea, coarctatio meatus per tumorem glandularum, & generatim id omne, quod dolorem excitat in meatu auditorio, ut & cætera symptomata, de quibus dixi, membranam meatus & membranam tympani commovent, id quod satis est ad communicandum hunc motum organo immediato. Tinnitus.

Interdum MURMURA audiuntur, cum aures obturantur; & veniunt vel à manus frictione, vel etiam à compressione, quæ cutim & cartilagines tegit, quarum particulæ motæ concussionem illo loco efficere possunt. Virtus Elastica aëris clausi & vapores è corporibus emanantes aliquid etiam contribuere possunt, cum illi, qui è manu prodeunt, juncti cum aliis, qui prodeunt è cute meatus pariter conclusi ad latera hujus cavitatis alliduntur, & concussiones producunt, quæ, quamvis valde exiguæ, sonum tamen verum efficiunt, qui sensibilis fit, propter propinquitatem & continuitatem partium, nec non per reflexiones, quæ fiunt in cavitate hac occlusâ. Murmura in aure.

Cranii commotiones & morbi meatum coarctantes, tinnitus aliquam speciem efficere possunt; supposito, quod concussiones, quas cranium sustinet, communicentur organo immediato, per solam continuitatem totius ossis temporis; id quod intelligendum est de eo momento, quo commotio

 fit;

sit; qui autem postea superveniunt inordinato spirituum motui tribuendi sunt. Ita quoque tumor membranæ internæ meatus, cum arctius coit, effectum eundem potest producere, quem manus aurem obturans.

Pulsatio in aure. In Aure quoque frequens est *Pulsatio*, ut videamur audire similem sonum ei, cum aliquid percutitur, & hæc nonnunquam tam vehemens est, ut & alii eam audire possint. Illa pulsatio venit ab arteriâ dilatatâ, quæ cordis pulsui exactè respondet: symptoma illud analogiam habet cum iis qui festucas, muscas, &c. videntur videre. Duo porro tinnituum species habent; quorum una à morbis cerebri dependet, & altera à morbis auris. Tinnitus ille, qui auris morbos sequitur, est, uti dictum, vel verus vel falsus: & ex his quidam *Tinnitus* propriè dicuntur, quidam *Sibili*, quidam *fremitus*, alii *murmura*, &c. generatim dici potest, sonos obscuros & frementes à concussione debili & remissa, sonos autem sibilantes & tinnientes à concussione forti & intensâ provenire, quod confirmatur per causas horum symptomatum remotas; humorum stationes & suppurationes, in quibus membranæ relaxantur, ordinariè susurrum producunt; inflammationes autem & auris dolores, à quibus partes hæ tenduntur communiter & exsiccantur, sibilos & tinnitus. Tenendum quoque est, sonos hos omnes eandem impressionem facere super laminam spiralem & canales semicirculares, quam faciunt soni graves & acuti.

Curatio dependet vel à morbis cerebri vel aurium.

Num is qui mutus & surdus natus sit, eo venire possit ut loquatur. Quæritur, num illis qui surdi & simul muti à nativitate sint, locutio denegata sit. Et num arte fieri aut produci non possit? respondetur, quod nervi auditus alii sint, quam qui locutioni inserviunt; ergo quia ab invicem non dependent, auditorius potuit esse obstructus, salvis linguæ, &c. nervis. Experientia edoctus, quod non tantum possint loqui, sed & aptos evadere ad quævis legenda. Ars quæ adhibitur, est, quod iis varias linguæ flexiones, efflationes &c. demonstres, quas illi etiam sensim assuescent, & efflabunt, primo literas, deinde syllabas, quas interim in libris notabis & præmonstrabis, tunc simul tempore loquentur, legebunt, sed & ex flexuris aliorum oris, docebunt, quid alii sint indicaturi. Videatur Tractatus à Cl. Viro *Joh. Conrad. Ammann* M. d. Doct. Latinè & Belgicè de hac materiâ, & experimentis verissimis conscriptus.

CAPUT XV.

DE SCORBUTO, EJUSQUE SYMPOMATIBUS.

Scorbutus. SCORBUTUS est quædam intemperies in locis ferè omnibus, mari proximis, Adveniens sæpe cum maculis lividis, præsertim circa brachia & crura; crura sunt debilia; fætet aër expiratus; vacillant dentes; gingivæ sunt cruentæ; sæpe convulsiones & spasmi oboriuntur; item dolores; Arthritis

thritis vaga; colica passio; Hydrops; Diarrhæa; corporis extenuatio; paralyseis; lumbago; cephalalgia, lumbrici; nausea; vomitus; cordis palpitatio, &c. hæc symptomata omnia nullam aliam agnoscunt causam, quam sanguinem incrassatum. *Differentia* duplex est; prima nempe consistit in sanguine viscido & frigido; altera vero, in sanguine acidis particulis referto, & consequenter calido: hinc *Scorbutus* dicitur *Frigidus* & *Calidus*. *Causa* aliquando videtur hæreditaria, sed hoc sæpe fit, quia parentes malam victus rationem consueverunt, quam infantes etiam imitantur: deinde fit ex perversâ diætâ, aut contagio. Differentia quoque variatur pro variis symptomatis. Scorbutus itaque tantum consistit in omnium succorum totius corporis variâ condensatione: cui aëris injuriæ non parum contribuere possunt; omnis enim aër plurimas acidas & ponticas exhalationes continens, accendendo sanguini in pulmonibus ineptus est, nam ab omni acido sanguis noster condensatur. Porro aër frigidus diaphoresin justam inhibet, atque tunc omne acidum intus retinetur; hinc illi, qui calidas regiones incolunt, sanguinem dulcem habent, & volatiliorem, è contra noster ut plurimum erit salsioris saporis. Huic incrassationi ansam quoque præbet nimia desidia, vita sedentaria, ideoque illi hoc morbo maximè obnoxii sunt, qui continuò sedent; jugi enim exercitio melius sanguis exagitatur & commovetur, imo diaphoresis ad votum procedit, quod desidibus non ita fit. Sit ut sit, duplicem sanguinis incrassationem ponimus; una est cum multâ pituitâ & defectu particularum motricium & activarum; altera, cum multo acido ac particularum activarum abundantiâ. Ex hisce distinctionibus omnia scorbuti symptomata commodè deduci possunt. Multis modis illa sanguinis incrassatio fieri potest, hinc symptomata variè differunt: nam prout particulæ incrassatæ hos aut illos canales pertransire nequeant, etiam in his aut illis succi tardius incedere coguntur, hinc obstructiones & symptomata diversi gradus.

Si saliva acido abundet, eadem semper impletur os & consequenter GINGIVAE roduntur hinc SANGUINOLENTAE fiunt, & DENTES, arrosis gingivis, VACILLANT: & quia etiam dentes roduntur, (constant enim ex alcalicis particulis) carie consumuntur, atque sic tandem frustillatim decidunt. Cibi intra dentium cuniculos insinuantes, corrumpuntur, & non tantum *Odontalgiam* pariunt, sed & fætorem maximum, unde HALITUS FOETENS. Gingivæ cruentæ, dentes vacillantes, halitus fætens.

Quando sanguis iste crassus hinc inde per cutim nimis tardè incedit, non nunquam sparsim subsistit, hinc variis in locis oriuntur MACULAE LIVIDAE aut NIGRAE, quæ evanescentes, flavæ fiunt: si enim debito modo sanguis circulum absolveret, ejusmodi stigmata nullibi apparerent. Sed cur potius crura & brachia obsident, non vero alias partes? cæteræ quidem partes, verum rarius, hoc colore depinguntur, sed maximè extremitates, quia longius à corde sunt & consequenter sanguis, quo longinquius à corde, eo frigidior est, & majorem, ad subsistendum, gradum habet. Maculæ lividæ.

Si porro in his aut illis canaliculis succus nutritius hæreat, in iisque sub- Pustulæ, ulcuscula.

 sistat,

sistat, statim acescunt, obstructiones pariunt, unde PUSTULÆ & ULCUSCULA: corroditur, atque sic pustulæ fiunt & ulcuscula.

Ad motum tarditas. Quoniam succi satis celeriter omnes canaliculos non perradiat, omnium membrorum est *lassitudo* & ad motum tarditas ideo sese nonnihil ambulando aut alias exerceant, statim lassi evadunt: namquo sanguis, qui in majoribus vasis est, citius à tergo in illum, qui in minoribus est, movetur, eo quoque obstructiones majores evadunt. Adhæc omnes canaliculi à nimiâ pituitâ sunt obstructi.

Appetitus Prostratus & magnus diarrhæa, & alvus astricta. Si pituita in ventriculum & intestina stillet, CIBI APPETITUS PROSTERNITUR, & alvus parum respondet; ast si nimium acidi admisceatur, appetitus magnus est & sæpe insatiabilis, & fluxus alvinus supra modum, unde DIARRHÆA aut DYSENTERIA, pro acidi ac irritantium particularum diversiate.

Cardialgia, Lipothymia. Si acidum ventriculi membranas nimium rodat, quæritur de CARDIALGIA sive *stomachi dolore*, unde LIPOTHYMIA, SYNCOPE, &c. præsertim si CORDIS PALPITATIO adsit, & sanguis coagulatus in cordis ventriculis subsistat. Quomodo porro illa palpitatio peragitur, vide quæ in superioribus diximus.

Dyspnœa. RESPIRANDI DIFFICULTAS oritur, quando sanguis, ob pituitæ abundantiam, particulis activis deficientibus, in pulmonibus non accenditur, verum coactus ibidem subsistere; hinc quoque virium defectus, quod ex celeri ac parvo pulsu constat. Deinde si nervi, ad pulmones & musculos respiratorios euntes, aliquomodo obstructi sunt, tunc respiratio diversimodè impeditur. Ut plurimum pulsus hic est fortis, & paulo celerior, & aliquando intermittens.

Asthma scorbuticum. ASTHMA SCORBUTICUM præter rationes in superioribus redditas, oritur quidem ex inflatione imi ventris viscerum, quâ de causâ diaphragma commodè deprimi nequit; porro nervorum pulmonalium convulsiones; obstructiones tam sanguinis quam succi nervosi, unde paralyseos species, hinc actio illarum partium vel nimis fortis est, vel nimis debilis. Quidam de pulmonibus non queruntur, sed tantum quod pectus & cor angustantur, quia membranæ, quibus Thoracis viscera cinguntur, pituitoso humore obsidentur; hinc sese contrahere nequeunt. Motus cordis debilis, ob nervos infarctos, huic etiam φαινομένῳ non parum contribuit.

Pulsus inconstans & intermittens. PULSUS INCONSTANS & INTERMITTENS aliquando, ut & *sæpe redeuntia animi deliquia*, sæpe & à sanguine & à succo nervoso originem trahunt: sanguine enim nimis incrassato, diminutâ proportione & non æqualiter idem immittitur, hinc illa inconstantia pulsus, & spirituum dejectio. sic nervis cardiacis ac arteriarum præsertim contractis, etiam pulsus inordinati sint oportet.

Cordis palpitatio, Tremor, spasmus, &c. CORDIS TREMOR, PALPITATIO, SPASMUS, &c. nihil aliud sunt quam cordis convulsiones, quibus cor vehementur concutitur. *Palpitatio* etiam oritur, à vasis sanguineis impeditis, & à pulmonibus infarctis: quando cor, vi se constringens, liberum transitum non invenit, basis ipsius una cum vasis sanguineis intumescit, & in costas adigitur. Oritur quoque à san-

ſanguine coagulato, polypo, calculis, officulis, vermibus, &c. in cordis thalamis hærentibus.

FEBRES ERRATICAE & INSTABILES, ut & nunc frigoris, nunc caloris invaſiones, hinc inde per totum corpus, eodem naſcuntur modo ac de febri Lenta in ſuperioribus dictum. Febres Erraticæ.

SUDORES IMMODICI veniunt, quando plus humidi à cutis glandulis ſecernitur, quam per vaſcula lymphica redire poteſt, quod oritur partim ab obſtructionibus, partim ab humorum à tergo forti impulſu. Sudores immodici.

URINA RUBRA ſæpe eſt, (præſertim in ſcorbuto ex acido & ſalſo) ſi non adſit febris aut icterus, infallibile ſcorbuti ſignum eſt, præſertim cum ſanguinis humidum una cum particulis oleoſis & ſalinis circulatur, tunc enim particulæ matrimonium ineunt & conjunguntur, inde color ſaturus. Interdum citrei eſt coloris, cum cremore ſupernatante, qui vitri lateribus ſæpe adhæret. Si quis hodie urinam reddat citream, cras aliquando pallidam minget, quia diu cum ſanguine non fuit circumducta. Rubedini non parum faciunt continuæ ſanguinis incaleſcentiæ. Urina rubra.

In ſcorbuto inveterato obſervantur, ſanguinis fluxus *alvinus*, *narium Hæmorrhagiæ*, *Hæmorrhoides*, *Renes ſanguinem fundentes*, *Hæmoptyſes*, &c. cum ſanguis ſit ſalſus & craſſus, arteriolarum minimarum ductus pertranſire nequit, tunc à tergo continuò ita comprimitur, ut debeant rumpere, unde facile narium ſanguis ſequitur. Inteſtinis quoque ab acribus, ſalſis, acidis, eroſis, vaſcula ſanguinea facile ſanguinem fundunt, qui cum excrementis dejicitur. Sanguinis fluxus varii.

Succi nervoſi paucitate ac viſciditate functiones animales impeditè & tardè exequuntur, hinc motus adeo debiles ſunt, ut ægri omne otium ament, laboremque vitent. Sæpe falſa imaginatione ſibi perſuadent, quod neque ſtare, neque pedibus incedere poſſint, imo continuò in uno cubiculo ſedeant vel decumbant. Imaginationes falſæ.

Cauſa videtur conſiſtere in eo, quod ſpiritus animales effluxuri, ſtatim acceſſu aëris frigidi, convulſivo quaſi motu intro rapiantur. Deinde ſanguis facile incaleſcens, non difficile à frigore coagulatur, unde coryza, Inflammationes, &c. nocet quoque frigus, poris ſudoriferis nimium apertis.

Aceſcente nonnihil ſucco nervoſo, oriuntur *Melancholiæ*, *Inconſtantiæ*, *compunctiones fibrillarum nervearum*, unde *leves Epilepſiæ*, ac *dolores vagi*; & ſi aliæ heterogeneæ particulæ accedant, periculoſa ſymptomata oriuntur.

PARALYSEIS & STUPORES in ſcorbuto ceſſant, redeuntque; conſtantque ex tribus cauſis, quæ vel ſingulæ per ſe operantur, vel diverſæ ſimul. Primo, quando ſpiritus vappoſi ſunt, & nullam vel perparcam volatilitatem habent, tunc membra, motibus exequendis, inepta ſunt, inde crura & pedes debiles & ſine viribus. Ab influxu enim celeri motus dependent. *Secundo*, ſpiritibus ſufficienti copiâ quidem fluentibus, adſunt ſæpe particulæ viſcoſæ, acidæ aut ſalſæ, tunc in membris non tantum debilis motus manet, ſed ſtupor quidam, & titillantes compunctiones. *Tertio*, ſi cum ſucco nervoſo irradiant, nonnullæ aliquando in plexibus nervoſis hærent, obſtructionesque pariunt, atque hoc modo ſpiritus debitè non tranſeunt. Paralyſes, ſtupores.

Do-

Dolores intestinorum. DOLORIBUS non raro alvus torquetur, colicis mentientibus, aliquot dies imo septimanas perseverantibus, usque ad lumbos & thoracem sese extendentibus, qui à paralysi sæpe excipiuntur. Causa est quod succus nervosus viscidus in membranis & nervis mesenterii hærens, gradatim acescat, & quoniam à subtili materiâ ab omni parte in vicinas membranas agitatur intolerabilis dolor causatur: ac quoniam mesenterii nervi cohærentiam habent cum nervis lumborum & Thoracis, ideo eousque dolor extenditur. Si deinde spiritus corrosivi ibi maneant, nervi & membranæ post crosionem paralysi afficiuntur. Porro causæ esse possunt, in ipsis intestinis, ut superius de *Colica passione* dictum.

Lumborum dolor. LUMBORUM DOLOR, videtur originem trahere ex sanguine crasso, vel quando succus nervosus ex medulla spinali nervos crurales irradiare nequit, unde difficultas quædam Vel in mulieribus, quando sanguis singulis mensibus, ob crassitiem in utero subsistit, ejusque membranas dilatat, unde dolor.

Pleuritis notha. Cephalalgia. Dolores artuum. Ejusmodi materia in pleuræ membranâ aliisque visceribus thoracis hærens, sæpe pleuritidi nothæ occasionem dat. Idem, si contingat cerebri meningibus, CEPHALALGIA producitur. Eodem quoque modo DOLORES CRURUM & TIBIARUM generantur, qui noctu maximè sæviunt, cum particulæ illæ à calore lecti agitantur, quod sæpe Lue Venerea laborantibus contingit.

Corporis tremulus motus. Si acri huic succo nervoso adsint particulæ viscidæ, MEMBRA PARALYTICA fiunt; & si materia pungens sit, VAGI enascuntur dolores; aut MOTUS EPILEPTICI, aut CORPORIS CONCUSSIONES TREMORES. de *Vertigine*, *oculorum caligine* (Epilepticorum prodromi) alibi egimus.

Omnia hæc symptomata simul in uno non habentur subjecto, sed pro variâ sanguinis &c. Constitutione, nunc hæc, nunc illa prædominare solent. Sic Cæli & regionis diversitas his vel illis producentis multum contribuit. Testatur *Cl. Mangetus* in regione Genevensi verum & perfectum scorbutum non reperiri.

Morbi soporosi. Si spiritus nimis crassi sint, quam ut per cerebri canaliculos meare possint, MORBI oriuntur SOPOROSI, de quibus antea.

Vigiliæ Pertinaces. Spiritibus vapposis, atque acescentibus, continuæ punctiones resultant seu irritationes, nullos tamen dolores parientes, unde cerebri systema continuò turbatur, hinc VIGILIÆ PERTINACES enascuntur.

Tabes. Chylo acescente, atque sanguine incrassato, nutritio non bene procedit, unde TABES & ATROPHIA; denegato enim nutrimento, partes solidæ colliquescunt, ita ut vix cutis ossibus hæreat.

Arthritis. fixa & Vaga. Tophi. Humores ad articulos euntes, inque canaliculis subsistentes, ibi acescere coguntur, atque sic articuli undique roduntur, unde ingens dolor, qui *Arthritis* vocatur. Ab arido hoc cum vicinarum partium sale volatili effervescente, TOPHI producuntur. Materiâ incrassatâ fluorem iterum nactâ, dolor brevi cessat, & quia subitò in alia parte oriri potest, ARTHRITIS dicitur VAGA.

RHE-

RHEUMATISMUS idem ferè est ac *Arthritis Vaga*, sed dolor hic citius evanescit, & facile ab uno loco in alium transit, cui aliquando febricula adest, cum partium tumore, & nonnulla inflammatione. Si quando quidam succi nutritii in membranis hæreant, acescunt, easque rodunt, eodem modo ac de Arthritide Vagâ dictum. Rheumatismus.

Quoad scorbuti *Prognosin*. Quamvis symptomata magni videantur esse momenti, & spes fere desperata sit, tamen, visceribus incorruptis, satis adhuc spei est; docent enim exempla, quod plurimi è mortuis ferè resuscitati sint, pristinamque sanitatem recuperaverint. Scorbutici tardè restituuntur; imo curatio plus quam annum sæpe requirit. Scorbutus ex acido ægrius curam admittit, uam qui ex pituitâ. Hæreditarius, diuturnis febribus, aliisve morbis, difficilius curatur, quam qui ex pravâ diætâ, aëre insalubri, potu vili, diuturna navigatione, vitâ desidi, &c. veniunt, si partes cerebri & nervosi generis illæsæ sint, facile curatur. Scorbutus excipitur quidem à Tabe, Phthisi, Hydrope, &c.

Constitutio sanguinis est inspicienda, si viscidi humores peccant, tunc medicamenta sunt præscribenda, quibus pituita inciditur, attenuatur, & sanguis pristino motui restituatur. Si acidum in causâ sit, sunt in usum vocanda, quibus illud domatur: tandem in utraque constitutione symptomata sunt respicienda. In priori dispositione usui veniant omnia aromatica & oleosa volatilia: ut sunt

Spica nardi Indica, *Raphanus hortensis nostras & Hispanicus*, *ut & rusticanus*. *Radices Angelicæ*, *Zedoariæ*, *Galangæ*, *Acori*, *Helenii*. *Cortices Arantiorum*, *Citri*, *Cinamomi*, *Winterani*, *Macis*, *Guajaci*. *Lignum Sanctum*, *Sassaphras*, *Aloes*. *Abrotanum*, *Absinthium*, *Carduus Benedictus*, *Cochlearia*, *Becabunga*, *Lupulus*. *Nasturtium Aquaticum & Hortense*, *Nicotiana*, *Ruta*, *Salvia*, *Scordium*, *Trifolium Aquaticum*. *Semen Carei*, *Cardamomi*, *Cubebe*, *Grana Paradysi*, *Sinapi*. *Fructus Juniperi*, *Lauri*, *Caryophylli*, *Nux Moschata*, *Piper*. *Gummi Ammoniacum*, *Myrrha*, *&c.*

Si acidum & salsum peccet, sanguisque facile incalescat: tunc temperatiora sunt præscribenda, ut omnia chalybeata, testacea, terrea, salia fixa & volatilia. Potus Theæ, &c. tunc enim à calorem inducentibus sese nonnihil est temperandum, ne obstructiones majores fiant: hisce chylus ab acore præservatur.

Quidam sæpius repetitas venesectiones instituunt, sed cui usui non video: sanguis enim & succi hoc modo magis incrassantur, atque sic augetur malum; certum enim est, quamvis primo nihil levaminis videatur adferre, tantum pro tempore est, sed malum iterum redit: plurimæ enim curationes per sanguinis missionem fiunt, magis favente fortunâ, quam Medici prudentiâ. Si in ventriculo habeant multum pituitæ, aliave saburra acida, salsa, aut mixta, præscribenda sunt aliquando emetica, & lenia Cathartica, quibus farrago illa peccans, ἄνω vel κάτω elutriari possit. Formulæ quædam antiscorbuticæ hæc sunto: ut

Recipe Cort. Winterani, *unciam unam*.
Ocul. cancri, *unciam ſemis*.
Tartari Vitriolati, *drachmas duas*.
Spir. cochleariæ,
Elix. proprietatis, ſine acido, *ana quantum ſufficit*.
Miſce fiat Conditum.
Doſis eſt ad Unciam ſemiſſem ſingulis diebus jejuno ſtomacho. Vel

Accipe Coralli rubri *unciam ſemis*.
Flor. ſalis armoniaci,
Macis, *ana drachmam unam*.
Magiſterii Martis, *grana decem*.
Miſce fiat pulvis.
Singulis diebus bis ſumatur hujus pulveris drachma una. Vel

Recipe Tinct. Croci, *drachmas duas*.
Spir. Cochleariæ, *uncias duas*.
Salis Armoniaci, *drachmam unam*.
Miſce.
Guttatim propinetur ſingulis diebus in vino. Vel

Sume Cort Winterani, *uncias duas*.
Citri,
Arantiorum, *ana unciam ſemis*.
Rad. Helenii,
Angelicæ,
Oſtrutii,
Aloes,
Myrrhæ, *ana unciam unam*.
Croci *drachmas duas*.
Spir. Cochleariæ, *uncias viginti*.
ſalis armoniaci *unciam ſemis*.
Fiat ſecundum artem Tinctura.

De eâ ſumantur drachmæ duæ aut tres in vino. Huic etiam nonnihil limaturæ chalybis addi poteſt. Omnes ſpiritus volatiles & ſalia volatilia, non tantum temperant acidum, ſed quia conſtant ex particulis volatilibus, etiam ſtimulum ſanguini addunt ad movendum: ut

Recipe Fol. Cochleariæ,
Becabungæ,
Naſturtii aquatici, *ana manipulos duos*.
Rad. Polypodii, *unciam unam*.
Raphani ruſticani, *uncias duas*.

Cina-

Cinamomi,
Caryophyllorum,
Cort Arantiorum, *ana drachmas duas.*
Vini Gallici, *uncias octoginta.*
Misce fiat Tinctura.

De quâ matutino tempore haustus sumatur.

Pro Asthmate & *respirandi difficultate*, usui sit *Elixir proprietatis*, *spiritus salis armoniaci*, *cornu cervi*, *fuliginis*. *Tinctura castorei*, *croci*, *Flores salis armoniaci*, *sal cornu cervi*, *præparata ex opio* &c. in paroxysmo sequens proderit.

Recipe Laudani liquidi Tartarisati, *guttas decem.*
Spir. Salis Armoniaci, *guttas viginti.*
Cochleariæ, *drachmas duas.*
Vini Hispanici, *quantum sufficit.*
Misce.

In Stomacho pituitosâ saburrâ pleno, instituatur vomitus cum *sale vitrioli*, aut *oxysaccharo vomitivo*. Vel leniter purgetur; aut guttatim quotidie detur *vinum scilliticum*, ut visciditas insensibiliter elutrietur. Si convulsiones adsint cum dolore, necesse sunt salia volatilia in usum vocanda, ut & oleosa: Fiat vinum medicatum, ex. gr.

Recipe Rad. Helenii, *unciam unam.*
Galangæ,
Acori, *ana unciam semis.*
Cort. Arantiorum,
Citri, *ana drachmas tres.*
Fol. Absinthii latifolii,
Centaurii minoris, *ana manipulum unum.*
Lumbricorum terrestrium in aquâ lotorum,
Spir. Cochleariæ, *ana uncias duas.*
Vini albi, *uncias octoginta.*
Misce fiat vinum Medicatum.

De eo aliquando unciæ tres sumantur.

De Colica Scorbutica immittitur Enema ex *decocto chærefolii*, *spiritu vini*, *opio*, *sale armoniaco* &c. dentur etiam pulveres ex *oculis cancri*, *ovorum putaminibus*, *conchis*, &c.

In alvinis fluxibus, exhibeatur *Crocus Martis*, detur aliquando drachma semis cum grano *opii præparati*, Vel fiat Conditum ex *Croco Martis*, *oleo Macis destillato*, *oculis Cancri*, & *Tincturâ Catechu*. In Dysente-

RIA & TENESMO, utatur *aquâ chalybeatâ*; & singulis triduis aut quatriduis, exhibeantur tres aut quatuor ex sequentibus pilulis.

Recipe Rhabarbari, *unciam unam.*
Santali rubri,
Cinamomi,
Croci Martis, *ana drachmas duas.*
Laudani Opiati, *grana duo.*
Tinct. Catechu, *quantum sufficit.*
Misce fiant pilulæ ex scrupulo quinque.

Primo quidam *Rhabarbaro* purgant, sed necessitatem non video, quia totum in domando acido & succis attenuandis consistit: *Potus Theæ Sorbillum* ideoque hic convenit, ut & *Tinctura Foliorum Salviæ*: ut & *oleum Macis.*

Adversus VERTIGINEM & LIPOTHYMIAS, sanguinis & spiritus irregularitates corrigi debent: detur ergo sequens aromaticum: ut

Recipe Aquæ Vitæ Matthioli,
Spir. Liliorum convallium,
Cochleariæ, *ana uncias duas.*
Olei Caryophyllorum, *guttas tres.*
Tinct. Croci, *drachmas duas.*
Misce.

Detur Cochleatim cum vini admixtione. In hac occasione omnia volatilia prodesse possunt.

Contra HÆMORRHAGIAM narium, utilia sunt ea, quæ alibi præscripsimus. GINGIVIS SANGUINOLENTIS, DENTIBUSQUE VACILLANTIBUS, os singulis diebus sequenti collutione colluatur: ut

Accipe Aquæ pluvialis coctæ, *uncias quatuor.*
Ung. Ægyptiaci, *drachmas tres.*
Aluminis, *drachmam unam.*
Spir. Cochleariæ, *unciam unam.*
Misce fiat collutio. vel,

Sume Cort. Granatorum,
Rad. Bistortæ,
Flor. Balaustiorum, *ana unciam semis.*
Fol. Salviæ, *Manipulum semis.*

Fiat decoctio ex Aqua ad uncias sex vel septem, colaturæ adde
Aluminis, *drachmas duas,*
Et fiat Collutio.

Pro

Pro doloribus crurum, aliorumque membrorum, acidum saturantia sunt danda, ut testacea, chalybeata, corallina, &c. quoad Arthritim vagam, Rheumatismum &c. vide remedia, quæ capite de *Podagra* explicata exhibentur. Plura de symptomatum enarratione & cura dixissem hic loci, sed quoniam ea omnia satis superque in supra enarratis habentur, ideoque hic brevis esse volui, ne cuipiam, ut dici solitum, sit, δὶς κράμβη θάνατος, *Brassica bis mors* est.

Cibus & potus temperati sint oportet: ab omni acido & salso temperandum est, uti & à viscosis & saccharatis & frigore. Aër sit volatilis, calidus neque alienis particulis infectus. Exercitium sit modicum: ambulatio præstat, ideoque bajuli sæpe divites sanitate superant. Quare quidam se malè sentiunt, si iis labor non conceditur, quoniam subito à scorbuto opprimuntur. Fructus horarii, saccharata, viscida, dyspepta, carnes salitæ, infumatæ vitentur. Cibi rancidi, mucidi, non fermentati panes, &c. non comedendi. Potus sit bene fermentatus (dico de cerevisia, vino, &c.) Si quis pituitosus sit & frigore stupidus, Tabaci fumus illud corriget, quia diaphoresin conciliet.

Sequitur casus Alicujus Viri scorbuto laborantis.

VIR NOBILISSIME, AMPLISSIME ET EXPERIENTISSIME PHIL. ET MED. DOCTOR LONGE LATEQUE CELEBERRIME, FAUTOR ET AMICE, QUALEM TE MIHI PROMITTO, ÆSTUMATISSIME,

EA est famæ tuæ non modo per Germaniam, sed & longè dissita Regna septentrionalia celebritas, ut ex eo præprimis tempore, quo hinc inde, præsertim in Almâ Lipsiensi Academiâ, illâ bonarum mentium Medicina, præclara ingenii tui monumenta in vernaculam nostram haud incongruè translata, & bono publico, ut scilicet multorum commodis & ignorantiæ inserviretur, affatim edita sunt, per ora virorum eruditissimorum (nihil enim do auribus tuis) volitaverit, & adeo in extremum hunc orbis angulum, quem serius alias aliqua veritatis lux affulgere solet, raro exemplo sese dudum penetraverit. Scorbuti casus.

Ex animo tibi vir summe, hoc nomine gratulor, quod discussis crassis illis inscitiæ & errorum nebulis, Medicinam olim laceratam & mutilam facilitati suæ & veritati restitueris, quod immensi & desperati laboris opus multis est visum. Tuis oculis nunc clarius vident etiam illi, qui Lyncei quondam sibi videbantur, revera quavis talpa cæciores.

Nec immeritò acutissimus *C. Bontekoe* p. m. vulgus illud medicorum *Nominales* illud appellitat Doctores, qui in arte Medica cæcutiunt; quorum imperitiæ & ego fui expositus. Hinc, licet Medicorum castra non sim secutus unquam, tanto tamen accensus sum ardore & desiderio scripta tua legendi & inde proficiendi, ut parum absit (vera loquor) quin hæc studia elegantiarum & multæ utilitatis plena, me omnino ad se pertrahant. Et pertraherent etiam, si res esset integra & officii mei ratio id permitteret.

N n 3 Nunc

Nunc cum frustra sit omnes spes, frustra vota ut Numen præteritos mihi annos referat; juvat tamen tuis interea commentariis delectari & quod palmarium est, ad restituendam infirmam valetudinem aut saltem aliquo modo emendatam conservandam, exinde proprio Marte erudiri. Qua ratione mihimet sum Magister & Discipulus Æger & Medicus, & penè mihi ipsi meliora te præeunte edocta plus quam centesimo Doctori Nominali tribuerem, nisi me pulcherima spes foveret, te Vir summe, pro insigni tua ægris omnibus juvanda peritia & facilitate, neque consilia tua multo rerum usu confirmata, neque Medicamenta approbata & saluberrima, mihi quamvis absenti & ignoto denegatarum esse. Id quod uti summis expeto votis: ita eo quo par est studio & submissione maximis à te contendo precibus, ut & consilio & re adjuves, manum medicam adhibeas & perspecto morbo mihi Medicinam sive à te præparatam, sive præscriptam quocunque modo facias. Miraris autem fortassis & subrides quod neglectis Medicis domesticis, quorum hic quidem non exigua est copia, te mihi Æsculapium quæram, in morbo præsertim quo te ipso & experientia teste nullus saltem in his oris maritimis septentrionalibus, frequentior est aut universalior, sed desines tandem mirari, si multorum, ne dicam plurimorum profundam inscitiam, etiam in minimis & communibus; imo cimmerias tenebras & eclipses in ipsa hac nostra Cimmeriâ accuratius, uti soles, consideres. Et sane uti conscientiæ rectè vel malè facti res est ægro, convenientia & appropriata medicamenta, nec uti barbarè per jocum dicimus quid pro quo propinare; ita magna pars est felicitatis & salutis humanæ incidere in prudentem Medicum, qui vires ægri adhuc ex naufragio residuas, reficiat, non opprimat. Mihi sane integritate tua freto in te omnis nunc spes est.

Ut autem de valetudine mea rectius tibi constet, ipsius morbi natales à natalibus meis ordine enarrabo; cumque instante vere ob graviora negotia ad te excurrere non liceat (fiet autem id, uti confido, anno sequenti proximo, si Deus vitam & aliquam ex medicamentis tuis reconvalescendi spem, felicesque successus ostendat) graphicè memet interea depingam, ut absentem tum præsentem intueri tibi liceat, ne quidquam desit ex quo morbi Naturam, causam & originem conjicere possis.

Triginta nimirum, & quod excurrit, anni sunt, quando in Holsatia, Glucstadii, loco admodum uliginoso & palustri; (ad Albim fluvium, propè mare Germanicum, quod ad occidentem spectat, sito) cujus natura cum Batavico vestro ex asse convenit, unde prima & infallibilis adnati fere *scorbuti* suspicio.

In Patria primum decennium exegi; hinc per duodecim annos sequentes partim in Gymnasio Lubecensi, partim in Academia patria, quæ Kilonii est, studiorum gratia commoratus sum, quippe ab ineunte ætate litteris innutritus; post hæc per quadriennium in Saxoniâ & Superiori Germania, Lipsiæ, Dresdæ, Ratisponæ, Argentorati & Spiræ, aliisque ad Rheni tractum locis substiti; ubi contra morem regionis *Vino Rhenano*, moderatè admodum sum usus, ita ut alternis diebus mensuram non adeo capacem, aliquando autem liberalius solitò ebiberim, ratus me hoc pacto *Cibos* non

sem-

ſemper uſque adeo naturæ meæ convenientes correcturum eſſe. Cæterum per omne illud tempus ſtudiis diligenter invigilavi; & uti natura mea ad *Venerem* ſemper, licet contra vota, proclivior fuit, præſertim cum *Acrimonia Sanguinis*, uti conjicio, ſtimulum illum connatum & Veneris incentivum auxerit, dedi etiam huic aliquid imo plus juſto incommodum inde nullum ſenſi, niſi quod ob *Vitam* præprimis *Sedentariam* Dreſdæ ſubſiſtens, catarrhis nimium vexarer, & nocturno ſudore frequenter diffluerem, unde interdiu laſſus & ad negotia generenda ſæpius parum aptus fui. Quem affectum ut toleret Medicus, Martialia & ſpiritus Antiphthiſicos & neſcio quas mixturas, fruſtra tamen adhibebat. Remiſit vero poſtea ſponte ſuâ. Cum autem Jam in eo eſſem, ut media hyeme Spirâ patriam repeterem, malo meo fato factum eſt, ut nihil minus quam idipſum timens, inopinanti mihi *Gonorrhœam* contraxerim (ecquid enim diſſimulare tibi teque Medico juvat, cum non confeſſum non remiſſum cenſeatur) quam tamen Hamburgum redux factus, quia in itinere per tres ſeptimanas conſtitutus Medicinam adhibere non potueram, ſat cito ſi ſat bene curavit neſcio quis circumforaneus; id quod *ante triennium & quod ſuperat* factum eſt. Jam tum in itinere etiam ante malum hoc contractum, inſolitum & intenſum ſenſeram calorem, ſtomachi debilitatem, febriles horrores & incommoda plura, quæ ipſo curationis tempore ſubitò intra pauos dies adeo increſcebat ut *febris* ardens fuerit inſecuta, quæ per tres ſeptimanas, non tamen ulterius, me adeo enervaverat, ut aliquo modo valens vix & ne vix quidem lecto involutus, Glukſtadium pervenirem. Diætâ enim & curâ domeſticâ è culinâ patriâ opus erat, ut vires reficerentur.

Medicamenta durante morbo, erant levia humectantia, refrigerantia, emulſiones, quæ non adeo felici cum ſucceſſu præbebantur. Adhibita autem ſub initium morbi fuit Venæſectio, quæ poſt menſem, ſuadente ita Medico, modice fuit iterata; quæ poſterior non per omnia ſeſe mihi probavit, Melius tandem ſucceſſive habere cepi; attamen ex eo tempore incerta, dubia & non ſatis ſibi conſtans valetudo fuit, ſemperque dubio Marte à bonitate naturæ & reliquis morbi pugnatum fuit. Neque vero nunc à vitâ ſedentaria deſiſtere dabatur, quippe cum mox negotiis & Conſiliis Regiis adhibitus, uni ferme loco, reluctante licet Natura, tanquam claudus ſutor affixus fuerim. Hunc errorem & vitia inde oritura ut medendo anteverterent Medici, varia eſt adhibita Medicina, quorum Methodum uti non obſcurè, Te monitore, intelligo admodum incertam, vanam & futilem fuiſſe, ita hic cum tædio recenſere nihil attinet. Id ſaltem indicaſſe ſufficiat omnium optimum me expertem eſſe illud decoctum, quod ex *Radicibus chinæ*; *Ligno Saſſafras*, *Santalo citrino & rubro*; *Herbis Hepatica Nobili*, *Matriſylva*; *Floribus Buglosſæ*; *Radicibus Scorzoneræ*, *Dactylis recentibus enucleatis*, *Paſſulis majoribus*, *cinamomo electo*, &c. Confectum & in juſculo carnis vitulinæ coctum fuit; quo per aliquot menſes loco cereviſiæ inter prandendum & cænandum uſus ſum. Et quamvis de inſigni ejus effectu non usque adeo gloriari poſſum, cum potius corpus exſiccare & alvum duriorem reddere videretur; tamen vel eo nomine adhibere non dubitavi, quia extra, hunc

hunc effectum, cætera nihil molestiæ crearet, uti quidem in omnibus fermè aliis Medicamentis, quando per tempus aliquod eorum usque continuaveram, factum fuit.

Annus fam ferè totus est, ex quo à medicamentis abstinui, tædio scilicet imperitorum Medicorum affectus, ne partim vires opprimentur, partim in cibum & nutrimentum Medicina abiret. Interea temporis incidi præfato modo in Divini tui ingenii scripta, divinitus, ut planè mihi persuasum habeo; quæ omnia quotquot in vernaculâ nostra extant, magno meo cum emolumento mihi comparavi, auro contra chara.

Cumque in illis præcipuè de scorbuto, ejusque origine, affectibus, symptomatibus & curà sobriè admodum, non secundum vulgarem methodum te philosophari intelligerem, bone Deus, quanta mihi lux inde est orta! Et jam non amplius dubito, purum putum esse scorbutum, quo hactenus misere sum divexatus & quoad nutrimentum defruadatus; cum quo an ex reliquiis Gonorrhææ aliquid cohæreat, an etiam Cachexia aliqua aut planè hectica, itemque malum Hypochondriacum, tanquam individui & inde resultantes huic sint conjuncta, tuum erit Vir celeberrime, judicare, meum certè est metuere.

Ut autem quod primo loco mihi enarrandum fuisset, nunc præpostero ordine subjiciam, paucis adhuc neutrum in quo sum statu accipe, ut & hinc de valetudine meâ eo facilius dijudicare possis. Ex omnibus & fere innumeris Scorbuti (de hoc enim jam non amplius dubito) Symptomatibus pauca levius, sed duo aut tria duntaxat enormius me aggravant. Postquam enim ex gravi illo morbo ante triennium qualitercumque eluctavi, nunquam per Dei gratiam lecto detentus fui, mediocriter tantum valui, laboribus tamen invigilare potui, nisi quod per vices lassior & quandoque ad negotia subeunda solitò fuerim segnior, ita ut ante septimam horam manè somno meo detrahere nihil potuerim, neque adhuc magno meo cum incommodo & remora in negotiis possim, quod certè vel solum sufficiat mihi instar magni cujusdam morbi esse, si vel maximè reliqua se bene haberent. Quod si contingat, ut nidum tepefactum deserere cogar, per totum sane diem lassus, tardus, mihi & aliis molestus & ad negotia gerenda ineptissimus; aliquando etiam insuper subtristis, ut plurimum alacritate sueta destitutus, morosior, & cui conversatio aut verba proferre molestiæ sæpe est, cum alias bene constitutus affabilitatem & jocos amem. Ita animo sum affectus.

Jam de corpore videamus, verbo: Totius corporis extenuatio, & atrophia sic satis apparet, qui præcipuus scorbuti est effectus; ob quem Medicam manum quam maximè exposco; cum tamen non ignorem, quod cum omnia symptomata unam agnoscant in me originem, sublata illa simul omnia tollantur: Licet nullus dubitem, quin naturali corporis habitui hic aliquid sit tribuendum, quia & pater meus & frater ad trigesimnm usque ætatis annum macilenti admodum fuerunt, successu autem temporis post trigesimum annum cum ipsa ætate acquisiverunt, & parens quidem etiamnum viribus integris, vegetus, carnosus, alacris, quamvis septuagenarius. Hinc mihi

mihi cutis atque ossa sum miserâ macritudine, facie Hippocratica, macilento ore, genisque, naso acuto, caro flaccidior, cutis arida, totus exuccus & exsanguis; & sensim aliquid detrahi corpori meo animadverto, sine dubio ob defectum boni nutrimenti & viarum ubique obstructiones. Quæ me ratio movit, ut *in cælibatu hactenus vixerim* & adhuc vivo, ne planè ad incitas me ipsum redigerem.

Inter reliqua indicia, quæ tamen ex eodem principio dependent, sunt internus & exsiccans, uti videtur, calor, etiam in vola manuum, non tamen post cibum, uti alias solet in cognatis morbis, sed potius extraordinarius & non statis temporibus; modo diutius modo breviter, jam per horam unam vel alteram, per diem, jam per quadrantem, imo horæ momentum; nunc post tres vel quatuor dies, nunc post octiduum & longius, nunc planè non, nunc iterum frequentius, plane ad Naturam Phlogosis cujusdam. Aliquando phlogosis adest debilis, aliquando cordis palpitatio, profundi gemitus, pressiones leves circa Mesenterium & Diaphragma, *dolores leves in Hypochondriis* & circa renes; Lassitudo membrorum levis, præcipuè in flexuris, &c. involuntarius motus in musculis, quibus subcutanea caro sese hinc inde contraheret, aut sanguis guttatim sæpe vi penetraret. *Cacochymia & summa debilitas stomachi, defluxiones catarrhorum salsorum* ad fauces, aliquando ad pulmones; pustulæ scorbuticæ in facie, aliquando *levis Tremor manuum*; imbecillitas oculorum; Inquietudo & Jactatio nocturna, somnia quietem turbantia; convulsio levis, seu defectus sensationis in pedibus, quasi intermortuis, imprimis si vel non suffulti dependeant diutius, vel lumbi & suræ inter sedendum nimis premantur, aut manus sororio nexu noctu capiti imponantur, quem effatum an nomine spasmi particularis recte exprimem equidem ignoro; *Dentium dolor* & *Genarum tumor*; *Defluvium* rarum tamen & vix aliquot *pilorum* alternis diebus in superciliis & secretioribus naturæ locis, cum leviusculo pruritu: raræ pollutiones nocturnæ.

Cæterum, & frigus & calorem externum intensiorem, adde & motus vehementes ægerrimè fero, & quo me liberalius præter morem cibis replevi, eo plus sentio incommoditatis, partim quod stomachus aggravetur, partim quod sanguis sine dubio plus chyli & quidem non bene cocti, crudique acceperit, quam per vasa obstructa transmittere potest. Verum enim veterum Brocardicum invenio, quod quo *magis impura corpora nutrias, eo magis noceas.*

Alvus tamen nihilominus ordinariè (secus enim fit quoties medicamento utor) bene respondet; & urina sic satis propellitur, quæ ut plurimum colore citrino, rarius rubenti & saturato; rarissime turbida, licet nunquam non sabulo scorbutico (proprium enim nomen inter Medicos usitatum memoriæ non occurrit) referta, quod matulæ aut vitro, uti fieri solet, adhærescit.

Ab aromatibus, à salsis, muria conditis, acidis, fumo induratis, suilla, vervecina, anserina, & quæcunque catarrhos movere perhibentur, hactenus quoad fieri potuit, abstinui. Vini usum non planè intermisi, quem an approbes scire aveo. Ast sublimata vina, spiritus vitæ & destillata fortiora

potius ſtomacho gravia eſſe videntur & maſſæ ſanguineæ moleſta quam quod quicquam prodeſſent. Uti & Tabaci uſus tantopere alias ſcorbuticis commendatus juſto mihi acrior & naturæ meæ (in hoc nimirum morbido ſtatu) planè adverſatur : qui fortaſſis in poſterum proficuus eſſe poteſt, ſi prius acrimonia & internus calor remiſerint Medicamentorum ope.

Verbo : Diætam non quidem adeo ſtrictam, utilem tamen pro viribus, quantum ſcio, , obſervavi, quæ uti conjicio, me hactenus ſervavit maximam partem, ne in pejus conditio mea mutaretur, ut adeo huic plus tribuam, quam omnibus adhibitis fruſtraneis Medicamentis.

Hæc ſunt quæ in præſentia ſeſe offerunt indicia; ob quorum multitudinem me pro derelicto habeas nolim, quia non eadem omnia ſunt gravia aut æque prægnantia ; commemorare autem ea ideo debui, quod ſint ejuſmodi, ut de morbi natura tibi conſtare eo facilius poſſit.

Nuper cum circa finem Novembris, anni ſuperioris commentarium tuum de Scorbuto & Podagra legerem, in quibus Theæ, lactiſque potum ad curandum ſcorbutum magnopere commendas; ego ſane quovis mane ad finem uſque Januarii anni hujus Theæ potui ad modiolos (*Kopjes* Belgæ vocant) quinque, ſex, vel ſeptem adſueſcere ſtudui; ſed cum ſentirem, quod & alvum adſtringeret plus juſto & plurimum corpus exſiccaret, credidi è re mea futurum (ut ſcil. corpus nutrirem, ſi utrumque conjungerem, confundendo ſcilicet lac vaccinum coctum & aquam calidam Theâ impprægnatam. Et quamvis initio res ſuccedere videretur, obſervavi tamen ſuperiori hebdomade, quod non modo ex potu hoc lacti mixto ſtomachus vitium aliquod & debilitatem contraheret, ſed & quod aliqualis exæſtuatio & turbatio in maſſâ ſanguineâ inde oriretur: inde cepi mecum judicare, obſtare fortè materiam, uti loquuntur peccantem, nimirum acrimoniam ſalſam & acidi corroſivi ſalis copiam, indeque reſultantem in omnibus corporis partibus & viſceribus obſtructionem, quo minus hæc, aliis inſtar Univerſalium ſalutaria, mihi ſoli nondum, niſi evacuato prius peſtifero illo acido Tartaroque, aut ſaltem ſimul adhibitis aliis medicamentis, prodeſſent.

Cumque doceas omnem curam primariò abſolvi *alcalibus fixis* & *volatilibus* (quorum nihil hactenus adhibui unquam) itemque Aromaticis & Martialibus; & inſuper duplex ſcorbuti genus, calidum & frigidum conſtituas, quod utrumque diverſa ſibi medicamenta expoſcit ; in dubio ſum an non de utroque ſcorbuto de uno plus, de altero minus participem. *Frigidum* enim contraxiſſe me ex vita ſedentaria nemo negabit. *Calidum* autem ut ſuſpicer, ſi quæ cauſa ſubeſt vino rhenano & febris ardentis, qua ante triennium circiter laborabam, reliquiis (quas ex interno ſubalterno calore judico) ea erit adſcribenda. Hic aqua hæſit mihi; nam neque certi quidquam definire licuit, neque te inconſultò præſcripta in *Tractatu de Scorbuto* medicamenta mihi applicare, aut alios Medicos, qui licet *videant meliora*, *probentque*, *deteriora tamen ſequuntur*, in conſilium adhibere tutum ſatis viſum eſt ; præprimis §. 21. Cap. V. *Sal* aliquod *volatile Antiſcorbuticum* & *ſal volatile oleoſum* & alia per te compoſita Medicamenta tanquam univerſalia in quovis ſcorbuto de

debitis encomiis efferas passim, quorum descriptionem nullibi in scriptis invenire potui: quæ quidem ratio me non minimum movit, ut tuam mihi opem & consilium expeterem.

Hæc autem hactenus, vir longè celeberrime, latius & tædiosius omnia quam fortè oporteret deduxi, stylo minus convenienti, trajecto & inordinato prout memoriæ sese quodlibet obtulit. Oedipo fortassis alicubi opus est. Sed pro divino tuo ingenio facile divinabis mentem meam, terminis non satis medicis, nec secundum artem appropriatis, prolatam. Prolixitati autem omnino veniam dabis. Nosti enim ægrorum vel saltem non recte valentium (imo eruditorum brevitati alias maximè studentium, in eo enim æque homines sumus, nec humani quidquam à nobis alienum putamus:) mores, Tibi quotidie non sine tædio obvios, qui nisi quam longissimè omnia minutim, ab ipsis morbi incunabilis recenseant, quidquid ullo modo corradere possunt, nihil rectum putant; præsertim quos absentes Medicus non intueri, aut penes quos brevibus quæstiunculis morbi naturam expiscari haud potest; cum tamen alias vel leve indicium fecisse, experientissimo Medico sufficere possit: unum cognoris omnes noris.

Ut ergo lectis, perspectisque literis, & morbo primo, statim intuitu satis dijudicato, methodum & designationem aliquam Medicamenrorum sumendorum; an scilicet purgantia præmittenda & quo ordine succedere debeant reliqua; quæ diæta simul circa cibos & potum, motum & quietem &c. observanda; qui cibi maximè nutrientes & humectantes, quibus quam maximè opus est; an vini, aut Theæ, aut (si vinum intermittatur) lactis usus simul cum Medicamentis concedendus, & quæ huc pertinent reliqua, *tribus verbis* pro more sic dictarum formularum (vulgo *Recepten*) una cum dosi schedulæ inscribas, idiomate Latino, & inprimis *sal volatile Antiscorbuticum*, & si quæ alia specifica manu tua præparata, naturæ meæ quam maximè convenientia præ cæteris deprehendes; Ea ut ad me, quam primum per graviora negotia fieri potest, transmittere non graveris, ea qua par est observantia à Te quam enixissime peto. Instante enim vere, quod tempus morbis evacuandis commodissimum censetur, omnem lapidem, adjuvante Divino Numine, movebo, Te Ductore & Doctore, periculum facturus, quid valeant vires nondum per Dei gratiam planæ prostratæ, quid ferre recusent. Constitui enim mecum, hujus æstatis maximam partem curæ ex tuo præscripto impendere & simul negotiis, impetrata prius ad id venia, me subducere, ut debito corporis motui plusculum dare possim.

Meum erit, si prospere omnia & ex voto successerint, Deo æternas laudes, Tibi vero perrennaturas grates cum fænore persolvere, ut & animo & re ipsa atque remuneratione, quam gratissimus reperiar. Servet te Divinum Numen multorum saluti & solatio, multorumque emolumento! Servet te Orbi literato & saniori Philosophiæ! Servet Te Nobilissime Medicina, ut & ipsa per te servetur! Servet te mihi! ut per te, Divina annuente gratia, vivam & vivant innumeri quorum interest Te vivere! ita

 nominis

nominis tui celebritas, nova indies & non intermoritura Capiat incrementa!
Sic divinæ Te commendans protectioni fovet

Hamburgi,
d. 3. *Mart. Styl. Vet.*
Anno 1691.

Celeberrimi Nominis Tui
Submissus Cultor
N. N.
J. V. Doct. & Consiliarius Regius.

Eorum quæ nobilissimo huic viro rescripsi, hic non repetam, cum brevitati studeo & quæ ad scorbutum, ejusque symptomata &c. pertinent in superioribus satis superque explicata sunt. Indicabo tantum quæ ei utendum dedi. Præscripsi pilulas ex Gummi Ammoniaco, assa fœtida, Vitriolo Martis, oculis cancri & Elixire proprietatis: Hisce enim sæpe in scorbuticis obstructionibus feliciter utor, valde incidunt & acidum temperant: Sumebat duas matutino tempore & totidem vespertino. Inter cænandum & prandendum ipsi dedi liquorem meum Martialem guttatim in vino sorbendum: post menses duos plane restitutus fuit.

Hic casus Aquis grano mihi missus in hunc modum.

Expertissime Domine,

Alia. FAma percrebuit ad nos usque de tanta dominationis vestræ Eruditione & Experientia in curandis morbis etiam inveteratis ac obstinatissimis, ut mediante qui me immeritum honore favoreque suo prosequitur, an sim, confisus totaliter in bonitate ac clementiâ. D. V. hisce obsecrare, quatenus super meo morbo, hic, ut sequitur, descripto, mentem suam adaperire, consilium, remedia, vitæ regimen mihi præscribere non dedignetur, ut vel sanitas infirmata à viginti plusquam annis restitui vel saltem levari valeat Vestro mediante patrocinio.

Sum Ætate provectus inter 42 & 43 annorum, & quidem à viginti annis correptus seu affectus *dolore sinistri lateris*, studens in Jure nimis Lovanii. Ab hinc gravitatem fere semper sensi ad illam partem inferius; deinde successit *dolor circa pectus cum frigore* ad eandem lævam seu sinistram, ita ut hodie ad ignem calida linteamina continuo applicare debeam.

Cerebrum mihi est admodum *humidum* & *frigidum*, continuò spuens aquas seu *sputa acida*, *salsa* &c. quia stomachus nil coquit.

Quidam ajunt meum dolorem consistere in splene seu liene (uti Doctores, quos in Gallia consului.) Alii malum dicunt Hypochondriacum, eo quod sæpe etiam Melancholiâ divexer. Quidquid sit de nobis, in re saltem verum est & clarum, quod in totâ parte sinistrâ valde dolorosa & debilitatâ, *boatus*, *venti strepitus* continuo edantur de nocte potissimum, uti etiam de die quandoque ventrem quasi inflatum infra commoneo, nec non creberrimè accidunt *eructationes*; mane jejuno adhuc stomacho, quæ cum eveniunt & exeunt, leniunt aliquo modo dolorem pro aliquot momentis,

tis, aquis Spadanis sæpe iteratis, nec non balneis dulcis aquæ, & semel Aquensibus usus absque magno solamine, calidas semper habeo manus & maximè post pastum, & de nocte vix audens me attingere, quin impedire mihi videar sanguinis circulationem; ita sc. sanguis crassus, densus, seu spissus mihi adest in corpore & in venis valde tumentibus & inflatis.

Sanguine sum *repletus nimium* ac *spermate & viscositate*, ita ut cum possim emittere solamen quoddam sentiam; hinc per nares sive *fonticulos* aut cauteria quæ habeo tria, unum ad brachium dextrum, necdum ab annis duobus positum, in ordine ad divertendum humorem noxium cadentem ad latus sinistrum. Secundum cauterium à quindecim annis mihi de consilio Medicorum positum supra genu tibiæ sinistræ ob dolorem lienis cum Melancholia mixtum, ex quo sæpius emitto centenas sanguinis guttas, & tunc affertur levamen aliquod dolori & humori Melancholico ad sinistrum latus residenti. Tertius fonticulus à tot annis pariter positus in collo ratione acidi & salsi humoris cadentis mihi ad pectus sive ad pulmonem & pro hoc ab aliquot diebus incæpi *fumare* salviam, Rosmarinum, Grana Juniperi & Folia Theé, ad ejiciendas aquas per os: quo & ad hoc mihi salubrem fore confido fumum istum, quid videtur.

Notandum quod in *æstate* magis adhuc langueo & crucior Melancholiâ quam hyeme.

Quotidie per annum Medicus hic sumendas ordinavit *Chinæ radices*, in cerevisiâ, aqua & jusculis meis ad dulcificandum sanguinem acrem, vetuit pisces, sed sumendas quotidie carnes, pro viribus restaurandis præscripsit; & quia maxime abundo viscositatibus pituitosis & glutinosis, quia exeunt per salivam, urinam, aliisque corporis meatus: & mihi loco aquarum spadanarum seu acidularum, mihi præscribunt quotannis remedium ex chalybe, dictum Magisterium Martis Minsichtii juxta præparationem Anglorum quod à quatuor mensibus sumpsi spatio trium mensium usque ad natalitia vel circiter idem resumpturus denuo infra unum alterumve mensem ulterius opus est.

Ut D. V. informetur funditus de meo morbo, opus est scire quod à duobus circiter annis mihi ex se ipso advenit *Species Herniæ ventosæ varicosæ*, fortè humorum, non scio: defectu apparatus circulationis sanguinis seu extravasati, nominant Gallicè *Cirsocele*, & hæc cadit quidem in scrotum & partem virilem, uti etiam ad tibiam sinistram usque ad genu, ibi apparentibus tumoribus, nodositatibus, acuti dolores, uti, ictus gladii volitantes ad partes illas versus sinistrum latus, præsertim ad brachium sinistrum & quandoque etiam quamvis rarius ad dextrum brachium *Stupores* sentiam: & ante sumptionem Magisterii Martis habebam etiam de nocte suffocationes.

Quandoque *Hæmorrhoides* habui quæ fluxerunt, sed rarius, quod si magis fluerent, ut dicunt Medici, per hoc multum alleviarier, si sanguis spissus foret magis fluidus; mane præsertim jejuno adhuc stomacho, & quandoque per diem frequentes mihi fiunt eructationes, & ferè semper sentio puncturas, dolores graves vel acutos in dictâ parte sinistra ad pectus, uti & frigus ferè con-

continuo ad pectus & dictum latus & finiſtrum brachium, præcipue ſi ſentiam minimum ventum, frigus, humiditatem, ita uttam æſtate quam hyeme ad ignem, vel linteamina calida illic apponere debeam, vel ſicut olim deberem fugare forte cum aquis vel ſpiritibus fortibus deſtillatis illam partem delinire. Apposui ſæpe varia Emplaſtra ad pectus, uti Sylvii, Filii Zachariæ, ſed cum modico effectu. Deberem adhuc habere penetrativum magis aliquod Emplaſtrum, vel quia ſunt aquæ, phlegmata, viſcoſitates, quibus aurificium ſtomachi gravatur, ita ut mane vix poſſim ex ore ejicere, quod habeam cerebrum nimis humidum, Salviam, Roſmarinum, Folia Theé (ut dixi) in modum tabaci fumando de mane expertus ſum, ſed illa non multum me juvant.

à Juventute tenera ſemper habui *ſanguinem acrem* ſeu *ſalſum* & calidum, ideo obnoxius ſemper fui puſtulis in facie, quæ ad octo vel quindecim dies durabant, cum aqua exeunte, ac deinde ſiccabantur & à cute decidebant ex ſe. Verum notandum, quod natus ſim patre plusquam ſanguineo & matre quindena, ſicque complexione diſpari. Hodie ergo ceſſant iſtæ puſtulæ, ſed ſanguis meus eſt tam acris, ſpiſſus & non fluens, quod cauſet mihi continuam claudicationem pedis ſeu tibiæ ſiniſtræ & ſcroti affectus ſupradictâ Hernia, ubi ſanguis extravaſatur, uti ſemper habeo nodoſitates & ſentio puncturas & dolores redundantes ad pectus lateris ſiniſtri, uti & ad humerum & brachium ejuſdem lateris; uti & circa collum habeo glandulas & potiſſimum magnam glandulam verſus ſiniſtrum latus, & magnas carnis prurigines circa collum & ſæpe alibi.

Ardorem quoque urinæ habeo, ſæpe parum mingendo, nec non viſcoſitates inde egerendo. Obſtructionibus & ventoſitatibus in corpore adeo repletus totus, ut ſit quaſi ventus tota mea vita. Aliqui dicunt, ſed vix credo, dolores iſtos volitantes ſtuporeſque, quos ſentio in membris eſſe *guttas volitantes*; alii melius, ut opinor, *Affectiones Hyprochondriacas*, quia repletus ſanguine corrupto, pituita, phlegmate.

In meis purgationibus valde modicis, quas capio (quia ſtomachus parvus & debilis) pono Rhabarbarum & folia ſenæ cum ſcrupulo ſalis tartari in infuſione in aqua cichorei vel agrimoniæ. Utrum non deberem addere aliquot ſcrupulos Mechoacannæ, propter tot aquas, quibus abundo. Accepi acidulas ſeu aquas ſpadanas; aperiunt quidem aliquo modo lienis obſtructionem, ſed nimium frigidas reperi: per decem annos, quibus eas ſumpſi ratione ſtomachi & humoris frigidi cadentis ad pectus & brachium ſiniſtrum, aliqui conſulebant calidas aquenſes per octo dies, quæ purgant pituitam, ſed non fui auſus ob ſtomachi periculum multum per pharmaca debilirari, & quia ex dictis aquis multi pereunt.

De nocte addam quod cum expergiſcor poſt unius horæ ſomnum, cum debilitate & punctura circa cor & ſuffocatione ſentio aquas ſalſas & ſputa acida, quæ ad os & oculos decidunt: Et membrum virile experrectus ſentio eſſe tenſum involuntariè. Abundo ſpermate. Aliqui dicunt eſſe mihi corruptum ſanguinem latentem inter pellem & carnem, qui mihi tot prurigines hodie, olim puſtulas cauſabant in facie, hodie ad occiput & circa collum aliaſque ſæpe partes; nec non quia male

male aſſuetis raptim nimis comedere; idcirco tot eructationibus, obſtructionibus & ventis ſum repletus; nil obſtante quod non comedam legumina, ſalitas porcinas carnes nec acetum. Sed bene indies cichorei radices, quia ſemper conſtipatus, ſi nihil aliud quam carnibus & juſculis utar.

Capio ſpiritus volatiles cochleariæ, & naſturtii aquatici. Aliqui negant ideo meum ſanguinem eſſe corruptum, ſed me abundare, quia eſt ſanguis meus ſatis ruber, dum exit per fonticulos, ut ſæpe facit; neſcio ergo unde ſim tam miſer ab humoribus & doloribus acutis in genu, brachium ſiniſtrum, tibiam & virgam decidentibus: & me continuò ferè lancinantibus & divexantibus & quia ſum etiam tam magnus ſputator, poſſet ſaltem mihi præſcribi aliquid familiare ſingulo mane ſumendum ad expectorandas aquas illas viſcoſas, de mane mihi adhærentes in gutture & ſtomachi orificio, quibus abundo velut torrens aquarum multarum. Licet non comedam niſi carnes prius aſſatas, deinde minutim adhuc ſciſſas & frixas cum racemis paſſularum corinthiacarum frequenter. Hæc ille.

Ad omnia ſpecialiter huic Epiſtolæ non reſpondebo, ſed breviter cum curatione dicenda mea conſtringam. Clariſſimus vir à juvente acriter ſtudiis inſudans, vitam egit ſedentariam, ſine ullo corporis exercitio, hinc ob motus defectum chylus evaſit acidus; ſucci alibiles facti viſcidi, putreſcunt, ni moveantur aquæ. Hinc ſanguinis circulus irregularis, dolores, obſtructiones, flatus, & omnia illa Symptomata, quæ ab acidis, & viſcidis ſuccis expectari poterant. Ex regimine Doctorum liquet, quod præter Chalybeata, omnia adhibita ſuccos ſanguineos corrupiſſe magis, præſertim aquæ ſpadanæ & aquenſis uſus. Quid efficiunt fonticuli alibi ſatis indicavi. Brevi Naſutuli hi Doctores, magna loquentes, non intellexerunt ſanguinis periodum.

Acidum hic erat domandum, viſcidum incidendum & obſtructiones reſerandæ. Præſcripſi ei *Æthiopem mineralem*, *Vitriolum Martis*, *Gummi Ammoniaci*, *Aſſæ Fœtidæ*, *Oculos Cancri*: ex hiſce cum *Elixire Proprietatis* ſine acido maſſa pilularum eſt piſta, ex qua pilulæ piſi magnitudine ſunt formatæ, ſingulis diebus tres devorabat, unam matutino tempore, alteram hora quarta pomeridiana, & tertiam cubitum iturus. Suaſi deinde Corpus modicè quotidie ambulando exerceret: tunc enim promovetur Diaphoreſis, ut ſucci acidi avolarent, & agitatione illa viſcidi humores redduntur magis fluidi; & pilulis his obſtructiones viſcerum deobſtruuntur.

Scorbuticus quidam violenta morte obiit.

IN ejus Cadavere, cultro anatomico, expoſito, erat omentum putridum. Renalis glandula ſiniſtra admodum longa & capax. In cordis vena pulmonali valvulæ erant cartilagineæ. Prope falcem in capite erat excreſcentia cartilaginoſa piſi majoris magnitudine: Ventriculi lympha madidi. Scorbutici Anatome.

CAPUT

Caput XVI.

DE RHACHITIDE.

Rhachitis. INter Scorbuti Morbos infimum non habet locum RHACHITIS MORBUS, ut vulgo appellatur, *Anglicus*, Est Scorbuti species, & quia infantes & pueros majori Symptomatum pompâ invadit, ideo quein puerorum morbos recenseri solet. Post mensem à nativitate sextum primo animadvertitur, atque accrescit ad annum ferè tertium; atque sic duos annos postquam sex menses nati fuerint hoc morbo vexantur: quia postea partes solidæ stabiliores fiunt, imo cranii suturæ sunt invicem ferè concretæ: atque sic illa symptomata, quæ vulgo observantur, non ita animadvertuntur.

Signa sive Symptomata sunt plurimarum partium mala conformatio. Caput enim multo majus est, quam sanis solet: & per consequens facies longè, quam alias, plenior apparet; adhæc acutioris & exactioris ingenii sunt & judicii, quam alii longè adultiores sæpe solent. Partes carnosæ sunt laxæ & flaccidæ: Cutis est laxa; crura curva; & inflexa; circa articulationes nodi & articuli lati fiunt; etiam gibbi sunt, quia spina dorsi incurvatur. Pectus fit angustior, verum sternum acuminatur. Extremi costarum nodi fiunt nodosiores. Alvus tumida & inflata.

Cadaveribus inspectis, Hepar justo majus invenitur, & tantum jecur, sed omnia viscera solitò majora sunt: Ventriculus quippe & intestina, quam vulgo solet, tument. Sic Mesenterii glandulæ ordinariam longitudinem maximè superant, & sine dubio obstructionibus obnoxiæ sunt. Pulmones obstructi sunt & tumidi, etiam glandulis conspicuis pleni, pureque referti: aliquando cohærent pleuræ: vasa sanguinea ampla sunt & tumida: cerebrum bene constitutum est, præter quod solitò majus sit; porro ad motus & exercitia admodum tardi sunt, ideoque sedentariam vitam amant, & insidere circumgestantium lacertis. Corpus enim & Caput nimis gravia fiunt, hinc à cruribus imbecillibus sustentari nequeunt.

Partes illæ quarum nervi è cerebro originem trahunt, meliorem habent constitutionem, nam plus debite nutriuntur, quam quæ à spinali medullâ accipiunt, nam illæ ferè contabescunt, saltem multò magis læduntur. In partibus sanis, vel saltem quæ ita videntur, vasa sanguinea præter modum magna sunt: ast in illis, quæ perparcè nimis nutriuntur, angusta admodum.

Nullus Authorum *Rhachitidem* tractantium in causis inquirendis mihi satis fecit. *Causa* itaque videtur consistere in quodam succo nervoso, qui pro variâ particularum constitutione facile & copiosè cerebri systema irradiat, non vero Medullæ spinalis; hinc mihi videtur esse quædam *Medullæ Spinalis Paralysis*, quæ non perfecta est, sed pro parte.

Sed quare materia tam facile tamque copiosè cerebrum pertransit, & cur

etiam

etiam non obstruitur? quia cerebri glandulosi acini poros habent multo minores, nam spiritus è cerebro venientes sunt multo tenuiores, quam qui medullâ spinali egrediuntur: qui enim artuum motui inserviunt, tantâ tenuitate non indigent ac viscera interna: quidquid quoque crassum ad cerebri glandulas defertur, cum refluo sanguine, aliisve succis facilius & citius revehitur, quam è medullâ spinali. Sanguis quoque purior & viâ breviori ad cerebrum è corde defertur, quam è cerebro in medullam spinalem ad sacrum os usque effertur. Non ignorandum quoque est, ex humoribus lentis, & viscidis symptomatum myriades provenire, quia solummodo à variâ succorum proportione dependent: generalis enim incrassatio ab acido ortum habet & à viscido, & quod morbus hic magis ex viscido proveniat, quam ab acido ex symptomatis satis patet; ad me quod attinet, potui mihi in hisce causis satisfacere.

Partes nunc, quæ à succo cerebrali irrigantur, melius videntur nutriri, quam cæteræ, quæ à nervis spinalis medullæ dependent. Certum est, quod omnes partes, quæ debito modo à succo nerveo expanduntur, etiam sanguinem, cæterosque succos, possint promptius transmittere: Pars enim rectè nutriri nequit, si à debitâ succi nutritii quantitate frustretur; non tantum ob illius influxum, sed quia parti calor denegatur; hinc neque nutritur, neque calore fovetur, sed flaccida & marcida redditur. Hinc influxu illo & expansione denegatis, vasa quoque minora sunt; è contra in hisce partibus, ubi nutritio ultra modum fit, vasa magis expansa & majora sunt. Sit ut sit, ex symptomatis satis apparet, nutritionem esse in ejusmodi corporibus inæqualem, & cerebri substantiam melius valere quam medullæ spinalis: & si eadem medulla non esset obstructa, certè æqualior perageretur nutritio. Verum, non obstructo cerebro, sequitur, partes à cerebro, dependentes, melius inflari ac nutriri: & quoniam illæ partes succum etiam cerebralem, qui alias spinali medullæ impenderetur, separant, ideo partibus à systemate cerebri dependentibus, etiam impenditur.

Hisce ita verificatis, mirum non est, Caput & faciem ultra modum extendi, atque viscera imi ventris tumefieri eaque majora fieri, nam copiosè hocce succo irrigantur; cæteræ porro è contra partes, propter obstructiones, eodem frustrantur. Et quamvis imi ventris viscera plurimos è medullâ spinali nervos accipiant, non minus tamen ab intercostalibus, cum cerebri nervis, communicationem habentibus, instruuntur: hinc est quod grandiora fiant.

Alii dicunt nutritionem tantum fieri inæqualem, & ego causam pono in expansione illarum partium inæquali, quid ergo dicendum? dico itaque nutritionem solummodo dependere à debitâ partium expansione: dissecto enim nervo, expansio cessat, pars marcescit & emaciatur, eodem modo ac arborum folia moriuntur, conscissa arbore; atque ea emaciatio & flaccescentia duntaxat fit, quia succi nutritii affluxus cessat, cujusque ope alias folia expandebantur. Partibus itaque bene à succi nervosi affluxu expansis,

etiam illis regularis nutritio accedit: sin alias, succus nutritius tam largâ copiâ non afflueret.

Particulis hisce viscidis in pulmonibus hærentibus, facile obstructiones pariunt, ex quibus glandulæ facile extenduntur, atque sic majorem molem acquirunt: & quia hac de causâ plurimæ particulæ succi nutritii à motu circulationis cessant, etiam facile in pus mutantur.

Incurvantur crura ut plurimum, idque antrorsum, præsertim tibiæ, & ossa cubiti, & ossium capita etiam sæpe extorsum extuberant. Sic costæ circa articulationes cum sterno nodos habent. Spina dorsi in gibbum curvatur, atque sic infantes nascuntur gibbosi.

Et licet Musculi debito alimento, ob diminutam expansionem orbentur, ossa tamen bene nutriri videntur, & à sanis crassitie & soliditate non differre. Qui ossium canaliculi tali à nervis expansione non indigent, quam partes carnosæ & minus solidæ, nam ossium canaliculi rigidi sunt, & minimè hoc modo expansibiles.

Sed quare ossa ita incurvantur, & cur non recta nascuntur ut in sanis? statim diximus ossa bene nutriri, ergo musculi, non nutriti, debitam longitudinem habere non poterant, atque sic ob parvitatem incurvabantur ossa, absque detrimento crassitiei & ponderis. Illa incurvatio locum non tantum habet in ossibus longis, sed etiam in spinæ dorsi vertebris, quæ partim extrorsum, partim introrsum incurvatur, sic gibbosi adolescunt infantes; atque illa incurvatio eodem modo fit ac statim de ossibus dictum. Sed qua de causâ ossa humeri & femoris non curvantur? quia ossa illa ab illorum musculis in æquilibrio continentur, itaque ab uno latere non magis gibbosa crescunt, quam ab altero: hinc est quare crassiora fiunt, & circa extremitates tuberosa; nam quod in longitudine non excrescit necessario in latitudine se expandi debebat.

Quod etiam Thorax angustatur, est quod musculi Hemiparalytici costas sufficienter expandere non possunt: huic etiam rei non parum abdominis musculi faciunt. Thorace hoc modo constituto, non mirum est pulmones pleuræ adnasci, & quod illi homines Asthmatici evadunt; nam eorum sanguis satis accendi nequit, quia pulmones pro parte à requisito aëre frustrantur, & plus exspirant quam inspirant.

Quia nunc nervi, qui ex medullâ spinali proveniunt, musculos ritè non expandunt, est ex spirituum penuriâ, ex eo quia medullæ spinalis acinis glandulosis obstructis sufficienti quantitate non separantur; Exinde facile intelligitur, musculos etiam debitè non moveri: deinde non difficile intellectu est, quare infantes ad incedendum tardi sint: partes enim imbecillæ satis virium non habent, quibus corpus sustentetur.

Cerebrum porro, quo mediante, spiritus in copiâ separantur, causa est, quod viscera magis nutriantur non tantum, sed Judicio longè superent alios, quorum succus nerveus à cerebro & cerebello æqualiter dispergitur.

Et quamvis in opinione sim, adultos eodem morbo tentari verum sub alio nomine, tamen omnia symptomata non habent expectanda: nam

quia

quia adultorum partes ad debitam soliditatem & expansionem pervenerunt, Amplius incurvari ac extendi non possunt. Ideoque est quod plurimi extenuantur, habentes faciem tamen satis floridam & vividam: & illos eodem modo esse obnoxios, mihi facile persuaderem.

Et quamvis infantes ab hoc morbo non statim enecentur, tamen non absimilis scorbuto est, qui aliquando tanta symptomatum pompâ stipatur, quibus facile, post longam extenuationem, è vitâ in mortem migratur. Infantes enim illi sæpe planissimè extabescunt, in Hydropem incidunt, &c. Hostes sane vix superabiles.

Animadvertitur hunc morbum periculum majus habere, si infantes ante vel paulo post nativitatem eodem obnoxii fuerint: spiritus enim, qui aliquatenus imbecilles hasce partes illustrant, nimis debiles evaserunt, ad partes infirmas debitè explicandas; hinc planè à succo alimentari nutriri nequeunt, atque sic, post longam extenuationem, mori.

Causa itaque jam proposita, erat obstructio in glandulosis spinalis medullæ acinis: ideoque opera danda, ut obstructio dissolvatur: huic ergo rei maximè inserviunt *Salia volatilia* & *oleosa*, quia suâ volatilitate aperiunt: atque hæc sunt vel *Externa* vel *Interna*. Quia in visceribus multum pituitæ colligitur, purgare & vomere tutum est, ut saburra pituitosa elutrietur; ad vomendum grana pauca *Tartari emetici*, aut *vitrioli cærulei* vel *albi* dentur: verum cautè incedendum, alias facile convulsiones sequuntur, quæ statim vix sedantur: ideoque si blandè purgantibus res peragi possit, ad Emetica confugiendum non est. Blanda purgantia præparantur ex *Mannâ*, aut *Prunis Catharticis*; vel præparatur ex *senæ foliis*, cum *tartaro rhenano* & *aquâ pluviali*.

Porro corrigendis spiritibus animalibus, dandum est *sal volatile oleosum*, quod constat ex *spiritu cornu cervi* & *aromatis Indicis*, sumi debet quotidie in omni occasione tam cum cibis quam potu. Etiam commendanda est *Tinctura ligni sassafras*, quæ singulis diebus sumitur. Deinde omnia *salia volatilia* hic utilitatem adferre possunt, ut sunt *spiritus* & *Flores Salis Armoniaci*, *Spiritus Cornu Cervi*, *Tinctura Succini*, *Croci*, *Castorei*, &c. *Ens Veneris R. Boilæi*, constans ex *sale armoniaco* & *colcothare vitrioli*, quæ mixtura bis aut ter sublimatur; dosis datur à duobus granis ad sex. Simili modo juvat quoque *Elixir Proprietatis* sine acido, expellit enim omne viscidum, ut & vermes. Usus quoque *Chalybeatorum* domat omne acidum, deobstruit, & vim activam succis infert. In pulmonalibus morbis *Tinctura* & *flores Benzoin*, quia ex sale volatili oleoso constant, in usum vocentur. Prævalet tamen *Balsamum* & *Tinctura sulphuris*. Inter Euchresta, *Diaphoretica* adhibeantur; membra enim ad motum tarda hisce restituuntur, & diaphoresis augetur. Atque hæc fieri possunt ex alcalicis fixis, volatilibus & oleosis. Neque Diuretica sunt exulanda, quia non tantum motum sanguini restituunt, verum & pituitam expellunt.

Quoad externa *Balnea* institui possunt ex simplici aquâ calidâ; sed melius est, si herbæ quædam aromaticæ, flores, semina &c. incoquantur conveniunt quoque *fomenta* ex cerevisiariorum frumento excocto: hisce & simili-

 bus

bus materia impacta dissolvitur. Hæc omnia sæpius sunt repetenda, saltem tamdiu vires ferunt: vires enim sunt respiciendæ. Sic linimenta ex penetrantibus præparata, multum prossunt, & inter illa sunt *cerevisia Lupulata* (vulgo nobis *Jopen bier*, quasi *Hoppen-bier*) hac enim non tantum spina dorsi fricanda, sed & musculi aliæque partes imbecilles. Porro linimenta fiunt ex *oleo laurino*, *Terræ*, *Laterum*, *Petræ*, *Succini*, *Terebinthinæ*, &c. hisce penetrantibus oleis, unguentisque solvuntur obstructiones. Alia adhuc symptomata sunt fluoris alvi, sudoris inordinati, gingivarum doloris, quæ omnia curantur eo modo ut antea dictum. Neque hic fricationes sunt exulandæ, quia fricando, corpus quasi exercetur: tunc enim majori quantitate sanguis has partes influit. Incurvatæ tibiæ restituuntur fasciis ac ferulis, ut sensim in debitam longitudinem reducantur: ocreæ, ex corio non facile flexili factæ, hic quoque conducunt; sed aliquot menses gestari debent. Quoad gibbositates, illæ corriguntur Loricis ferreis, aut coriaceis, balænarum maxillis ab omni latere sutis, ut dorsi spina tempore in rectum situm dirigatur.

Infans dentitionis tempore languebat. Adfuit à principio tussis molesta & spirandi difficultas, quæ indies incressebant; caput solito majus erat: membra flaccida: carpi ac tarsi protuberabant; aderant nodi in costarum cartilaginibus; venter tumebat: pectus macrum fuit. Tandem emaciatus, obiit diem.

Rhachitidis & respirandi difficultate laborantis, anatomica inspectio.

ABdomine inspecto, cuncta sana, sed justo majora. Intestina aëre turgida. In thorace sternum reflexum, pulmones exucci & plumbei coloris. Mirum, membrana pulmones succingens aspera erat & protuberantiis, tuberculisque; verrucis non dissimilibus. Apertis pulmonibus, in plurimis locis tartarea seu gypsea substantia concreverat.

Infantem hunc ex diætæ vitio, sive cibi sive lactis, quo sugendo alebatur, *Rhachitide* seu *morbo Anglico*, laborasse certum est, cum omnia signa huic quadrant. Viscera in hisce symptomatibus, quæ nervos à cerebro accipiunt melius habere videntur, quam membra, quæ nervis ex spinali medulla gaudent. Causam genuinam in obstructione medullæ spinalis pono: quæ non quidem planè paralytica est, sed pro parte. Succi enim nervosi talem particularum proportionem possunt habere, ut cerebri glandulas, ejusque nervorum origines facile permeent medullamque spinalem quasi obstruant. Hinc causa petenda, cur quædam partes nimium nutriantur, quædam autem flaccescant.

Incurvantur ossa, quia musculi non crescunt, eodem ritu ac si funis arbori circa radicem & summitatem accommodetur, cum arbor primo esset recta, elapsis vero aliquot annis plane crescit curva: hoc modo etiam tota spina incurvatur, adeo ut κυφώσει vel λορδώσει laborent.

Ossium nodi protuberant, quia alimentum tenax ad nodos copia quidem affluit, sed propter lentorem altius in substantiam magis osseam non penetrat, ideoque intra ossium tubercula magis spongiosa subsistit, & protuberare facit.

Cum

Cum ſpina ita contrahitur, thorax anguſtatur, hinc pulmones haud juſtè explicantur & anſam difficili reſpirationi præbent. Humores interim ibi ſtagnantes ſi particulis ſalinis ſcateant, cryſtalliſantur, & calculoſos pulmones efficiunt. Glandulæ enim minimæ, quæ pulmones perreptant, facile lentis & ſalinis humoribus obſidentur. Vidi ſæpe calculos tracheæ adhærentes, qui unciam ſemiſſem & aliquando integram pendebant, ut dixiſſes totam tracheæ fiſtulam petrefactam fuiſſe, adeo calculoſa erat. Ejuſmodi petrefactio refert *Clariſſ. Theod. Kerkringius*, *obſ.* XXVII.

Non mirum igitur in infantulo noſtro pulmones ita inæquales fuiſſe tactu, cum calculi per ipſam membranam ferè protuberabant, hinc liquet cur reſpiratio difficilis fuerit. Aër enim ab hiſce tuberculis excludebatur, quo melius ſucci petrefacturi cryſtalliſando anſam habebant, quam cum moverentur: nullus liquor ſalſus cryſtallos mittet, quamdiu moveatur, ſed duntaxat, cum quietus ſit.

XVII. CAPUT.

DE ARTHRITIDE FIXA.

ARTHRITIS, quæ fixam ſedem retinet, eſt quædam obſtructio circa unum, duos, pluresve articulos, cum dolore, tumeſcentiâ, rubore, tophis, aliiſque ſymptomatis, certis aut incertis temporibus rediens. Hic afficiuntur membranæ, tendines, nervi, perioſteum, aliæque partes oſſium capitibus vicinæ, imo & ipſa oſſa. Pro diverſâ parte affectâ, varia etiam ſortitur nomina; ſi manus nempe afficiuntur *Chiragra* vocatur; ſin pedes, *Podogra*; Genua, *Gonagra*; in oſſibus iſchiis, aut articulatione cum femore *Iſchias* dicitur. Alii adhuc alias denominationes addunt, ſed quia omnia illa nomina idem ſymptoma ſignificant, non eſt ut ſuper denominationibus diſputemus. Fit caſu vel ex hæreditario morbo, cum vel ſine aliis morbis. Differt ab *Arthritide vagâ*, nam dolor hic eſt fixus eandem ſemper ſedem occupans, in Vaga non item. Arthritis fixa.

Cauſa proxima eſt ſuccorum articulos percurrentium, quædam incraſſatio, qua vaſcula permeare nequeunt, itaque quidquid per articulos ire nequit, cogitur ſubſiſtere, & paulatim aceſcere: ſuccis hiſce ergo aceſcentibus, partes membranoſæ, tendinoſæ, nervoſæ &c. compunguntur & lancinantur, unde *dolor* intolerabilis. Deinde ſuccis à tergo affluentibus, viamque patentem non invenientibus, obſtructio augetur, & *intumeſcentia* oritur. Materia porro obſtruens, ob alcali & acidum, aliquomodo incaleſcit, unde *calor*; & quoniam particulæ illæ non coaleſcunt, lactis in modum, in pus non convertuntur, ſed paulatim ab affluentibus ſuccis, materia obſtruens diſſolvitur & deobſtruitur, atque ſic ſenſim tumor evaneſcit. Verum ſi hæc non fiunt, efferveſcit materia acida cum partibus vicinis ex ſale volatili conſtantibus, atque ſic ſenſim Tophi generantur, qui maximâ ex parte ex oſſium materiâ conſtant, eodem modo ut

spiritus vitriol liquorem salis tartari concrescere facit. Atque ea de causa *Lues Tartarea* à quibusdam appellatur.

Externæ Causæ non raro sunt frigoris injuriæ, & acidorum nimius usus, vini rhenani præsertim &c. hisce tenues succi condensantur; & quoniam membranæ & tendines eorum affluxu continuo irrigantur, etiam potissimum afficiuntur.

Periculo quidem vacat hic morbus, verum homines, quandiu in vivis sunt, iisdem doloribus sæpe torquentur. Tophi intra articulos nunquam curantur, aut rarissimè. Arthritis per hæreditatem contracta, incurabilis censeri solet. Curata vel non raro comitem habet colicam passionem, aut Nephriticos dolores, Asthma, Paralysin, spasmum, strumas, cancrum, &c. dicunt Arthriticos diu vivere, quia materia arthritica omne malum absorbet, unde alii morbi oriri solebant. Vere & autumno ob aëris mutationes, ut plurimum, advenire solet hæc *Dea Podagra*. Durante Asthmate aut quartanâ febri, cessat quidem dolor, sed postea etiamnum redit. Dolor iste nullibi vehementior, quam in cervice ac Lumbis, unde *Trachelagra* & *Lumbago*. Quia vertebræ continuo ferè moveri debent, cum alias articuli manuum pedumque possunt esse quieti. In principio quidem curatur, saltem curari potest, si altas non agerit radices: sed inveterata quam rarissimè curam admittit:

Trachelagra, lumbago.

Principiis obsta, serò Medicina paratur:
Cum mala per longas invaluere moras.

Hippocrates loquitur Aph. 30. *sec.* 6. *puerum podagra non laborare ante Veneris usum.* Sed vidi puerum duorum annorum vel circum circa miserabiliter podagrâ & chiragrâ cum tophis, amissione & consumptione nonnullorum officulorum ex digitorum officulis, vexatum. Sed annotandum, matrem, cum ab eo gravida erat, multum frigoris circa manus & pedes sustinuisse.

Sanguis, succus nervosus, &c. iterum in pristinum statum reducendi sunt, ut nempe volatilizentur, nullibique subsistant. Deinde quidquid intra articulos impactum, dissolvendum, expellendum. Deinceps in paroxysmo dolores sunt mitigandi. Quidam primo paroxysmo instante, corpus purgant *Mercurio Dulci*, *Resina Jalappæ*, *Hermodactylis*; &c. hinc *Electarium Caryocostinum* ab authoribus præscribitur: purgans quidem non malum, si vires ferant, nam plurimum acidi & pituitosi ad intestinalem cloacam mittitur, atque sic sæpe à vehementi paroxysmo liberantur. Sed extra Paroxysmum, ea usui venire quotidie debent, quibus acidum domatur, & inter ea proximum locum habent ea, quæ ex metallis & animalibus præparantur. Est quædam præparatio ex *Jove*, *antimonii regulo* & *nitro* quæ mira præstat: Hæc & similia extra paroxysmum sensim causam mortificant. *Salia volatilia oleosa* etiam sunt in usum vocanda: plurimos in *Germania* ut & in Belgio aliisque locis ab hoc morbo liberavi, sed Diætâ opus est exquisitâ. *Pilulæ ex Gummi Ammoniaco*, *Chalybeatis* &c. etiam multum præstabunt. Temperamentum

est

est quoque considerandum, quemadmodum de scorbuto diximus, in uno sunt adhibenda oleosa volatilia, antiscorbutica, &c. ut diaphoresis corrigatur, atque pituitosum incidatur, inque motum intestinum & circularem ducatur. In alio denique sunt tantum adhibenda; quæ acidum & salsum domant: si temperamentum sit mixtum, mixta quoque danda veniunt.

Externa quoque sunt varia, vel ratione temperamenti, vel ratione præparationis. Quidam ferunt calida oleosa, alii non item. Præparationes sunt cataplasmata, fotus, Emplastra, &c. Cataplasmata præparari possunt ex *Radicibus Althææ, Semine Lini, Hordeo, Farina Fabarum, Floribus Camomillæ*, & *Sambuci* cum *Lacte Dulci.* *Aut* lixivium sumunt ex *Sale Armoniaco, Sale Tartari* & *Aqua Pluviali*, quod linteis calidè parti læsæ circumvolvitur. vel

Recipe Spir. Vini.
Aquæ Sambuci, *ana uncias quatuor.*
Croci, *scrupulum semis,*
Caphoræ,
Opii *ana drachmam unam.*
Misce.

Æger sumat eodem modo, ut supra, vel

Accipe Spir. Vini, *uncias decem.*
Salis armoniaci, *drachmas duas.*
Caphoræ, *drachmas tres.*
Misce.

Lavamentum illud tempore datum, egregriè juvat.

Quidam partem affectam illinunt *Oleo Ceræ, Oleo ex radicibus arboris cinamomi, Balsamo Sulphuris* &c. *P. Barbettus* fotum commendat ex *Vitriolo albo & viridi, Nitro, Alumine, Myrrhâ, Opio, Vino Gallico, Spiritu Vini rectificato, aceto sambuci*, &c. *Emplastrum Neurenburse* nonnulli laudant, ut & *Emplastrum de Sapone* cum *Minio, Gummi Ammoniaco, Cerussâ, Caphorâ, Croco, Opio* &c. aut cataplasma applicant ex stercore bovino, melle & vino. Valet hic præcipuè Spiritus Rorismarini, aut Spiritus Vini Caphoratus, & juvant absque emplastris, fotibus, cataplasmatibus, &c. urunt nonnulli locum affectum lanugine *Moxa* dicta, quæ est foliorum artemisiæ lanugo, scalpello à parte inferiori abrasa: sed novi in nostris regionibus illam ustionem sæpius fuisse institutam absque ullo fructu. Moxa quid

Expertiss. *Ferd. Gruiwardus*, alibi citatus, cum omnia sint incassum tentata, sequenti modo locum inurit.

Recipe Mercurii præparati, *unciam unam.*
Arcenici,
Schœnanthi, *ana unciam ſemis.*
Euphorbii, *drachmas duas.*

Miſceantur & coquantur in olla figulina oblongioris colli, bene obturata & tecta, cum ſpiritu vini optimi unciis viginti, per Balneum Mariæ, per horas tres quatuorve. Ab igne remota & clauſa frigeſiant; deinde mappa vel pannus lineus parti affectæ (exceptis nervis, ligamentis & tendinibus) applicatus, præcedenti decocto cum linteo carpto tingitur; ſic ignis è longinquo admovetur ſecundum ægri tolerantiam, donec veſiculæ excitantur; iis excitatis, evaneſcit dolor Iſchiaticus, & veſiculæ digeſtivo communi ſeparantur. Hæc ille.

Emplaſtrum quoque præparatur ex *ſaponis nigri & fellis bubuli* ana unciis quatuor. *Olei Olivarum*, unciis duobus, *aceti*, unciam unam. Coquantur in conſiſtentiam Emplaſtri. Vel fovent partem muſco ſicco, quo naves ab aquâ defenduntur: quidam cum ſpiritu vini irrigant.

Pro tophis confringendis. *Emplaſtrum Mercuriale* præſtat aut Cataplaſma quidam applicant ex caſeo acri & putrido una cum lumbricis terreſtribus.

Si dolor ſit intolerabilis, locus affectus lingatur linguâ catuli: Anodyna cum croco intus dato: mihi eſt anodynum quoddam volatile, quod brevi tempore dolores compeſcit, tam intus datum quam exterius illinitum.

Alii ſequens Extractum ſummoperè laudant. ut

Recipe Opii Thebaici, *libram unam.*
Succi Cydoniorum, *uncias octoginta.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Cinamomi, *ana uncias duas.*

Poſt digeſtionem & filtrationem, evaporetur in mellis conſiſtentiam; cui adde *Croci*, uncias duas. Miſce. *Doſis* ad grana duo & tria. Extra paroxyſmum quotidie decoctum ſumatur ex *Salsâ Parillâ*, *Chinâ*, *Saſſaphras*, &c. & aliquando læſæ partes ſunt ſpiritu vini calido fovendæ, ne materia obſtruens concreſcat. Salivationes nonnulli inſtituunt, ſed res eſt non ſine periculo.

Bremenſem ante aliquot annos Podagricum, & ſimul Lue Venereâ contaminatum, à Lue per ſalivationem curavi, & quod mirum, nunquam poſtea podagricos dolores ſenſit. Vide quoque *Joan. Muys* obſ. x. dec. VII.

CAPUT

Caput XVIII.

DE ARTHRITIDE VAGA.

Arthritis Vaga dicitur, quia ab uno loco in alium videtur volitare & vagari, ideoque fortè Varus appellatur, quia loco variat. Nihil itaque aliud est, quam obstructio quædam in partibus tendinosis & membranaceis, unde ingens dolor, qui ab uno articulo in alium videtur transflocari. Aliquando circa articulos intumescentiam parit, quæ tardè evanescit; & si aperiatur, materia quædam serosa & chylosa emanat, & levamen sequitur. Ast si non aperiantur, aliquando magnæ & latæ oriuntur maculæ, prima lividæ cum nigredine; quæ deinde in purpureum vertuntur colorem. Sed hoc semper non est, quia aliquando instar pulicum morsûs apparent, primo rubræ, deinde purpureæ & denique nigræ: ex hisce aliquando oriuntur ulcerationes molestæ, quæ cancri instar continuò accrescunt, vel fistulas inducunt continuo pus effundentes. Arthritis Vaga.

Altera Species sine tumore est, verum non sine minori dolore ac prior; corpus macilentum est & extenuatum, cum tarditate ad motum, ut in scorbuto, *Tertia* non ab uno articulo in alium volitat, sed partem tantum unam occupat, sive manus sive pedes, digitos, cervicem &c. porro partes admodum calent cum dolore pungente; hæc semper non est, sed aliquando redit, ast postea cum majori torturâ partes torquet. *Quarta*, pyroboli instar ab uno membro in aliud moveri videtur: quia materia dolorem inferens aliquando soporem quasi inducit, sed uti canis dormiens, experrectus iterum mordere incipit, ac ægros miserrimè torquet. Aliquando unicam patrem occupat, atque sic per omnes artus divagatur, præsertim tergum, lumbos, manus, pedes &c. sed priusquam progreditur, fixam sibi eligit sedem, & bombardam prius aliquot vices explodit, quam ulterius fulminat: nam ubi primo sedem fixit, ibi primo vehementer sævit ac furit, deinde tela ab uno membro in aliud sensim sensimque divagatur.

Præcedunt sæpe cephalalgia, capitis difficultas & vertigo, deinde dolor cervicis, spinæ dorsi & lumborum: deinde afficiuntur aliquando brachia, manus, crura, pedes: verum illi motus non fiunt subitò, sed quidem omnes simul, & non raro per vices, vel in unicum locum continuò volitantes, vel in diversa, vel simul vel per vices: ita ut si cessat in loco illo sæpe in alio incipit: atque ita videtur ab uno membro in aliud migrare, quod tamen verum non est.

Aliud signum est, quando accipis vermem terrestrem vivum, & supra partem læsam suspendas, eodem modo sese contorquebit, ac si supra nitri spiritum, aut aquam fortem suspensus fuerat, quod indicat acidum ex loco læso evaporare, cujus particulis vermis torquetur, & in convulsivos motus adigitur, atque sic moritur, modo momentum supra partem læsam jacuerit.

Si fuerit absque tumore, præter modum corpora sunt extenuata cum membrorum imbecillitate. Ast si tumor articulis adsit, ut plurimum maculæ oriuntur cum ulceribus difficile curabilibus. Dolor circa vesperam augetur, præsertim si noctu decumbamus, atque tunc sæpe intollerabilis existit, eodem ferè modo ac in Lue venerea. Etiam sunt cibi admodum appetentes, & tamen non fiunt pingues; adest aliquando febris erratica, ut in Arthritide fixâ quæ interdum non animadvertitur. Urina raro intensè rubicunda est: neque pulsus celer est, ut in plerisque morbis. Ut plurimum alvum adstrictam habent, nequientes per aliquot dies ventri satisfacere. Dolores comitem habent ardorem urentem & rodentem.

Signa continuò volitantis Arthritidis sunt, quod dolor non diu in principio eundem locum occupat, sed ab unâ parte videtur ad aliam vagari. Hisce accedit membri immobilitas, nisi ab alio membro illæso dislocetur. Quando continuò eundem locum occupat, tamen sæpe eundem citò relinquit, ac citò redit. Deinde morbus hic, (nisi inveteratus) tartaream non habet materiam, ut in Arthritide fixâ. Vagæ vulgo scorbuti signa adsunt, ut gingivæ sanguinolentæ, continua lassitudo, maculæ lividæ &c. Neque semper adest tumor aut color rubicundus, ut in fixâ Artheritide, sed interdum quidem, ut diximus, & interdum non.

Causam eandem agnoscit ac Arthritis fixa, & ab eâ solummodo gradibus differt: verum materia peccans paulo aliter se habet, nam in vagâ non æqualiter perfluit materia, ut in fixâ, in quâ per nervos sensim ad membra descendit; ast in vagâ per vices in membra ruit, quia particulæ quædam adsunt tenaces, quibus ille fluxus æqualis inhibetur: ideoque tantum per vices aliquid descendit: hinc paucum illud non diu in tali membro moratur, ast brevi evanescit: nam si materia obstruens in multâ copiâ esset, non tam citò ex parte obstructâ abiret; atque illud est, quare dolor sæpe tam subitò oriatur, subitoque evanescit. Interim fit, materiam ex cerebro, medullâque spinali descendentem, etiam in aliam partem duci, ac quidem prior determinatio erat, illudque est, quod putant, ab hoc membro in aliud transferri, ideo *Vagam arthritim* appellarunt. Sed membranatim non vagatur, verum materia, quia aliquando impeditur, per vices tantum descendit. Materia enim illa ab uno membro in aliud remeare non potest, hoc est, è digito minimo in pollicem; & è manu in pedem, &c. hoc enim esset circulationi succi nervosi contradicere: sed fieri posset quod dolor primo sit in cubito, deinde ad carpum descendat, & digitos, quod circulationi contrarium non est: imo & podagrici illud sentiunt; ex cervice enim per humerum & brachia ad manus fluxionem sentire perhibent.

Alii circa articulos tumores sentiunt, alii vero non: causam aliam non agnoscit, quam quod in uno plures adsunt humores viscidi, quam in alio: hinc fit, quod ejusmodi humoribus in parte affectâ remanentibus, canaliculi obstructi expandantur atque intumescant: tumore porro aperto liquor emanat serosus aut lacteus. Ast si tantâ visciditatis copiâ non adsit, materia melius circulari potest, postquam suas partes egerit, ideo tumoris nullius vestigium remanet. Ast si tumores longæ durationis sint, maculæ producuntur

cuntur diversæ speciei, quia succi ob tenacitatem debito modo in circulum duci nequeunt, verum hinc & inde moram trahit; hinc primo macula rubra, deinde livida aut nigra, atque iisdem scorbutici non raro afficiuntur. Aliquando unicam sedem dolor obsidet, ut in lue Venerea non raro fit, quia rosione istius materiæ sæpe tota pars læditur, ac continuò aliquid vasibus emanat; mirum itaque non est dolorem unicam tantum occupare partem, quia nempe ex eâ refluere nequit; verum dolor veniens & recurrens, fit, ut antea dictum. Dolor aliquando fulminis instar incurrit, nunc hanc nunc illam partem obsidens; quia succus nervosus plurimas sibi adscivit particulas acidas cum multâ aquâ, quare tam citò non coagulantur, verum tardo transfluxu, mediante acido, pariunt in nervosis & membranosis partibus rosionem quandam, quas pertranseunt; atque ita est dolor volans & cito currens, qui non est constans, sed quasi ab infernali fluvio affluens.

Inter *causas externas* meritò *Aër* censendus est, ut & *Aqua*, *Potus*, *Cibus*, *Integumenta*, *Vita sedentaria*, *Exercitium perparcum*, & quæcunque sunt hujus farinæ. Si Aër, aqua, &c. nimium frigeant, Vagæ huic Arthritidi causa esse possunt; Nam quemadmodum Arthritis fixa constat ex nimio acido, ita superfluum frigus vago huic morbo occasionem dat, quamvis acidum etiam à causis non est averruncandum: plurimas fœminas novi, quæ juventutis tempore, lavando, atque lintea contrectando multum frigoris ex aquâ rigidâ sustinuere, & in adultâ ætate Arthritide vagâ continuò afflictæ fuerunt. Eadem res est cum illis qui sese tenui nimium veste cingunt, illi quippe infrigidantur, atque succi incrassantur, qui si adultâ ætate non satis sint tenues, tardius per nervos fluunt, ut dictum. In illis regionibus, in quibus solent nudo corpore incedere, ibi plaga illa maximè regnat. Imo apud ipsos Lapponenses, Finnonenses, illud malum maximè grassatur: verum apud illos non item, ut apud nos, quia illi sobriè magis vivunt, quam nos, & à teneris frigoris injurias assueti sunt, ideoque consuetudini aliquid concedendum. Præter aëris frigus, nimia corporis denudatio venit, præsertim tempore frigido, nam diaphoresis inhibetur ab aëre nimium frigido, quâ de causâ succi in externis cutis glandulis condensantur & minimè evaporantur: quod sentit tenerrimarum virginum sexus, sese, ut essent junceæ, perparcè amiciunt: sic etiam quæ & collo & mammis nudè incedunt, adultiori ætate pœnas luunt. Tempus in quo morbus hic maximè vagatur, est vernum & autumnale, in quo sanguis & succi plurimam mutationem sustinet: rationem dedi cum de Arthritide fixâ mihi sermo erat: fixa enim & vaga, sunt quasi maritus & uxor, gradibus tantum differentes. Sed quare materia tophacea intra articulos non concrescit? dico in Vagâ Arthritide tantam materiæ copiam simul non congregari ac fixâ, atque prius per vias debitas revehebatur, quam partem quandam corroserat: nam in fixâ partes corroduntur, præsertim tendines & nervi, & deinceps periosteum & ipsa ossa; quibus ab acido corrosis, calx concrescit: deinde in fixa major acidi quantitas est, (nam ipsius causa acidum est) quamvis in vagâ acidum etiam suas partes agit.

Neque Vaga, ut & fixa periculum nullum habent; neque diuturna, intermittentibus vicibus rediens. Si negligatur, aut debitis mediis non tractetur,

non tantum aliquot menses durat, sed annos. In cervice & dorso periculosior quam in quâvis externo membro: quia facile exinde paralysis oritur, deinde per intercostales nervos communionem cum visceribus habent. In ischiis non facile curatur; quia media externa parum juvant: deinde facile femorum musculi paralysi afficiuntur, unde ambulatio & incessus mutilantur. Vere citius quam Autumno aut circa hyemen subjugatur; quia veris calor potentior est, quam autumni aut hyemis. In senectute & viribus deficientibus difficilius curantur, quam in ætatis vigore & ipso flore. Etiam fœminæ rarius viris curantur, debilitantur enim nimis à menstruo fluore.

Intentio curativa *primo* est, ne redeat paroxysmus, vel saltem ipsius tortura blandior sit. *Deinde* si ægrum affligat, ut ipsius vires decurtentur, & mitior fiat. *Tertio*, Hostis planè profligetur, atque ipsius vires extirpentur. Diverti itaque hostis debet machinamentis optimis, ne ad suum propositum redeat, interim præterlabitur anni tempus: primo *Purgantia* prioris generis sunt tormenta bellica, sed hoc malum est, nam vires patientis exhauriuntur, & hostis fit fortior: ergo tantum lenia sint oportet & blanda, quibus multum pituitæ & acidi sensim egeritur: atque hoc faciendo ab alimento suo semine privatur. Nam si vires exhauriantur, ægri debilitantur, quibus debilitatis, malum diuturnioris est durationis. Et si multum in acidis corporibus purgetur, facile Hypercatharsis expectatur, atque sic in vitæ discrimen ducuntur ægri. Tutius sine purgantibus ac Phlebotomiis restitui solent, hisce enim arietibus corpora facile phthisim, Tabem, Hydropem, &c. incidunt Hydramque secant. Si quis interim velit blandè purgare, saturantia præcedant oportet: inter hæc blanda sunt *pruna*, quibus ob particulas leniter pungentes, intestina sine molestiâ irritantur. Vel præparetur aliquod *Elixir* leniter alvum movens: ex radicibus *Jalappæ*, *Cardamomo*, *Cinamomo*, *Caryophyllis*, *Vino Hispanico*, &c.

Remedium secundum est *Vena Sectio*, quâ doloris paroxysmus pro parte quidem avertitur, sed causa non tollitur. Neque, ut putantur, *Fontanellæ* hic nihil boni conferunt; neque *Setacea*, quæ causam non expellunt.

Sed *Fricationes* linteis calidis mane ac vesperi approbo, quia succi tardigradi hoc modo in fluorem & circulationem ducuntur, ut novi nempe & recentes priorum locum occupent. hoc itaque modo non tantum sanguinis periodus acceleratur, verum particulæ magis ad invicem fricantur: hisce promotis plurimum acidi per diaphoresin expellitur, qua rectè procedente, corpus à tarditate & segnitie liberatur.

Diuretica hic etiam non sine fructu sumuntur, quia per urinæ promotionem, etiam non parum acidi elutriatur; sic etiam visciditates attenuantur & inciduntur. Per urinam nihil melius expellit, quam quidquid aquosum & humidum, ut potus Theæ & Coffeæ nam aqua frigida, ob frigiditatem noceret, præsertim inassuetis verum calor attenuat. Attenuato itaque sanguine, aquosum facilius cum particulis salsis & acidis renum poros permeat: idem lac calidum, aquam habens admixtam, præstat. Præterea quædam reperiuntur Alcalia, quibus sanguinis mixtura dissolvitur, ac superfluum aquosum præcipitatur: sed si aquosum deficiat, tum diureticum sæpe mutatur.

tatur in sudoriferum. Neque *sudorifera* sunt spernenda, quia diaphoresin necessariam promovent. Inter ea principem locum habent *China*, *Salsa Parillà*, *Guajacum*, *Sassaphras*, *Contrajerva*, &c. Porro *Antimonium Diaphoreticum Bezoardicum Minerale*, *Spiritus Cornu Cervi*, *Salis Armoniaci*, *Crocus*, *Cinnabarina* &c. huc referuntur quoque *Antiscorbutica*, ut & *Temperantia*: ne chylus in primis viis acescat ac corrumpatur.

In *Diæta* se abstinendum ab omnibus frigidis, aër domi siccus sit & aromata olens. Cibi sint Eupepti, pariter & polytrophi; acidumque ac pituitam domantes; eorumque incrementum inhibentes. Modicè vina sumantur, ex uvis maturis pressa, & ab omni tartaro mundata. Sorbeatur quotidie Theæ potus aut Coffeæ. Cerevisia sit recens ex optimâ aquâ & binâ parata. Exercitia sint modica, ut & dormire & vigilare: viæ excretrices apertæ serventur: Venusque lusus ne modum superet. Animi pathemata quoque vitanda.

In ipso quoque paroxysmo solamen est adhibendum: itaque dolor est profligandus & intumescentia quæ interdum comitatur. Neque purgantibus, neque venereaium tusionibus curatio est instituenda. Adhibeantur potius diuretica ac temperantia, salia volatilia, antiscorbutica, ut & diaphoretica, &c. sunt præscribenda. Valent hic *Cochlearia*, *Nasturtium Aquaticum*, *Becabunga*, *Trifolium Aquaticum*, *Raphanus Rusticanus* &c. Sic *Elixir Antiscorbuticum* parari potest ex *Aloë*, *Myrrha*, *Croco*, *Spiritu Cochleariæ & Salis Armoniaci*, de quo decem aut viginti guttæ sumi possunt. *Abietum Summitates* hic quoque in usum vocantur. *Martialia* sunt quoque adhibenda, ut & quædam *Antimonialia*. Neque interim *Anodyna* & *Narcotica* sunt obliviscenda; præsertim *Anodynum Nostrum Volatile* & *Pilulæ Angelicæ*. *Fumus Tabaci* nonnullis quoque medela fuit.

Inter externa locum habent *Lumbrici Terrestres*, si ex iis aquâ lotis cum spiritu vini Tinctura trahitur, deinde spiritus destilletur, qui iterum novis lumbricis saturetur, iterumque destilletur, idque sæpius repetatur. Ei admisce deinde *Caphuram*, & parti læsæ applicetur: eo non tantum mitigabitur dolor, sed etiam eradicabitur causa vel ejus loco sume spiritum vini Caphuratum, cum spiritu salis armoniaci. Oleum etiam ex lumbricis fit, nempe lumbrici spiritu vini loti induntur vitro angusti colli, deinde in balsamicis digeruntur, & eo maxima pars in oleum facescet, quo partes affectæ illinuntur. Etiam intus ad unciam semissem cum aromatis præparatum dari potest. Melius est si vivi lumbrici applicentur. Etiam cataplasmata præparari possunt ex stercore vaccino & vermibus. Novi quosdam curatos, solâ illinitione saponis nigri, & aliquot dierum impositione. Sequens item unguentum plurimos sanavit.

Recipe Saponis Veneti, *uncias duas*.
Caphoræ, *drachmam unam*.
Spir. Vini, *quantum sufficit*.
Fiat arte legitimâ unguentum molle.

Si opus sit, nonnihil Opii & Croci addi potest, & si adesset parum Florum salis armoniaci, eo melius. vel.

Accipe Terræ ex quibus tubuli tabacarii conficiuntur, *uncias quatuor.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Croci *drachmam semis.*
Spir. Vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat cataplasma.

Illud parti affectæ applicatur, & eo usque supra illam maneat, donec planè siccum sic; tunc patiens statim levamen sentiet. vel.

Cape Panis Biscocti, *uncias quatuor.*
Mastichis.
Thuris *ana unciam unam.*
Caphoræ, *unciam semis.*
Spir. Vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat Cataplasma.

Membra læsa ponantur aliquando in balneo aquæ calidæ, præsertim si sapo immixtus sit, aut Herbæ aromaticæ incoctæ fuerint, ut sunt *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Folia Thymi*, *Rorismarini*, *Salviæ*, *Chamædryos*, *Flores Camomillæ*, *Sapo Niger*, *Lumbrici Terrestres*, &c. Cataplasmata ex *Cochleariis*, *Becabungâ*, *Nasturtio Aquatico*, &c. brevi juvant. Si adveniant Paralyses, tunc ejusmodi medicamenta una cum scorbuticis sumenda: & externè linimenta fiant ex *Oleo Spicæ*, *Terræ*, *Laterum*, *Gummi Carannæ Euphorbii Destillati*, *Terebinthinæ*, *Spiritibus* &c.

In utraque arthritide curanda, multum operis impendi, tamen ejusmodi medicamina inveni, quæ certissimè illas radicitus extirpant: sed cura non succedit, si malum radices egerit. *Diæta* multum huic curationi contribuit. Novi quosdam, qui Bacchum adorabant quotidie, atque à Dea Podagra vexati, nunquam illud malum habuisse, postquam in monasterio solitariè & abstemiè vivebant. Cibus & potus & omnes bene vivendi leges, si secundum normam dirigantur, nunquam hujus malæ dispositionis erunt causæ. Curatio ferè eodem fieri debet modo ut in lue venereâ, bibendo nempe decocta ex *salsâ parillâ*, *chinâ* &c. sine alio potu, idque ad menses aliquot, præsertim tempore verno & autumnali. Verum si adsint senectus, paralysis, tophi, &c. raro curam admittunt, non desperandum tamen. Accedat hisce decoctis sudatio, quâ multum acidi evaporatur, & quidquid viscidum inciditur. Et si omnia non auscultent, *Salivatio* est instituenda, quæ certam curam promittit, si blandè & sensim instituatur. Alii ex cauteriis, moxâ, &c. ut in Chinâ, Japoniâ, Ægypto, Barbariâ, Indiâ, Laplandiâ &c. multum pollicentur, & remedium fuit tempore Hippocratis notum, tunc erant *fungi* seu *μύκετες* in usu.

Casus de Arthritide Vaga.

CA-

CASUS EX GERMANICO SERMONE TRANSLATUS.

ANte decem annos Arthridide vagâ ſcorbuticâ laboravi idque primum trigeſimo meæ ætatis anno, circa pedes, ſed poſt aliquot annos proſerpſit, ita ut à ſex annis omnes articulos invaſerit à cervice abſque ad extremos pedes: hocque morbo ſingulis trimeſtribus excrucior: maximâ ex parte circa partes inferiores. Dolores in uno membro continuantur ferè ad ſecundum aut tertium diem, poſtea intumeſcit: deinde dolores ulterius vagantur, donec per totum corpus huc, illuc paſſim volvere; ita ut malum quoque extra articulos ſpatiaretur, idque partim in præcordiis, partim in latere ſiniſtro circa coſtas breves, partim in dorſi ſpinâ cum ingenti cruciatu, verbo ad omnem locum ſeſe expandit. Dolores quando per aliquot dies perſeveravere, internum accedit malum, animi defectui ſimile, ſed profligatur ſæpe hauſtu vini frigidiore cum aqua diluti: poſt hæc ſæpe Hæmorrhagiam patior; tunc urina mihi rubicunda, quæ iſchuriæ in modum emingitur non ſine dolore, interim durante paroxyſmo emaciatur caro. Tendines mihi indurantur, & quaſi contracturâ laborantes, ſpaſmo & paralyſi, Tophis tamen planè immunis ſum, quod tamen podagricis fieri ſolet. Quando in cibis, potu, medicamentis aliquid, quod ſanguinem incaleſcit, ſumpſerim, ilico quaſi efferveſcentiam per totum corpus ſentio paroxyſmo imminente, alvus mihi adſtricta, ita ut poſt ſex aut octo dies ſine dejectione decumbam. Extra hanc afflictionem, ventriculus me ad menſam ſollicitat. Poſt tres aut quatuor horas eſt mihi languor quædam in corpore, ſeu gravitas, ita ut omnis appetitus proſternatur, fortè à corrupto chylo. Extra hunc paroxyſmum matutino tempore ut & noctu urina mihi colore inſtar vini albi apparet, aſt circa nonam antemeridianam, imo & poſt meridiem planè rubicunda eſt & ardens, quam mutationem quidam Medici ſignum ſcorbuti eſſe putant: aliquot horis poſt prandium, mihi ingens ſiti & lingua ſicca: atque paulo ante oblitus ſcribere, quod poſt finitos dolores lingua, quatuor vel quinque noctibus ſerie continuâ inſtar aſſeris exiccetur, & poſtea multum viſcidi humoris abraditur; Paroxyſmus plerumque quidem eſt quatuor vel quinque hebdomarum, ſed dolores duos vel tres dies tantum me excruciant; aſt ante aliquot annos vehementiores quam nunc fuerunt, & forte ab acidularum cura mitigati ſunt. Ad pellendum hunc morbum quibus vis remediis uſus ſum, præſertim ſanguinem purificantibus; ſed omnia incaſſum: exinde expertus quod omnia medicamenta calida ac fortia cujuſcunque erant generis mihi valde nocua fuerunt, imo non parum in pejus malum ruebat: ſed & ipſe Theæ potus, ut & ſalia volatilia nocebant, quamvis calorem non excitabant, neque efferveſcentiam ſanguinis. Poſt uſum fontium Schwalbachenſium & . . . . fontis colubrini aliorumque balneorum, quando ſanguinem non accendunt, mediocriter me ſenſi, imo & articulorum robur. Plenam tamen curam Medici non promittunt, quod & ipſe ex variis ſymptomatibus conjicere poſſum, quamdiu inteſtina & præſertim ſanguis

ita

ita sunt calefacta & pituitâ obsessa: quamvis alias natura sim frigidus. Ab anno ferè singulis mensibus & aliquando sæpius admisi scarificationes, sed sanguis extractus nullam habebat sanguinis formam, sed saniosus apparebat: spe adductus ut sanguinem corrigerem, & dolores mitigarem; nunc tamen mihi videtur, quod à scarificationibus dolores hujus mali aliud symptomata ad se traxerint, nam paralysi quadam membra afficiuntur. Hoc modo coactus vestrum consilium rogare.

Porro in prodromo hujus morbi oblitus scribere quod immediatè ante morbum; in somno gravia & horrida mihi, insomnia oboriantur, præsertim de piscibus & aquis: cerebrum quippe morbis producendis multum contribuere potest, idque magis, quia ante in aure sinistro susurrum animi adverterim.

HIc Habetis Casum Viri Nobilissimi Cancellarii Nassovici, cujus nomen tum hic, tum in aliis Casibus sæpe reticeo: quoniam nemo vix in publicis scriptis vult publicatum habere; quæ mihi privatim communicavit.

Quis non videt virum hunc non tantum esse scorbuticum, sed & Arthritide Vaga laborantem: Sanguinem pituitosis humoribus esse non tantum refertum, sed & acidis, liquet ex symptomatibus. Ex sanguinis effervescentiis, ut dicit, seu phlogogi quæ acidulis moderabatur, ut ægrotantibus nostris fit à julepis, acidis: hinc sitis, incalescentiæ, dolores Hæmorrhagia, insomnia: ast profligato acido, dolorum quies: & acido fluente ad stomachum, cessabant torturæ & appetitus iterum accrescebant. &c. Præscripsi ei piiulas ex gummi ammoniaco, assa fœtida, vitrioli martis acidum temperantibus & similibus: à quibus se melius semper habuit, quamvis planè nunquam restitutus, quia ab acutis acidis particulis tendines maxime erant corrupti, ita ut fibræ motibus obeundis ineptæ evaserant, quæ neque herbis, neque verbis restitui poterant.

CAPUT XIX.

DE SPASMO, TETANO, OPISTHOTONO, EMPROSTHOTONO, LUMBAGINE ET MUSCULORUM TREMORE.

Spasmus. SPASMUS est tendinum quædam, cum interjecta quiete convulsio, quæ altenatim cessat redeatque: vel est in uno tendine vel cum aliis conjungitur. videtur constare ex convulsione & paralysi, alias pars tantum contraheretur, ac statim relaxaretur. Verum in spasmis membro, celerrimo subtilis materiæ influxu, contracto (quæ materia subtilis antea aliquando à visciditatibus retinebatur) unus & plures non raro musculi contra voluntatem nostram contrahuntur, atque sanguine inplentur; verum illa contractio statim cessat, nisi antagonistæ nullam habeant materiam activam,

vel

vel obſtructæ ſint, paralyſive laborent, atque hinc eſt, quod membrum illud in eo ſtatu manere debeat. Spaſmus itaque ille in uno aut pluribus membris eſſe poteſt, prout diverſi muſculi in hoc ſtatu ſint. Huc referuntur *Spaſmus Cynicus*, *Triſmus*, &c.

Ab Hypercatharſi ſpaſmus, malum imo Lethiferum; nam exinanitis ſpiritibus, & balſamicâ ſanguinis parte, particulæ acriores irritant, & ad ſpaſmum ſollicitant. Idem dicendum ab Helleboro, venenis vel aſſumptis, vel ab animalium morſibus, ictibus, vulneribus, ſanguinis nimiâ profuſione, nimiâ ſeminis ejectione, &c. ſic convulſio, necdum eruptis puſtulis, in Variolis, mortem ſæpe prænunciat: hinc abſtinetur à Venæ ſectionibus, & purgationibus, ne Diaphoreſis & particularum acriorum effluxum, inhibeatur. **Spaſmus Cynicus, Triſmus.**

Quoad *Indicationem* & *Curationem*, vix aliquid certi, propter varias differentias, dici poteſt, hinc meritò *Herculeus Morbus* appellari meretur, difficile enim curatur. Inter remedia præcipua ſunt ſudorifera modica: præſertim ex decocto *Saſſaphras*, *Guajaco*, *Radicibus Angelicæ*, *Herbarum Salviæ*, *Betonicæ*, *Roriſmarini*, *Seminis Carui*, &c. omnes enim decoctiones ex *Salſâ Parillâ* &c. acidum & viſcidum domant, atque fluiditatem ſanguini inducunt & inter ea minorem non habent locum quæ conſtant ex ſpiritibus ſalinis volatilibus cum aromatis deſtillatis. Ut *ſal volatile oleoſum noſtrum antiſcorbuticum*, *Spiritus cornu cervi*, *ſalis armoniaci*, &c. ſequens mixtum matutino etiam tempore uſui veniat. ut

Recipe Fol. diptamni cretici,
Oculor Cancri;
Coralli Rubri,
Salis Abſinthii, *ana drachmas duas.*
Croci,
Caſtorei, *ana drachmam ſemis.*
Flor. Salis Armoniaci, *drachmam unam & ſemis.*
Olei Caryophyllorum, *guttas viginti.*
Tinct. Gummi Ammoniaci, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Conditum.

Porro Linimenta fiant ex *oleo lumbricorum*, *Lauri*, *Caſtorei*, *Vulpis*, *Ceræ*, *Terebinthinæ*, *Roriſmarini*, *Spicæ*, *Succini*, *Unguento Martiato*, *Nervino* &c. Cavendum à frigore, acidis & ſalſis alimentis.

TETANUS eſt convulſio ſive Tenſio aliquod tempus permanens. Atque ea eſt in unâ tantum parte, aut per univerſum corpus; quæ iterum triplex eſt, *prima* qua corpus æqualiter rigidum evadit, ut in Tetano. *Altera* eſt convulſio cervicis & reliqui corporis verſus anteriora, ita ut mentum pectori applicetur & femora ventri, cum rigore, aliquandiu hanc inſolitam figuram retinens: eaque dicitur EMPROSTHOTONOS. *Tertia*, eſt TETANUS ſive tenſio aut convulſio cervicis & ſpinæ dorſi verſus poſteriora, contractis ſurſum pedibus, cum rigore aliquandiu perſeverante; & **Tetanus, Opiſthotonos, Emproſthotonos.**

Lumbago. vocatur OPISTHOTONOS. Huc quoque LUMBAGO ferè referri potest, quæ est dolor in musculis lumborum à lue scorbutica obsessis, ita ut æger sese recto situ tenere non possit.

Musculorum tremor. *Causa* sæpe est paralysis quorundam musculorum; quibus relaxatis antagonistæ sese nimium movent; & pars illis intermedia, quæ in æquilibrio manere debebat, ad se trahunt. Vel quod fibræ motrices à tenacibus humoribus obstructæ, aptæ non sint, ut musculum inflent atque extendant; adeo ut materia inflans, cum nequeat eas permeare per alium ramum nervosum in antagonistam ruat, illamque plus solitò moveat. Scorbuticis sæpe illud symptoma contingit: per se sæpe evanescit, sed aliquando redit.

Sudorem leniter moventia hic præstant: ut & *Scorbutica* ex *Chalybe*, *Tartaro vitriolato*, *acidum temperantia* & viscidum incidentia. Externè *Nervina* quædam præscribi possunt ex *unguento Martiato*, *de lateribus* &c. Porro hic omnia conveniunt quæ de spasmo diximus.

TREMOR MUSCULORUM in quo musculi alternatis vicibus leniter sursum ac deorsum trahuntur. Est itaque species levis convulsionis. Loco tantum differt: sæpe enim est in hoc vel illo membro, in musculis brachii, pedum, faciei, cordis &c. vel universim per totum corpus, & in omnibus musculis extenditur.

Hoc fit, quando spiritus animales particulas quasdam viscosas sibi admixtas habent, & nervos æqualiter irradiare nequeunt; vel quod ejusmodi materia in ipsis musculosis & tendinosis fibris sit sparsa, quas etiam spiritus debito modo permeare non valent, verum in illas moleculas continuò insilientes, reflectuntur, atque hinc *Tremor*. Eodem ferè modo, ac si ex cantharo angusti colli vinum velis effundere, continuò reflectitur liquor versus interiora, quia ob angustiam liberè exire nequit. Causæ externæ sunt nimius veneris usus, quotidiana crapula, senectus, Paralysis, frigus, argentum vivum &c. Morbus hic quamvis per se non periculosus, comitatur tamen ægrum ad vitam usque, & facile in paralysin aut apoplexiam vertitur.

Quidquid succorum in corpore est, attenuari debet ut bene fluat & moveatur. Medicamenta constent ex salibus fixis & volatilibus, quæ non tantum acidum temperant, verum quidquid incrassatum in fluorum ducant. Huic rei inserviunt decocta ex *Salsâ Parillâ* & *Chinâ*: accedunt quoque chalybeata: deinde spiritus salini volatiles ex cornu cervino, sale armoniaco cum vel sine aromatis. Deinde corallia, testæ, perlæ, oculi cancri, ovorum cortices &c. Fricationes multum possunt, præsertim si malum in externis hæreat musculis: fiant quoque illinitiones oleis & aquis penetrantibus. Reliqua curatio sit eodem modo ut in Paralysi.

Spasmo correpti post mortem cadaveris inspectio. *Ebrius per totam noctem humo decumbens, spasmo seu opisthotono corripiebatur, adeo ut versus posteriora rigidus & incurvus permanserit. Nihil deglutire potuit; vox, tanquam ex cryptis subterraneis, horribilis; visus erat torvus. Post sævissimos hujusmodi spasmos quarto die obiit.*

Vi-

VIſcera thoracis & abdominis ſatis integra & ſana. Cerebri ventriculi viſcido & fætenti humore, coloris lutei, vitello ovi ſimili diſtenti erant. Vaſa ſanguinea meningem utramque perreptantia, ſanguine turgebant.

Temulenti iſtius ſucci in ſanguine exiſtentes, à terræ frigore condenſati ſunt; procul dubio à vino non tantum, ſed ab aere æſtivo etiam incaluit. Novimus omnia corpora calore æſtuantia, ſi repentè infrigidantur, morbis corripi: hic ſpectat *Aphor. 17. ſect. v. Frigidum convulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles invehit.* Sic quoque *Celſus ait*: *Frigus modo nervorum diſtentionem, modo rigorem infert; illud* σπασμὸς, *hoc* τέτανος *græcè nominatur* ita *Magnus Alexander* cum in algidiſſimum flumen exiliiſſet; in vitæ periculum tractus fuit.

Succi illi ſi à currendo ſubſiſtant, particulis ſuis Heterogeneis nervoſum genus pungunt, unde Spaſmi & convulſiones. Opiſthotonos, eſt tetanus, ſive tenſio muſculorum cervicis verſus poſteriora. Supinus decubuit, unde & muſculi poſteriores prius tetano affecti. Ex convulſionibus & ſpasmis œſophagi nihil deglutire quibat: ob eandem cauſam erat vox horribilis, oculi torvi &c.

Quod ſucci erant coagulati, liquet ex inſpecto cerebro, quod humore fœtenti, & decolore madebat: ab eo enim & cerebri membranæ & nervorum origo non parum lædebantur.

FINIS.



STEPH. BLANCARDI
INSTITUTIONES
CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superædificatæ;

ET

OBSERVATIONIBUS

Selectissimis Adornatæ.

Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit.

M. T. *Cicero*, orat. III.

An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios Medicos, qui Morbis, alios qui vulneribus, alios, qui oculis Mederentur?

Cicero in Epiſt. V. ad ſerv. Sulpitium inquit:

Neque imitare malos Medicos, qui in alienis Morbis, profitentur tenere ſe Medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt.

STEPH. BLANCARDI INSTITUTIONES CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superædificatæ.

PARS PRIMA.

De Instrumentis Chirurgicis.

CAPUT I.

DE CHIRURGIÆ DEFINITIONE EJUSQUE PARTIBUS.



HIRURGIA est ars, quâ corporis humani mala conformatio manu aut instrumentis, & optimis remediis, quantum possibile est, restituitur. Chirurgiæ definitio.

OBJECTUM Chirurgiæ consistit in curatione morborum externorum; qui sextuplices sunt. *Primo*, consistit in malâ partium *Figuratione*. *Secundo*, in *Abundantiâ* aut *defectu* partium. *Tertio*, in *Magnitudine* aut *Parvitate*. *Quarto*, in Cavitatum *Angustiâ* aut *dilatatione*. *Quinto*, in *prava superficiei* constitutione. *Sexto*, in *malâ partium locatione*. Objectum. Quotuplex

CHIRURGIÆ PARTES quintuplices sunt. *Primo*, SYNTHESIS, ut id, quod separatum est, conjungatur. *Secundo*, ut quod præter sanitatem & bonam conformationem conjunctum est, separetur, & dicitur. DIÆRESIS. *Tertio*, quod compressum aut contortum est, corrigatur & dicitur DIORTHOSIS. *Quarto*, ut superfluum auferatur, estque EXÆRESIS. *Quinto*, quod deficit, suppleatur: sive ANAPLEROSIS. Partes.

Synthesis itaque est, quando partes contra debitum sanitatis ordinem separatæ, conjunguntur: ut in vulneribus, ulceribus, ossium fracturis: huc Synthesis.

spectant

ſpectant deligationes: quæ requirunt faſciationes, faſcias, Splenia, ferulas, laqueos, atque deligatæ partis debitam collocationem.

Remedia Chirurgica, ad partes ſeparatas conjungendas, pertinent ad oſſa vel ad carnem aliaſque partes molles.

Oſſium Conjunctio fit, quando fracta conjunguntur aut luxata reponuntur.

Conjunctio oſſium fractorum ac luxatorum perficitur extenſione, repoſitione, membri deligati confirmatione, ac debitâ collocatione.

Conjunctio partium mollium contra ſanitatem ſeparatarum, fit vel ſine partium diviſione, vel cum ſolutione continui.

Sine ſolutione fit in Herniis inteſtini aut uteri prolapſu.

Cum ſolutione, ut in vulneribus, ulceribus &c.

Ars Chirurgica ſeparans, quæ cum vel contra bonam conformationem conjuncta ſunt, duplex eſt, nempe *ſectio* & *uſtio*.

Sectio. *Diæreſis* ſive *ſectio* ſpectat ad partes molles vel duras. In duris ut in oſſibus peragitur, raſione, limatione, terebratione, ſerratione, &c. Ad molles partes pertinent vaſorum ſanguiferorum ut & apoſtematum apertio; fonticulorum ſectio; frænuli Diſſolutio; Perforatio aurium, podicis, penis, vaginæ &c. coalitorum. Cucurbitularum applicatio, Varicum ac Aneuriſmatum exſectio; Paracentheſis abdominis & Thoracis; Hyſterotomia; Lithotomia; Hydrocephali apertio; Laryngotomia; Cataractarum depoſitio; Setacea, Veſicatoria, &c.

Uſtio. Partibus mollibus æque ac duris communis eſt *uſtio*: quæ fit cauteriis candentibus, aut corroſivis: atque hoc modo fonticuli, &c. fiunt: huc pertinent cucurbitulæ quoque cum flammâ, quando dicitur aliquid velle attrahere.

Diorthroſis. *Diorthoſis* Oſſa compreſſa & curva emendat; depreſſum cranium aut ſternum attrahit; huc quoque ſpectant narium oſſa depreſſa & colliſa; membra contorta ac contracta &c.

Exæreſis. *Exæreſis* eſt ſuperflua auferre, ut quod ſclopeto, lapſu, punctione, &c. corpori introductum eſt, ut globuli plumbei, cultri, feſtucæ, &c. vel quando quid in faucibus, œſophago, laryngi, auribus, naribus, &c. intromiſſum ſit. Vel quando ſecundum ſanitatis τάξιν aliquid in corpore creverit, ut fœtus in prægnantibus, urina, &c. vel contra communem ordinem, ut Verrucæ, Clavi, Ganglia, Excreſcentiæ, Tophi, &c. Extirpatio membri Cancro, Sphacelo, &c. obſeſſi, &c.

Anapleroſis. *Anapleroſis* deficientia ſupplet: atque huc pertinent membra curta & mutilatia, ut naſi, oculorum, labiorum, &c. læſorum atque decurtorum, quod ſæpe per cutim ac carnem excreſcentem ſuppleri ſolet. Porro quando faſciatione ac frictione debitum alimentum in partes emaciatas introducitur.

CA-

Caput II.

DE INSTRUMENTIS CHIRURGICIS.

ANte quam ulterius rem Chirurgicam explicamus, necesse erit prius de INSTRUMENTIS, quibus Operationes peraguntur, mentionem facere: itaque primo de *Cultris* erit sermo. Cultri diversæ sunt speciei, ut *Spatha Celsi*, *Culter Rasorius*, *Syringotomi*, *Scalpelli Falcati*, *Scalpelli Ancipites*, *Lanceola*, *Scolopomachæria*, *Cæli*, &c.

SPATHA CELSI est culter anceps, Rasorio cultro non dissimilis, cum dorso lato, sed in extremitate in unam cuspidem desinens. Hoc Capitis cutis in modum crucis aut trianguli inciditur & dilatatur; eodem quoque Thoracis Paracenthesis in Empyemate instituitur. Spatha celsi.

CULTER RECTUS sive RASORIUS, ab una tantum parte incidit, & usum solummodo habet, quando subjectarum partium non est habenda ratio, exempli gratia, quando cutis ad cranium usque est incidenda; in aperiendis gummatibus supra tibias aliaque loca, etiam usum habet quando utraque acies lædere potest, ut si fœtus mortuus in utero dissecandus sit, aut excrescentiæ in uteri vaginâ extirpandæ veniunt. Culter Rasorius.

SCOLOPOMACHAERIA sive GALLINAGINES cuspidem habent paulo incurvatam. Inserviunt thoracis vulneribus dilatandis; dein abscessibus aperiendis. *Aquapendens* commendat ea in abdominis Paracenthesi: in cuspide globulus argenteus esse potest, ne Thoracis aut abdominis contenta viscera lædantur. Scolopomachæria.

Ejus quoque sortis sunt *Scalpelli*, quibus fistulæ inciduntur, verum non curvati, sed paulo breviores ac latiores.

Alii adhuc habentur *scalpelli parvi*, ex parte cavâ scindentes, sed dorso obtuso: hisce incisio fit, ideo SCALPELLI INCISORII vocantur: iisque abscessus aperiuntur, atque parvæ incisiones fiunt. Usum quoque habent in deducendo, à cranio, pericranio, atque oculi pterygio. Scalpelli incisorii.

Alii habentur ANCIPITES, in cuspide myrti foliis similes, qui cancrosis mammis abscindendis inserviunt. Ancipites

Alii insuper curvi sunt SYRINGOTOMI dicti quibus fistulæ inciduntur, quorum interior facies acuta est, sed dorsum retusum. Quorum prima species in fine incidit, necessaria in fistulis unum foramen habentibus, in fine perforandis, & postea interstitium inter utrumque foramen incidendum. In fine globulus est ex cerâ albâ, ut absque omni obstaculo ad fistularum fundum pervenire possint. Syringotomi.

Altera species in fine ex alterâ extremitate obtusa est cum globulo chalybeo lævigato, hisce totus ductus fistularum penetrantium inciditur.

Ejusdem ferè figuræ sunt *Syringotomi*, quibus vulnera abdominis dilatantur, ut intestina prolapsa, & flatibus turgida in debitum locum reponantur. In extremitate majorem habent globulum quam priores, ne scilicet introducti viscera lædant.

Lancetta. LANCEOLA cultellus est in rectum exporrectus anceps & cuspidatus, hoc aperiuntur venæ & arteriæ; partibus gangræna obsessis scarificandis quoque inservit; hoc quoque aperiuntur concretiones podicis, urethræ, vaginæ, oris, palpebrarum, aurium, &c. fonticulis incidendis etiam utilis est. Nunc alia adhuc species cuditur, quæ lanceolæ gallicæ nuncupantur

Scalpellus falcatus. SCALPELLUS FALCATUS figuram habet falcis; usum habet in extirpando membro, quo caro ab omni parte inciditur. De cæteris scalpellis & cultris inspice χειροπλοκλω *sive Armamentarium*, *Corn. van Solingen*, *Fabr. Hildanum*, aliosque Authores.

Serra. SERRA est instrumentum corruptis ossibus serrandis inserviens, postquam molles partes fuerunt circumcisæ: ejusmodi serris scriniarii quoque utuntur, ut & eboris tornatores: figuras vide apud *Hildanum*, *Paræum* &c.

Serra Versatilis. Describit *Scultetus* in Armamentario SERRAM VERSATILEM cum duobus tympanis dentatis: cujus usus est intercidere duorum vel trium foraminum, modiolis factorum, interstitia, sed usum nunc temporis in Belgio non habet.

Recta. Habentur insuper *serrrula rectæ*, quibus interstitia foraminum modiolis in cranio factorum intercidunt, fissuras non penetrantes, ut & cariem &c. amovent, abradunt. Vide *Paræum*, *Scultetum*, &c.

Falcata. Apud *Galenum* aliosque Authores instrumenta varia habentur ad radendum & scalpendum, verum quia apud nos in usu non sunt, necesse non erit inutiles curiositates hic recensere.

Habentur quoque, quæ *falcis figuram* repræsentant, quas vide apud G. H. *Ryf* in suo tractatu Chirurgico.

Modiolus Trepanum Mas. MODIOLUS sive Trepanum duplex est, *Mas* & *Fœmina*. Constat MAS ex optimo chalybe, estque instrumentum teres, oblongum, intus cavum & in imâ parte serræ instar dentatum, quod Belgis dicitur *de Kroon*. In medio habet stylum seu clavum paulo ipso modiolo altiorem, ut in principio circumvolutiones cranio à pericranio &c. denudato, firmiter insistat, ne scilicet ad latera abscedat. Modiolo huic adaptatur in superiori parte instrumentum chalybeatum crucis ferè figuram habens, figurâ ut T. Romanum, sed alii utuntur instrumento etiam ferreo instar versatilis manubrii terebræ fabri lignarii, quod cruce melius est; operatio crucis enim tardius peragitur. *Modioli* illi sunt duplices, vel tantum instar vulgaris serræ dentatæ; vel ex optimo chalybe limati & cælati, quorum dentes rigidiores & firmiores sunt, quare minus franguntur.

FOEMINA viro in omnibus partibus simillima, præter quod intus clavum non habeat, & usum habet, quando à mare vestigium circulare serratum fit, tunc enim fœmina eo tutius circumagitur: ideo mares conficiuntur ut clavus imponi & extrahi possit, atque sic mas fit fœmina & fœmina mas.

Triformem adhuc describit *Scultetus Terebram*. Verum quia apud nos usum non habet, eam non describemus; curiosi ipsum authorem potius inspiciant.

STY-

STYLUS, quo setacea fiunt cultellus est anceps, oblongus, cuspidatus & minimè latus: sed ejus loco lanceolâ nunc utuntur. Alii adhuc habentur styli longi, cuspidati & rotundi, quibus aurium lobulus perforatur, ad gestandos annulos. Styli.

ACUS etiam diversæ figuræ magnitudinis, & usus sunt, ut rotundæ, triangulares, planæ, falcatæ, &c. Hæ omnes sarciendæ cuti, ablationi pterygii, Cataractæ remotioni, atque mammarum extirpationi, &c. inserviunt, de quibus postea, suo loco latius. Acus.

FORCIPES sunt instrumenta ad aliquid comprehendum, aut extrahendum. Inter illa habentur varia ut *forceps cum rostro psittacino*, *corvino*, *gruino*, *anatino*: *Pelicanus*: *Specula oris*, *matricis*: *Acantabolus*, *Volsella*, *dentifrangulus*; *forcipes curvæ ad evellendos polypos*, *forceps anserina*, *forceps incisoria*, &c. Forcipes

FORCIPES CUM ROSTRO PSITTACINOO diversâ figurâ apud authores delineantur. *Sculteti* usum habent in fracturis aut fissuris cranii quando ossis festuca aut assula, aut frustulum, quod meninges irritat, compungit, aut deprimit, est removendum. Ast *Paræi* tantum evellendis dentibus accommodantur. Cum Rostro Psittacino.

CORVINA FORCEPS, etiam utilis est ad ossium aut dentium fragmenta extrahenda. Hisce olim venas solebant comprehendere in extirpationibus membrorum; sed species conficiuntur nunc cum cochleis, ad calculos extrahendos: Consule *Paræum*. Corvino.

FORCIPES GRUINAE longæ sunt, tenues, & dentatæ; hisce spinæ, festucæ, grandines, & globuli plumbei &c. extrahuntur. Eæque sunt curvæ aut rectæ. *Volsellæ* loco etiam inservire possunt. Quædam intus cavæ sunt instar rostri anatini. Gruino.

ACANTABOLUS, VOLSELLA ac FORCIPES GRUINAE omnes sunt dentatæ; hisce spinæ extrahuntur, globuli plumbei, festucæ &c. quarum quædam curvæ sunt, quædam vero rectæ. Acantabolus, Volsella.

Simpliciorem modum exhibet Cl. Vir. *C. Stalpart van der Wiel* alicujus militis, qui ob ingentem famen una cum jusculo frustum osseum devoraverat, quod OEsophago inhærebat, illudque extraxit filo crasso, quo Hypocausta suspenduntur: ambas nempe ejus fili extremitates diducebat, medium bis terve circum volvebat, ita ut altera pars est rotunda; hanc partem OEsophago intrudebat, atque officulùm feliciter ipse extraxit..

ROSTRUM ANATINUM forceps est cum duplici in fine Cochleari, quâ calculi & globuli comprehenduntur. Sunt etiam quædam curvæ & in fine latæ, & ab internâ parte inæquales, ut calculus certius per vulnus vesicæ ducatur. Etiam polypis evellendis inserviunt. Rostrum anatinum.

FORCIPES AD SETACEA IN NUCHA PARANDA aut foramina in auribus instituendæ, anterius planæ sunt cum foramine annulari; hisce cutis nuchæ apprehenditur, ut per foramen illud stylus cum filis sericis aut setis trahatur: verum hic loci usus hujus instrumenti evanuit, Forcipes ad setacea.

nuit, quia cutis satis facile, si necesse sit, attrahi potest; atque perforari.

PELICANI sunt etiam non unius figuræ, quibusdam enim festucas aliaque è vulneribus extrahunt: aliæ iterum dentatæ, evellendis dentibus molaribus, sunt: Vide *Paræum*.

Speculum Oris. SPECULUM ORIS etiam forceps est, cujus altera pars instar spathæ est, & altera instar furcæ in fine duos globulos habentis, quarum quædam cum cochleâ sunt, quædam vero non: etiam reperiuntur quarum extremitates planæ sunt, sed tamen in acumen desinentes, ut eo facilius intra dentium interstitia insinuari possint: aliquando etiam dentatæ sunt, ne facile extra interstitia labantur.

Matricis. SPECULUM MATRICIS forcipum species est qua uteri vagina dilatatur, ut tumores, exulcerationes eo melius conspiciantur, vel fœtus mortuus extrahatur. Vide *Scultetum*.

Forceps incisoria. FORCIPES INCISORIAE unius etiam speciei non sunt; habentur enim magnæ & parvæ, ad extirpandos digitos, manus, pedes, oris caruncuIas, &c. similes sunt fabrorum forcipibus, præter quod Chirurgicæ scindant, aciemque habeant.

Forcipes adhuc inveniuntur curvæ, intrinsecus concavæ, quibus polypi è naribus trahuntur.

Huc quoque pertinent quibus globuli sclopetorum eximuntur; sunt figurâ longâ, in extremitate duo Cochlearia habentes, & dentes globulos comprehendentes.

Oculi Speculum. Apud *Hildanum*, *Guillemeau*, aliosque OCULI reperitur SPECULUM, aut *palpebrarum dilatatorium* utile quando aliquid peregrinum est amoliendum, Staphyloma sanandum, aut ungula removenda.

Insuper *specula aurium* habentur ad aurium meatum dilatandum, quando aliquid peregrinum inhæret.

Forfices. Etiam FORFICES varias sortiuntur species, sunt enim rectæ, curvæ, magnæ, parvæ, graciles, latæ, &c. Verum quia Chirurgi contenti sunt forfice longâ & cuspidatâ, de cæteris mentionem non facturus: eadem cutis & caro corrupta abscinditur. Huc quoque spectant forcipes incisoriæ.

Cœli. COELI species etiam satis notæ sunt, inserviunt enim amputandis digitis, manibus, pedibus &c.

Cauteria. CAUTERIA diversâ sunt magnitudine & figurâ, ut rotunda, plana, quadrata, dentata, magna, parva, concava, hyperbolica &c. quorum figuræ apud Authores conspiciuntur; usum habent in fistulis & fontanellis inurendis; ossium cariem impediunt, & sanguinem sistunt in extirpando membro.

Elevatoria. VECTES sive ELEVATORIA diverse quoque speciei sunt & magnitudinis, quorum quædam dentata, alia plana, aut obtusa, cum vel sine lenticulâ in extremitate, hisce ossiculum trepano separatum elevatur: alia sunt in modum forcipis alterâ extremitate curvâ & intus dentatâ, alterâ vero rectâ: hisce frustula serrando seu trepano decisa eximuntur.

Huc

Huc quoque pertinet TRIPLOIS, ea utimur in cranio adeo depresso, ut à superioribus elevari non possit. Vide *Scultetum*. Triplois

RASPATORIA instrumenta sunt diversæ speciei & figuræ, in extremitate scindentia, scalpentia, sæpe instar cœli sunt, alia curva, rotunda, semilunaria, prout ossa exigunt, quæ scalpuntur. Usum habent in ossium carie, quæ ad partem sanam deraduntur, vel quando frustula quædam decidere minantur. Raspatoria

Huc quoque spectant COCHLEARIA quibus globuli sclopetorum eximuntur, illa sunt instar forcipis cum duobus cochlearibus in extremitate, quibus globulus aut calculi, si facile eximi possint, comprehenduntur. Cochlearia

Alia sunt oblonga, & intus concava, quorum quædam dentata sunt, alia vero non.

Alia insuper species est fistulæ adinstar & in extremitatibus in modum duorum cochlearium, in medio cochlea est seu terebra, qua globuli educuntur. Fistulæ.

Non dissimili etiam sunt formâ CANNULÆ seu FISTULÆ, & differunt quoque substantiâ, nam conficiuntur ex Auro, Argento, chalybe aut Plumbo. Ex Auro, Argento aut chalybe conficiuntur pro Laryngotomiâ, quæ planæ sunt, & respirationi servandæ per rimulam Bronchi annulis seu laryngis inflictam intruduntur. Illæ, ne fistulam pulmonalem incidant, aut tussim pariant, in extremitate, quæ extra rimam manet, annulum, alam seu pileum habent: in altera extremitate vero plurima foraminula sunt, ut aëri concedatur ingressus & egressus satis patulus. Caunulæ seu fistulæ.

Quibus abdominis paracenthesis instituitur, mediocrem habent longitudinem, in extremitate cuspidem rotundam vel cuspidis lanceolæ in modum acuminatam, in fine foramen per quod aqua è ventre in cannulam fluit. Vide *Barbetti* Chirurgiam uti & *Mangeti* notas. Cannula pileata.

Ex cupro aut argento etiam conficiuntur CATHETERES, qui meatui urinario ad calculum explorandum, & urinam suppressam emittendam immittuntur. Quidam nunc ex corio parantur, argento aut cute anguillæ & dicuntur *flexiles*. Flexilem vide fig. 2. TAB. VIII. A. A. foramen B, à quo urina recipirur. Embolum C. C. quo extracto, urina depromitur. Catheteres.

Cannulæ plumbeæ inserviunt fistulis, vulneribus, ulceribus &c. arte vel alias factis, intrudendis, ut materia purulenta aut saniosa sensim educatur. Cannulæ plumbeæ.

Ad Extrahendum fœtum mortuum describit *Scultetus* CATENAM cum duobus UNCIS, in extremitatibus singulis: verum eam in Praxin ducere tutum non est, ipse enim uterus facile læderetur; ast si fœtus, &c. nonnnihil extra uterum pendeant, in usum vocari possent. Unci.

Paræus instrumentum habet furcam acutam & curvam referens, sed ob eandem rationem idem quoque periculosum judico: non absimilem furcam repræsentat *J. Guillemeau*, sed cuspidibus retusis: ea tutius uti possumus. *Paræus* quoque uncos habet retusos & minimè acutos, quibus operatio etiam sine læsione peragitur. Huc quoque pertinet *hamus*, sive stylus acutus & incurvatus: aliud instrumentum habet *Mauriceau* quod vocat TIRE-TESTE

 sive

five *Capitis extractor*, quod mirè laudat: sunt & alia, quibus tentant caput fœtus demortui comprehendere, & vocatur GRYPHUS, qui tamen ab omnibus non probatur. non improbarem huic operi forcipes ex solido chalybe factas.

Gryphus.

Glossocomium sive AmbeHippocratis.

Sequitur GLOSSOCOMIUM, sive AMBE HIPPOCRATIS figuram habet instar gamma Γ Græcorum, pes ejus sive basis tripes est, cui columna perpendiculariter insistit, quæ in superiori parte per clavum infixam habet alam *Spatham* dictam, quæ versatilis est in columna. Inservit brachio luxato restituendo, sed nunc temporis ut olim in usu non est, quia modi faciliores sunt inventi.

Scalæ.

Apnd *Oribasium*, uliosque Authores variæ inveniuntur SCALÆ, quædam cum cochleis & trochleis, & aliæ cum aliis machinamentis: atque illis apud veteres restituebantur luxati humeri, genua, tali, &c.

Scamna.

SCAMNA *Hippocratis*, *Nilei*, *Fabritii ab Aquapendentes* &c. una cum Cochleis & Trochleis, quæ etiam luxationibus restituendis inserviebant. De quibus *Oribasium* aliosque consule.

Arculæ seu capsulæ.

CANALES, ARCULÆ, & CAPSULÆ sunt in quibus brachium, femur aut crus luxatum vel fractum reponitur. Constant ex levi ligno, ex corio vel ex charta crassa & rigida &c. in hisce membra in continuâ quiete servantur.

Thoraces.

THORACES sunt instrumenta ex levi ferro & Bombyce intus vestita, quæ usum habent apud eos, qui sunt gibbi aut corpus habent obliquè crescens: etiam fiunt vulgari mulierum more cum balænis crassis, inter quas interdum laminæ ferreæ intersuuntur.

Capsulæ ad Contracturas.

CAPSULÆ COCHLEATÆ AD CONTRACTURAS, constant ex capsulâ ferreâ, cochleâ, fibulis, corio, &c. ut brachia contracta aut crura sensim sensimque restituantur: diversam quoque referunt figuram pro parte cui applicari solent.

Siphones.

SIPHONES etiam varii sunt magnitudine, figurâ & materiâ differentes. Stannei habentur uncias viginti aut triginta continentes, qui enematum injectioni inserviunt, habentes cannulam tenuem siphoni applicandam, & podici accommodandam. Olim & adhuc in quibusdam locis cannulam hanc vesicæ porcinæ applicant, & hac enema immittunt. Alii huic Siphoni non rectam cannulam, ut solet accommodant, sed incurvatam, ut ipsi clysterem ano injiciant. Fieri etiam possunt ex anserinis aut olorinis intestinis aut coriareis, quibus nosmetipsos accommodare facile possumus. Consule de hisce *R. de Graaf.* alii minores fiunt, ex stanno, cupro, aut ebore, quibus in urethram, vesicam, aures, matricem, sinus fistulosos, ulcera &c. liquor conveniens immittitur.

Cucurbitulæ.

CUCURBITULÆ sive VENTOSÆ, vascula sunt ventricosa & ferè pyriformia ex cupro, vitro aut cornu confecta, quæ etiam ex stanno, ligno, argilla &c. fieri possunt; eorumque defectu, capimus tantum poculum vitreum, calicem, ollulam, &c. vitrea omnibus præstant, quia ob diaphaneitatem sanguinem effluentem dimetimur. Figura ferè pyriformis est, verum depressior, & vel cum stupâ accensa partibus applicatur, vel suguntur, & tunc-

& tunc fiunt ex cornu, in extremitate foramen habente: tumque facies eadem ferè eſt ac cornuum quibus mulierculæ farcimina farcire ſolent. Magnitudine etiam differunt, pro rerum exigentiâ: præſtant quæ ſunt collo obtongo, quia, ut dicunt, melius trahunt. Ex cornubus hic loci uſum non habent, ſed in Ægypto, Teſte *Prosp. Alpino*, aliisque locis in uſu ſunt; in loco acuminato foramen habent, per quod ab aliquo aër exſugitur, atque ſic eliciunt ſanguinem: inter hæc numerari poſſunt cucurbitæ illæ, quibus per cannulam vitream mulierculæ ex propriis mammillis lac ſugunt; habentque formam alembici deſtillatorii: ſed idem etiam faciunt fiſtulâ tabacariâ. Vel defectu ejusmodi cucurbitularum, vitra ventricoſa oblongo collo calidè applicant, atque ſic vitro frigefacto ſequitur lac. Cucurbitulæ apponuntur cuti cum ſcarificatione vel ſine, & tunc dicuntur *cæcæ*, nam ſcarificando elicitur ſanguis, ſed cæcis olim putabant ſanguinem peccantem poſſe revelli.

BRACHERIA, AMMATA ſive CINGULA pro re natâ diverſimodè fiunt. Conſuuntur ex Linteo bombycino, corio, ferro aut cupro. In Herniis inguinalibus & omentalibus cinguli inſtar circum lumbos fibulis cinguntur, ut nempe locus herniâ affectus ſtrictè comprimatur & claudatur. Figuram habent diverſam, prout Hernia eſt in omento aut in hoc aut illo inguine. In Herniis quidam faſciis tantum utuntur; ſed ſi fuerit magni momenti, tunc ad bracheria confugiunt. Alia adhuc ſunt, quibus Hernia umbilicalis, ne extumeſcat, moderatur, ex duabus laminis & plectro intermedio, ne ſcilicet reſpiratio lædatur: atque ita ſunt diversâ figurâ pro diverſa herniæ ſpecie. Bracheria.

FASCIÆ apud nos ex linteo veteri, molli, puro & ſine ſuturis nodoſis fiunt. Forma, longitudo & latitudo diverſa eſt. Differunt forma, quædam enim ſunt convolutæ, longæ, & inæqualiter latæ; aliæ in tres aut quatuor partes ſciſſæ: aliæ invicem ſunt conſutæ, ex diverſis faſciis conſtantes. Porro longæ ſunt aut breves; ita quoque latiores magis aut minus. Sic ſimplices ſunt aut duplices: ſimplices ſunt æquales aut inæquales; ſimplices æquales unicum tantum habent caput; aliæ plura habent. Inſerviunt membris fractis, ſauciatis, ulceratis aut luxatis firmandis, roborandis, calefaciendis & ab externis injuriis defendendis. Nomina ſortiuntur varia, ut ſunt *Faſcia umbilicalis*, *ani*, *uteri*, *cancer*, *ad fonticulos*, *Soſtrati vinculum*, *Arcia*, *Cataphracta*, *funda*, *Faſcia ſacculata*, &c. Faſciæ.

LAQUEI ad deligationem quoque pertinent. *Laqueus* tale eſt vinculum, quod manu aut pondere tractum, ſe contrahit: & pertinet ad partium fractarum aut luxatarum extenſionem, & debitam repoſitionem: ut & ad vinculum pro vaſis ſanguiferis. Differunt variè, nominaque plerumque habent ab inventoribus, qui ob uſum, ſimilitudinem, figuram, modum aut effectum iis varias dederunt denominationes. De quibus inſpice *Oribaſium*. Laquei.

SPLENIA, PLUMACEOLI aut PLAGULÆ, ferè Synonima ſunt. Fiunt ex linteo veteri, quod bis, ter, quater aut pluries duplicatur, vulnerique aut ulceri applicatur. Formâ quoque differunt, nempe latitudine, longitudine, craſſitie &c. partem affectam roborant, comprimunt, æqualem Splenia, Plumaceoli, plagulæ.

lem reddunt, vel pus effluxens imbibunt. Interdum Splenia applicantur ficca, vel si res exigat in liquore appropriato prius madefacta.

Ferulæ. Ad deligationem quoque spectant FERULÆ, præsertim in ossibus fractis aut luxatis: suntque asserculi ex ligno levi & tenui, ex quo capsulæ fiunt; vel ejus loco sumunt chartam crassam & rigidam, aut balænam, cortices arborum, corium, &c. nomen habet ab herba *Ferula* dicta, cujus cortex olim in Græciâ, aliisque locis in hunc usum asservabatur. Usum habet una cum fasciis partem fractam ita firmare, ut immota maneat, donec ossa iterum per callum coaluerint. Atque hoc breviter satis de instrumentis: Latius memet quidem extendissem, sed quoniam ab *Oribasio*, *Hildano*, *Aquapendente*, *Sculteto*, *Guillemeau*, &c. satis superque delineata inveniuntur, ad hos Authores lectorem mitto.

Torcular. In membris extirpandis nunc temporis inventum est imstrumentum quod dicitur *Torcular*, Gallis *un Tournequet*; hoc utimur ut vasa sanguinea comprimantur, ne sanguis effluat: Deinde ut parti extirpandæ torpor seu insensibilitas inducatur. Vide fig. 3. Tab. VIII.

A. A. est chorda, quæ membro accommodari debet circa C. B.B. duo bacilli, quibus chorda constringintur.



STEPH.

STEPH. BLANCARDI INSTITUTIONES CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superstructæ.

PARS SECUNDA.

De Operationibus Chirurgicis.

I. CAPUT.

DE VENÆ SECTIONE, SIVE PHLEBOTOMIA.

VENÆ SECTIO sive PHLEBOTOMIA, quamvis aliquando in extenuatis, debilibus & gravidis periculosa sit, nihilominus tamen apud veteres admodum familiaris fuit, multamque utilitatem habuit in curandis morbis. Numerari potest inter omnium prima medicamina, quæ ferè omnibus nationibus innotuere. Verum Chinenses ac Japonenses, Laplandi, & sine dubio plures nationes, à sanguinis missione abstinent, imo abhorrent. Dicunt enim sanguinis incalescentiam nimiam, ipsiusve vires emissione non magis temperari, quam calor ferventis aquæ moderatur, si ab ea pars detrahatur, & non potius calorem illum frigidis aut tepidis, temperetur ac infringatur. Deinde dicunt morbum sanguinis sectione potius diminui, quam curari, hoc est, diminuendo vires morbi, quod corpus ex abundantiâ immixtâ sanguini opprimat, ita ut sanguinis diminutione malum diminutum invalescere nequeat. De Hac materiâ videnda sunt scripta *Andreæ Cleyer* & *Gulielmi Ten Rhijne*, Doctores in Indiâ Orientali. Nunc temporis plurimi abusum videntes, à venæ sectione absque necessitate institutâ, vel plus, quam decet, repetitâ, non sine ratione sese abstinent; imo & illi, qui olim continuo sanguinem inutiliter fundebant, nos non lento gradu sequuntur, quantum possunt missionem evitant. Nihilominus tamen, propter usum necessarium in quibusdam casibus, modum incidendi venam describam.

Venæsectio sive phlebotomia.

Non utuntur chinenses &c.

Quid. Nihil aliud eſt, quam venarum apertio, quâ ſanguinis ſufficiens quantitas, ad morborum levamen, detrahitur.

Inqnibus morbis neceſſaria. *Veneſectio* inter remedia maxima numeratur: eſt enim medicamentum, quod valde debilitat, & non temerè eſt adhibendum, niſi in denegatâ ſubitò ſanguinis circulatione, intolerabili dolore, aut maniis. Et quamvis narium Hæmorrhagiæ, aliæque ſanguinis eruptiones nos videntur docere, neceſſe eſſe exitu, nihilominus tamen aliis remediis eas tutius ſiſti poſſunt, quibus vires conſervantur.

Prætenſa neceſſitas. Venæ ſectionis utilitas eſt, ut ferunt, ut ſanguis ſuperfluus & abundans detrahatur, verum illud nunquam probatum: quod ſanguinem abundare nobis videtur, exinde eſt, quod vaſa ſanguifera, ob ſanguinem craſſum & per vaſcula minima ire impotentem, enormiter tumeant, atque ſic plethora apparere videtur: tument enim quia citius per vaſa majora arteriarum incedere poteſt, quam per arteriolas minimas; hinc ſubſiſtentia circa cor; & quoniam plus ſanguinis remanet in venis, quam à corde recipitur, eſt quod venæ plus debitò turgeant; hinc ob diutinam moram incaleſcit alcali cum acido, & moleſtus corpori infertur calor, quaſi febrilis. Alii detrahunt ventilationis & refrigerationis gratia: verum qui ſcripta mea perlegit, ſatis intelliget, ſanguinem non indigere refrigeratione.

In quibus caſibus inſtitui debet. Ideoque ſolum tantum uſum habet ſanguinis miſſio in terrore &c. ne ſanguinis curſus ceſſet, quod alias ſæpe ſolitum, quia anomalia motuum vaſibus & ſuccis accedit. Vel quando ſanguis verſus quasdam capitis partes ſurſum ac deorſum circumduci nequeat, neceſſario, ut preſſio illa, contra obſtructionem exiſtens, evitetur, nonnihil ſanguinis eſt depromendum. Item, in dolore intolerabili, uti in pleuritide, &c. tum ſanguis, ne comprimat partem nimis affectam, minuendus, nam minorem copiam, ut antea minus comprimet, atque ſic dolor tollitur. Phlebotomiâ tamen nunquam ſanatur morbus, ſed ſymptomata diminuuntur, quæ aliquando graviſſima eſſe poſſunt: hinc non temere eſt inſtituenda, uti plerisque mos eſt, ſed tantum neceſſitate ſummopere exigente. Quoniam enim magni morbi, ut peſtis & febres peſtilentiales absque ſanguinis depletione curantur, cur itaque parvi morbi abſque eâ curari non poſſent, ſi excipias ſymptomata, quæ curſum ſanguinis requirunt debiliorem.

Qui locus eligendus. Parum porro refert ex quâ venâ aut latere ſanguis depromitur: quippe quia omnes venæ ac arteriæ mutuum habent commercium, communionem & familiaritatem, tam æquè bene ex hac venâ quam per illam depletur. Quando conſultum ſit, ut cuiquam phlebotomia inſtituatur, locus qui à ſymptomate affligitur, eligatur. Magnus fuit error eorum qui opinionem fovebant, quasdam venas in brachio communionem ſpecialem habuiſſe cum viſceribus internis, ut cum Hepate, Liene &c. ubi Anatomici vident, omnes brachii venas in ſuperiori parte communem habere truncum: itaque ſine ratione venæ iſtæ vocantur *Cephalica*, *Hepatica*, *Splenica*, *Matricalis*, &c. quia illæ majorem non habent cum iſtis partibus communicationem, quam aliæ.

In Eligendâ venâ, maxima & magis tumens, conveniet in eo loco in quo

quo sectio est instituenda: illæ enim minoribus facilius incidi possunt & tutius. Curandum ne adsit arteria, nervus aut tendo, quia ex imprudentiâ quorundam non tantum adversa & lethalia symptomata sunt visa, sed ipsa mors. *Cephalica*, ita dicta, quidem tutissima; deinde *Basilica*, ast *Mediana* periculosissima, quia ei aliquando arteria, nervus aut bicipitis musculi vel alterius tendo subjacet. Quæ vena incidenda in brachio.

Quæ circa caput inciduntur venæ, sunt *Jugulares*, *Temporales*, *Frontis*, *sublinguales*. In brachio, ut dictum, *Cephalica*, *Basilica*, *Mediana*. In manu Salvatella & *Cephalica*. In Pede *Ischiatica*. Cæteræ venæ sectioni minus sunt aptæ, quia minus manifestæ & vix propter exilitatem, &c. apparent. Circa caput, & pedem, &c.

Incidendi modus hic esto. Æger (postquam nonnihil cibi aut potus, roborandi gratiâ, sumpserit) ponendus est in loco satis luminoso; vel si locus nimis sit obscurus, Candela est adhibenda. Tunc à Chirurgo locus, in quo incisio institui debet, fortiter manu est fricandus, ut nempe vena tumeat; deinde vinculum injicit supra venam incidendam, ut sanguinis versus superiora cursus sistatur, & vena magis tumescat, tunc sanguis in manu contentus sursum est fricando urgendus. Porro manu sinistra Patientis manum arripit, cum dextra est secanda, ast si sinistra, manu quidem sinistrâ est prehendenda: deinde pollicem paulo infra venam aperiendam ponit, ne vena locum mutet. Deinde ungue cutim, supra venam incidendam, jacentem notat, ut pro incisione indicium sit. Accipe tunc lanceolam intra pollicem & indicem digitum, & tantum ipsius cuspis denudetur, quantum circum circa intrudi debeat: porro manus cum reliquis tribus digitis innitatur parti, cui sectio instituitur: & ad majorem firmitudinem & securitatem ponendi sunt anteriores duo digiti, quibus lanceolam sumpsisti, supra pollicem alteræ manus, ut tremor evitetur, & in hoc casu præstat junior aliquando Chirurgus seniore. Incisio tunc est in longitudinem facienda, hoc est secundum ductum venarum & fibrarum, ab inferiori parte versus superiorem: foramen sit modicum, neque nimis magnum, neque nimis parvum. Propter magnitudinem sæpe venæ rumpuntur, & sanguinem emittunt: & ob angustiam sanguis depleri sæpe nequit. Sanguis si non exsiliat, vinculum nonnihil est relaxandum, patiens manu interum baculum aut pedum volvat. Sanguine tunc modicâ quantitate detracto, in promptu sit spongia aquâ frigidâ irrigata, quâ vulnus mundatur; deinde vulneris labia ad invicem ducuntur, & splenium imponitur ex duplicato linteo, linteo carpto, pilei frusto, pulvere astringente, &c. cui vinculum crucis in modum adhibetur, ita ut crux supra vulnusculum accommodetur, atque tunc patiens tota die brachium quietum servet oportet. Modus incidendi.

Si pes est secandus, supra pedem vinculum injiciatur, postquam pes aliquando in aquâ calidâ steterit, ut venæ eo magis tumeant: calore enim sanguis magis tumeant: calore enim sanguis magis expanditur. Et tunc eodem ut antea modo proceditur; & quemadmodum præscribo de Saphænâ in pede, idem, dico, faciendum in manu de Salvatella: sed cavendum ne secentur tendines. Sectio in pede & manu.

Ut & circa caput.

Si instituatur circa collum, linguam, frontem, tempora, &c. collum est vinculo constringendum, seu cavendum ne æger suffocetur.

Jugulares plerumque brutis aperiuntur, ideo absque periculo in hominibus institui potest. Magnæ enim sunt & sine arteriâ aut nervo adjacente.

Quantum sanguinis detrahendum.

Sanguis nimiâ non est detrahendus quantitate: urgente necessitate jubeo tantum sex uncias detrahi; satius est peccare in minori quam in largiori quantitate: imprudentes nonnunquam Chirurgi in hoc casu sunt; sæpe mihi contigit tantum jussisse sex uncias detrahi, cum quidem libras duas emulxissent: ideoque optimè Clar. *Barbette* commendavit, ut conficerentur vascula quædam stannea, in quibus stata mensura signis sit designata. In hisce Angli prudentiores sunt, qui ab ipsis Doctoribus tunduntur.

Instrumenta.

Instrumenta huic operi necessaria, hocce tempore *Lanceola* est, cultellulus anceps & cuspidatus. Olim scalpello venam solebant ferire, sed periculo iste modus non vacat. Nunc temporis in Gallia alia invenerunt Phlebotoma.

Quid si deliquium oriatur.

Ne ægri post phlebotomiam institutam in deliquium incidant, nonnihil aquæ frigidæ in ore tenendum. Alii cinamomi aquam sumunt, sed vinum, præsertim, rhenanum præstantius est aspergendæ faciei, quia magis refocillat. Neque minoris laudis meretur aquæ frigidæ aspersio.

Si dubitandum sit, num sectio foret repetenda; & ne apertura siccetur, pauco olei vulnusculum inflictum, est illinendum, atque tunc, exigente necessitate, vena facile aperiri potest, ut sectionis periculum effugiamus.

Observatio.

Quamvis vena satis occlusa videatur, non raro tamen sanguis magno impetu profluit, & quidem nulla alia de causa, quam quod ligaturam & linteum comprimens imponerent prius, & post brachium incurvarent, nam hoc pacto labia vulnusculi, quæ prius in extenso brachio erant conjuncta, iterum à se invicem dehiscunt, dum brachium inflectitur.

Sæpe lividitas aliqua post venæ sectionem, reliqua reperitur, cujus causa non raro est malus usus aceti, quo linteum comprimens, quod aperturæ venæ imponitur, imbuitur, quandoquidem satis manifestum est sanguinem ab acido coagulari, lividumque ac nigricantem colorem nancisci.

II. Caput.

DE ARTERIOTOMIA.

Arteriotomia quid.

ARTERIOTOMIA, est Arteriarum sectio, quæ quia à plurimis plurimum laudatur in morbis curandis, necessarium duxi, illam hic describere, quamvis à me aliisque orthodoxis Medicis nunquam præscribi solet.

Modus incidendi apud veteres.

Olim solebant arteriam, si magna non erat, transversim abscindere. Ast si majores ac vehementer pulsabant, tutius erat illas supra locum incidendum vinculis firmiter constringere, atque sic intra illas ligaturas arteriam abscindebant: verum quia modus est summè crudelis, planè è foro Medico ejicitur.

Nunc temporis ea inciditur ut vena, idque tuto. Idem de Ægyptiis testatur

ſtatur *Proſper Alpinus*, qui venas & arterias eodem modo ſecurè aperiunt. Locus incidendi vulgaris ſupra temporalem muſculum eſt. Cujus ope plurimi morbi cephalici, ut narrant, curantur; idem teſtatur M. A. *Severinus*, qui eam ferè in omni occaſione vedetur inſtituiſſe.

Horatius Augenius multum periculi prævidere in hac operatione videtur; idque non ſine ratione, malè enim ſi inſtituatur, impoſſibile eſt ſectionem illam ad votum ſuccedere. Aſt ſi à Peritis Chirurgis dextrè aperiatur, benè ſe res habet, nam *Severinus*, *Paræus*, *Guiliemeau*, *P. Alpinus*, *Hercules Saxonia*, *Fienus*, *Tulpius*, *J. van Meekren* &c. de illâ operatione teſtes oculati ſunt. vel ipſi arteriotomiam propriâ manu inſtituerunt. Si inferior tunica non penitus ſit diſſecta; aut faſciæ & ſplenia &c. nimis maturè ſolvantur, tunicæ necdum conglutinatæ ſunt, hinc ob continuam pulſationem dilatantur, eodem ferè modo ac Herniæ peritonæi, hinc facilè ſubſequuntur *Aneuriſmata*.

Cum itaque *Arteria Crotaphites* ſit aperienda, æger luci claræ opponatur, & locus qui ab arteriâ pulſatur atramento eſt notandus. Deinde vinculum collo injiciunt ſtrictum; alii thoracem ſub axillis vinculo conſtringunt, ut nempe arteriæ intumeſcant: deinde caput immobile tenetur, & arteria atramento notata lancettâ cuſpidatâ & quam acuta pertunditur. Verum vincula illa ad rem nihil facere poſſunt, quoniam potius venæ intumeſcerent quam arteriæ & revera iſte modus contra leges periodi ſanguinis inſtituitur. Satis eſt locum ab arteriâ pulſum obſervaſſe. **Modus noſter aperiendi.**

Cavendum ne ſanguis nimium citius evacuetur. Sanguine ad lubitum detracto, vulnus ſpongiâ madidâ detergetur, deinde pollice & digitis vulneris labia ad invicem comprimuntur, & emplaſtro aſtringente ac ſiccante tegitur ex. gr.

Rec. *Thuris*, *Boli Armenæ*, ana drachmas duas. *Sanguinis Draconis*, *Maſtichis*, ana drachmam unam & ſemis. *Albuminis Ovi*, quantum ſufficit. Miſce fiat Emplaſtrum.

Vel Emplaſtrum tantum applicatur ex ſimplici *Maſtiche*, magnitudine unius ſolidi, quod calidè vulneri eſt applicandum. **Deligatio.**

Deinde faſcia octo aut novem ulnarum longitudine ſumitur, & latitudine ferè quatuor digitorum transverſorum, cum duobus capitibus; hujus medium primo applicatur, ſpleniis applicatis, & deinde nodo contorto vulnus firmatur, ita ut ſemper nodi vulneratam partem tangant: ita ne ſplenia poſſint de loco moveri. Vide deligandi modum ulterius apud *Jobum à Meek'ren*. Singulis ternis diebus faſcia ſolvenda eſt, ſed emplaſtrum non eſt removendum. Si faſcias nolis; faciliorem docebo methodum: ſume ſudarium, quo caput tege, deinde duas anteriores accipe extremitates, quas ad cervicem duces ibique firmiter nodabis. Deinde poſteriores duc anterius verſus collum ac ibi quoque idem fac: ſic habebis vinculum ſatis ſtrictum, inſervit etiam in capitis vulneribus deligandis. Atque ſic curatio intra octo vel novem dies planiſſimè abſolvitur.

Aliis in locis arteriæ quoque tunduntur, ut in fronte, pone aures, in occipite, manibus pedibusque, &c.

Caput III.

DE CUCURBITULIS ET SCARIFICATIONE.

Cucurbitulæ. QUid Cucurbitulæ fint, in præcedentibus, cum nobis de Inftrumentis erat dictio, egimus; itaque de earum applicatione ac ufum tantum reliquum eft agendum.

Applicantur cum vel fine igne; cum vel fine fcarificatione.

Applicandi modus. Cum fcarificatione fi apponantur, prius cutis, fecundum oris cucurbitulæ capacitatem cultello mediante digiti ungue feu talitro folet fcarificari. Deinde nonnihil ftupæ Candelâ aut Sulphurato accenditur, accenfam cucurbitæ inditur, locoque fcarificato applicatur. Stupâ extinctâ, aër deinde intus conclufus & refrigeratus, minori exigit fpatio, quam cum erat calidus & à calore expanfus; porro vacuum dari in cucurbitulâ quoniam impoffibile eft, fanguis loco vacui à preffione externi aëris in cucurbitulam pellitur; atque hoc modo fanguis emulgetur. Loco accenfæ ftupæ, cucurbitulæ aquâ tantum calidâ immerguntur. Vide quid fupra diximus.

Cucurbitulæ cæcæ. Quæ abfque ferro inftituuntur eodem modo fiunt, fed cutis non fcarificatur, & vocatur *Cucurbitula Cæca.*

Quæ fugunturex cornu aut ligno. Quæ fine igne apponuntur, ex cornu funt aut ligno, quibus in cufpide foraminulum eft: illa videri poffunt apud *Profp. Alpinum*, *Hildanum*, *Paræum*: de iifdem *Celfus*, *Oribafius*, *I. T. Minadous*, *Tulpius*, aliique mentionem faciunt. Illæ cuti applicatur, & aër per foraminulum illud fugendo extrahitur, deinde corio cufpidi appenfo ope linguæ clauditur, pofteaque digito occludunt.

Si Magnæ cucurbitulæ funt applicandæ, tunc nummo aut laminâ plumbeâ locus fcarificatus tegitur, ne ab accenfâ ftupâ cutis lædatur. Alii terebinthinâ cucurbitulæ fundum liniunt, ut ftupa fufpendatur. Vel tranfverfim bacillulum imponunt, qui candelæ fruftulum flammantem fuftinet.

Locus applicandi. *Locus* fcarificandi, cucurbitafque applicandi, eft, ubi multum eft carnis. Cavendum ne admoveantur locis ubi arteriæ magnæ funt, nervi aut tendines, vidi enim ex læfis à fcarificatione per talitrum fœminrm mori. In macilentis tam altè infligi non debet, hoc eft cutis folummodo debet compungi, aft minimè fubjectæ partes.

Ufus. Ufus idem eft ac in phlebotomiâ, verum earum applicatio majori cum cruciatu fit. Cæfis cucurbitulis utuntur *Hildanus* aliique, cum infantium cranium tenellulum fuerit impreffum, ut iterum loco priftino reftituatur.

Ure-

Urethra cum fuerit à calculo minori obſtructa (præſertim in pueris) cœcâ quoque cucurbitulâ extrahi ſæpe poteſt: item ut urina in dyſuria hoc modo emulgeatur: ſic quæ per infortunium auri incidêre eadem applicatione, ut ex altis ulceribus pus elutrietur. Porro in morſu canis rabidi, viperarum &c. apprimè conducunt. Item in colica paſſione, Arthritide, Odontalgia, Cephalalgia, membris extenuatis &c. auxilio eſſe queunt, ſi aliis remediis Medela adferri nequeat. Dixit *Hippocrates Mulieri ſi velis menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.* Quia materia, quæ nimium extillat hoc modo divertitur, & motus ſanguinis verſus uterum diminuitur. Porro idem libro de Articulis XLIX. fatur hoc modo: *ſi magnæ cucurbitulæ affligantur, attractionis nimirum gratiâ verticulorum intro repentium, magno hoc mentis errore contingit.* Quia vertebræ vi majori reſtitui debent.

Utilitas quæ ex cucurbitulis ſcarificatis expectatur eadem eſt; quæ ex venarum ſectione, eaque majoris non valoris, neque ita temerè inſtitui debet, uti vulgo ſit.

CAPUT IV.

DE APPLICATIONE HIRUDINUM.

HIRUDINES ſive SANGUISUGAE ſpecies ſunt vermium aquaticorum, interdum longitudine unius digiti, quæ, ut plurimum in aquis turbidis & ſtagnantibus inveniuntur: in capitis extremo foraminulum habent exiguum, ut muſtelis aquaticis (*Lampreijen*) eſt, ex quo tria ſpicula ceu dentuli prodeunt, quibus cutim tam hominum quam brutorum aperiunt, ſanguinemque exugunt. *Hirudines quid.*

Duæ inveniuntur ſpecies, una *non Venenata*: altera *Venenata*, quæ in fœtentibus reperiuntur aquis, cum capitibus craſſis viridibus & lucentibus, eodem modo ac vermes qui in tenebris lucent; porro cum lineis cæruleis ac nigris, quibus corporis accedit ſcabrities: iſtæ inflammationes inducunt, exulcerationes malignas & remedia reſpuentes, inſanabiles ut & febres, imo & ipſam mortem. *Duæ ſpecies.* *Maligna.*

Aſt ſpecies ſincera & non venenata parva eſt, rotunda, mediocri capite, colore fuſco, ventre ſubrubro, ſubviridi, dorſum lineis fulget ex auro flavis. In aquis claris, puris & continuò fluentibus inveniuntur. Sed antequam in uſum vocantur, æſtimant nonnulli melius eſſe, ſi per menſem integrum in lagenâ aquâ purâ plenâ conſerventur; affundendo & renovando ſæpe aquam recentem. Verum enim vero melius ducerem illas, ſi ex aquâ melioris notæ captæ ſint, applicare, quam diu conſervatas. Sum in ea opinione has potius diutinâ conſervatione deteriores fieri, itaque malim recentes, modo non habeant ominoſa illa ſigna: aqua enim in lagenis ſtagnat, neque animalculis hiſce debitus eſt motus, alimentum ac loci *Non maligna.*

mutatio

mutatio, &c. Verum quoniam ſemper recentes habere nequeant, ex neceſſitate illas applicare cogimur, quæ in lagenis per integrum annum conſervari poſſunt: modo aliquando nonnihil hanis in nutrimentum detur. mirum dictu, ante aliquot annos illas etiam habui, & vitrum, quo inerant glacie una cum hiſce animalculis hieme ſtringebatur. Degelatâ poſtea glacie, ecce adhuc ut antea, in vivis erant, qnod mihi mirum videbatur.

Ubi applicari debent. Omnibus corporis partibus applicantur, præſertim ubi venæ ſectio & cucurbitarum applicatio locum habere non poſſunt; uti circa palpebras, naſum, os, labia, gingivas, penem, digitos manuum, pedumque, hæmorrhoides, mulierum pudenda, &c.

Putant hirudinum uſum inventum fuiſſe loco ſcarificationis: Verum potius crederem caſu & fortuitò fuiſſe: adhærent enim natantibus pueris, tibiis &c. quando ſeſe in ejusmodi aquis exponunt, & hinc vero ſimile eſt earum uſum primo in Medicam Artem tranſlatum fuiſſe.

Applicandi modus. Modus ſanguinem ſugendi, hic eſt. Ex aquis ſumptæ parumper ſupra orbem aut tabulam jaceant ut aquam contentam deponant, & plus ſanguinis exugant; deinde locus ſugendus linteamento nonnihil fricatur, donec rubeat, vel ſi cutis fuerit unguentis aut ejuſmodi pinguibus uncta, probè detergenda; Hirudines enim pinguia non ferunt: deinde medium corpus linteamento prætenui comprehenditur, nudis enim manibus tactæ ſugere renunt. Porro illarum caput ponitur ſupra locum ſuctioni deſtinatum. Aſt ſi ſpontè ad ſuctionem non inclinentur, locus lacte irrigatur, aut ſanguine columbæ, vel gallinæ; vel acu aut lanceola cutis compungitur.

Cum ſanguine turgeant, & ſufficiens copia non ſit educta, forficulâ extremum corpus circa caudam aperitur, tunc ſanguis effluit, & ulterius ſugendo procedunt. Cum deciderint, recentes iterum applicantur.

Si ſponte non decidant, abſtrahendæ non ſunt, ne illarum ſpicula in cute remaneant, unde ulcus ferum aliaque ſymptomata. Itaque ſal pulveriſatum capiti inſpergendum aut cineres clavellati, cineres vulgares, ſapo, aloë, &c. tunc ſtatim decidunt.

Sanguis qui poſt ſuctionem adhuc extillat, non eſt ſiſtendus; & alii loco ſucto inſuper cucurbitulam cæcam applicant, ſi locus ſit commodus. Nam ſi venenoſitas quædam fuerit relicta, hoc modo allicitur. Poſtea pars ſucta aqua ſalſâ, Theriacali aut ſpiritu vini lavatur. Et ſi fluxus ſanguinis nimius ſit, tunc linteo uſto, fungo orbiculari linteo cerpto, &c. eſt ſiſtendus.

Facile infantibus, fœminis delicatulis, ubi nonnihil ſanguinis eſt detrahendum, inſtitui poteſt. Uſus idem eſt ac de venæ ſectione & cucurbitulis dictum.

CAPUT. V.

DE LARYNGOTOMIA, SIVE BRONCHOTOMIA.

SÆpe contingit in Anginosis affectibus ægros ferè suffocari, hinc omnibus incassum tentatis, ne planè suffocent ad LARYNGOTOMIAM seu BRONCHOTOMIAM descendendum. Bronchotomia.

Tempus quando institui oportet, est cum vires adhuc satis constent; æger enim si prorsus viribus esset exhaustus, aut ob suffocationem moriatur, tentari non debet. Quando instituenda

Ut operatio itaque instituatur, æger supinus decumbat oportet in dorsum, ita ut caput versus posteriora inclinetur, ut sedendo in sedili chirurgico commode institui possit: atque sic incisio bronchi feliciter fit. Deinde caput à famulo immobile tenetur: læva præhenditur larynx, & incisio latitudine pollicis supra annulum tertium aut quartum, ab inferiori parte recta sursum: incisa hoc modo cutis, digitis ad latera nonnihil deducitur. Hisce peractis cultello eburneo musculi sternohyoidei ab invicem separantur, ut tubus respiratorius in conspectum veniat. Post hæc Lancettâ intra tertium & quartum annulum ligamentosa substantia prudenter transversim inciditur, sed cavendum ne annuli cartilaginei lædantur: educta lanceola, intruditur cannula pileata aut recta variis in locis perforata & plana in ipsum vulnus, quæ conficitur ex ebore, auro, argento, plumbo &c. quæ in vulnere tamdiu remanet, donec æger liberius per os & nares spiritum ducere possit. Exterius oram habeat latam & rotundam ne in fistulam respiratoriam incidat, pejusque malum inducat. Neque admodum altè immitti debet, ut tussis præcaveatur. Porro vulnus defensivo quodam ab omni parte cannulæ obligari oportet, & quotidie renovari, convenit quoque à duobus lateribus cannulam duo vincula habere. Modus.

Quidam nasuti & artis ignari hanc operationem instituere nolunt, quia *Hippocrates* dixit, cartilagines læsas non curari; verum quoniam varia exempla contrarium docent, non est cur cæca Authoritate deviemus. Alii iterum operationem aggredi non audent, idque Hæmorrhagiæ metu, verum quia magna vasa sanguinea hic loci non reperiuntur, nihil timendum est. Neque hic cartilagines dissecantur, sed ligamentum intra annulos consitum, quæ plurimis quoque gaudent fibris carneis, quibus cartilagines systolen & diastolen sustinent. Tuto instituitur.

Ante viginti annos, in tribus canibus, sed diverso tempore, Laryngotomiam instituimus, sed bono cum successu, nam vulnera post paucos dies coaluerunt, & sani evaserunt. Laryngotomiæ successus.

CAPUT VI.

DE EMPYEMATE, PECTORIS HYDROPE ET THORACIS PARACENTHESI.

UNde *Empyematis* & *Hydropis Thoracis* causæ habeant originem, satis superque in Praxi nostrâ docuimus; nempe à ruptione alicujus Apostematis, sive pulmonum sive lateris: vel à ruptione lymphaticorum, aut sanguinis extravasatione.

Empyema. EMPYEMA itaque est puris collectio in thoracis cavitate, ex pleuritide, peripneumoniâ, vomicâ, &c. ortum trahens.

Hydrops pectoris. *Hydrops pectoris* est lymphæ extravasatæ collectio, ex ruptis lymphaticis; vel serosi humoris, post exulcerationem continuo extillantis. Vel loco seri aut lymphæ, sæpe sanguis ex vulneribus aut ruptis vasculis sanguineis ibidem coacervatur.

Quoad *differentiam*. Pus vel simplex collectum est; vel solus sanguis, humores serosos, &c. sibi admixtos habet. Materia pectori contenta vel benè olet vel malè: vel est in utraque pectoris parte, vel in unâ. Aliud recens est, aliud inveteratum.

Signa sunt vel de futuro vel de præsenti. Empyema futurum cognoscitur ex eo quando morbi præcedentes, ut Pleuritis, peripneumonia, vel aliæ pectoris exulcerationes secundum artem curari nequeunt, vel ex medentium negligentiâ aut ignorantiâ neglecti sunt: Pleuritici enim intra quatuordecim dies nullum pus extussientes, sæpe Empyi fiunt. Et si inflammationes tempore debito non cessent, & horrores, febres & gravitas sine magno dolore accedant, instantis, ut plurimum, empyematis signum est.

Collecto jam pure, adest respirandi difficultas; anhelitus fœtens, in pectore gravitas, difficilis pariter ac sicca tussis, febris continua, post sumptum cibum aut circa vesperam exacerbans, copiosus sudor, somnus perparcus, asitia, corporis emaciatio; adsunt interdum malæ rubentes, oculi concavi, ungues incurvati, pedes tumidi, pustulæ supra pectoris regionem, saliva purulenta.

Si pus in alterutro latere sit collectum, cognoscitur id, ex majori pondere, dolore aut colore in hoc aut illo latere, quod æger in hoc aut illud latus decumbendo optimè experietur. Vel pectori linteamentum madidum imponatur, & in ea parte ubi primo siccatur, ibi pus aggestum: item si hoc latus præ altero magis tumeat, certissimum signum est in eo pus recondi.

Signa Hydropis pectoris, eadem ferè ac empyematis sunt: quibus accedit, si æger ab uno latere in aliud inter decumbendum se vertat, aquam fluctuantem & sonitum audiat, quod ob puris sæpe crassitiem non tam facile exauditur. Hisce adjunguntur sitis, emaciatio, facies pallida, Tussis sicca, dyspnœa inter ascendendum, febricula, palpitatio quandoque cordis noctu post primum somnum inquietudo & jactatio, pulsus sæpe adest intermittens & perturbatus, nec non crebra animi deliquia. &c. cætera signa maximâ ex parte eadem sunt.

Pus si quando è pulmonibus sursum expuitur, non est signum mali ominis. Atque illa puris à pulmonibus assumptio hoc modo fieri arbitror. Nempe inflati pulmones thoracis cavitatem implent, si deinde quædam in pulmonis superficie aperturæ sint sive ab exulceratione vel alias, debent propter expansionem hiare, & tunc implentur pure, quod constricto pulmone tandem in bronchia ducitur, quod deinde exspuendo aut mingendo, sed tardè, extra corpus educitur. Sed credo hoc rarissimè fieri, & si exspuatur non ex cavitate thoracis, sed ex ipsis pulmonibus elevatur.

Si quando pus aut alius liquor contentus unicâ vice evacuetur, vacillant vires, & sæpe mors inducitur. Pus si fuerit planè album, impermixtum & sine fœtore, sæpe evadunt ægri. Si post puris eruptionem cesset febris, bonum; verum ea exacerbante, moriuntur. Sputa viridia, cærulea aut spumosa, θανάσιμον. Item quoque, si accedat alvi fluxus. Quibus pectus ob nimiam puris abundantiam elevatur, subitò suffocantur. Si Empyema intra quadraginta dies non expurgetur, in phthisin seu tabem incidunt, & mors tandem insequitur. Quando vires deteruntur, pulmones putrefiunt, febris perseverat, anhelitus difficilis & brevis accedit, cum pulsu debili ac celeri, sudore frigido, deliquiis, &c. Pectoris paracentesis non est tentanda, quia mors in limine est: nam si talis desperatus æger inter operandum animam daret, videretur ac si à vulnere inflicto obiisset verum si omnia è contra fuerint, tutò thorax apetitur. Aperto pectore, si pus album sine odore ingrato & consistentiâ debitâ, Symptomataque quotidie diminuentia, de restitutione dubitandum non est. Ast si fæteat, turbidum, sanguinolentum, &c. sit, spes non erit admodum secunda. Si ferrum puri immissum calorem induat, ac si in igne fuisset, pessimum. Item, si spatula argentea instar auri aut cupri flavi sit, malum: significat enim magnam puri adesse acrimoniam.

Quando nobis Empyematis certa patent signa, Diuretica & Bechica summopere prosunt: & in Pectoris Hydrope Hydragoga; ast si illa incassum tentantur, ad Thoracis Paracenthesin deveniendum. Remedia interna.

Diuretica, *Bechica* & *Hydragoga* in Praxi meâ satis superque sunt descripta. Externè Emplastra & Cataplasmata Emollientia conveniunt, ut pus, quasi, maturetur, verum parvi valoris esse puto.

Porro hisce, ut ferè semper solet, frustra adhibitis; cogimur quam primum ad thoracis apertionem seu παρακέντεσιν devenire. Atque hæc à quibusdam summoperè periculosa judicatur, verum præstantius est dubium adhibere remedium, quam concedere ægrum certè moriturum; &, si in pectore remaneat fistula, melius est minorem pati difficultatem, quam maximam.

Variant Authores de loco incidendo, & triplex constituitur, nempe in osse pectoris, costis, aut inter loca intercostalia. Foramine in pectoris osse perterebrato, per illud puri, lymphæ, aut sanguini debitus non conceditur exitus: Et per ipsas costas apertura ampla esse nequit: imo & pectoris os, & costæ ob spongiosam substantiam levinegotio in cariem inciderent. Ideoque præstantius intercapedines costarum incidere. Locum quidam eligunt inter quartam & quintam costam, secundum Hippocratem. Sed alii locum intra Locus incidendi.

tertiam & quartam sibi optimum ducunt: Verum *Ægineta* vult inter quintam & sextam, alii septimam, verum hoc non sine periculo fit, quia tunc facile diaphragma lædi potest, quod in quibusdam altius, in aliis depressius est: sic pectus quoque gibbosius est in alio, in alio iterum planius; hinc subjecta humana quam maximè variant. Quando nimis altè sectio instituitur, sæpe pulmones &c. lædi possunt. Itaque locus inter costam quintam & sextam sectioni peraptissimus est, quatuor circum circa digitis à sterno; & sex aut septem à dorsi vertebris; nam si velis spinæ esse propinquius, periculum est de majoribus vasis ac nervis lædendis.

Modus hanc operationem instituendi triplex est, nempe *ustione*, *corrosione*, aut *cultro*.

Modus per ustionem. Quod *ustionem* attinet, sunt qui putant cauteria actualia non posse thoracem perforare, sed tantum superficie tenus inurere: ast *Hippocratis* verba hoc modo conscripta sunt; sect. VI. App. 27. *quicumque Empyi aut Hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua universum effluxerit, omnino moriuntur.* Ex hisce verbis non obscure liquet usque in thoracis cavitatem penetrasse cauteria.

Igne aut candenti ferro hoc modo inurendum: primus modus fit per fungos sive μύκητες Hippocrati, qui leniter urunt, quibus locus aperiendus uritur: idem faciunt Ægyptii cum Gossipio & Chinenses cum lanugine Artemisiæ, quam *Moxam* nominant: eschara inusta cultello cuspidato & peracuto tunc facile aperitur.

Per ruptoria. Alter modus cauterisandi est, quando ferrum aliquod acutum vel cultellum cuspidatum & candefactum per cutim & musculos intercostales in thoracis cavitatem adigitur.

Secundus aperiendi modus fit per *Cauteria potentialia*, sive *Ruptoria*, vel cum calce viva & sapone, &c. quando applicantur, locus aperiendus emplastro optimè glutinante contegitur, cui in medio foramen rotundum est, futuræ aperturæ magnitudine respondens: in eo foramine Ruptorium salivâ madidum applicatur, & emplastro quopiam tegitur, tunc post horam unam & alteram locus ille erit mortuus seu sphacelatus, qui tunc cultello acuto aperitur; apertura debet esse ampla alias, nimis citò coalescit.

Per sectionem. *Sectio*, ultimus operandi est modus, qui est facillimus, promptissimus, tutissimus. Loco dissecando atramento notato, lancetta sumitur linteo obvoluta, ea conditione ut tantum remaneat nudum, quantum satis judicatur, ne ex imprudentiâ, internæ lædantur partes. Imo & inter pollicem & digitum indicem ita teneri potest, ut quidquid nudum esse debet, extra digitos remaneat. Quò materia contenta crassior: eo amplior oportet esse vulnus: ideoque in hydrope Thoracis angustior fieri potest.

Quantum puris depromendum. Foramine modis prædictis facto intruditur cannula pileata ex ebore, argento, auro, stanno aut plumbo facta, quâ variis intervallis pus depromi solet. Singulis diebus quatuor aut quinque unciæ sunt solummodo emulgendæ, ne vires subitò collabantur, atque ægri vitam finiant. Vires quoque sunt respiciendæ, ætas, anni tempus, sexus &c. Loco cannulæ melius esset siphonem applicare, cujus ope pus, facile attrahi possit, idque brevi temporis spatio.

Quæ-

Quæritur, quare non liceat omne pus aut aquam unicâ vice depromere? Certè ego hoc nunquam potui percipere. Primo vires non atteruntur, neque in lypothymiam incidunt, neque aliud malum oboritur: uti in nimiâ Sanguinis quidem effusione. Quantum oneris non enititur, quando fœminæ duos, tresve, imo plures fætus, unico partu, pariunt? Refert Clar. *J. Muis* in Obs VIII. Dec. VIII. alicujus fœminæ, cui ex tumore in nucha, unicâ vice octodecim libræ puris profluxerant, sine ullo animi deliquio. Itaque, si vires ferant, partitis vicibus materia non est depromenda, ne morbus retardetur. Cur non liceat unica vice depromere.

Si contenta materia nimium fuerit crassa, & præ crassitie non possit educi, aqua calida per siphonem est immittenda, vel Tinctura Theæ diluta, vel sequens decoctum.

Recipe. *Radicum Plantaginis*, *Consolidæ Majoris* ana uncias duas. *Foliorum Saniculæ*, *Betonicæ*, *Virgæ Aureæ*, *Cardui benedicti*, ana Manipulum unum. *Florum rosarum rubrarum*, Manipulum unum & semis. *Hyperici*, Manipulum semis. *Coquantur ad* uncias triginta *ex vino rubro*. Colaturæ adde *Myrrhæ*, *Aloës*, ana drachmas duas. Misce fiat injectio.

Non tantum illa decoctio materiam attenuat, verum & partes circumjacentes à putredine conservat: hoc tamdiu continuandum, donec omne pus, sanguis aut aqua sit eductum: si contenta non fœteant, tunc injectiones summè necessariæ non sunt, nisi in fine eductionis; ut ulcus detergatur, atque integrum restituatur, imo quidquid viscidum visceribus adhærens blandè abluatur. Interim patiens sequentem sumat potionem.

Rec. *Radicum Rubiæ Tinctorum*, *Charefolii*, ana unciam unam. *Herbarum Tussilaginis*, *Saniculæ*, *Malvæ*, *Chærefolii* ana manipulum unum. *Cicerum Rubrorum*, *Passularum minorum*, ana uncias duas. *Coquantur ex aquâ ad uncias viginti*. *Colaturæ adde oculorum cancri*, drachmas duas. *Misce*.

Vel de sequentibus sumantur quotidie pilulis sex.

Recipe *Oculorum Cancri*, drachmas duas. *Spermatis ceti*, drachmam unam. *Balsami Peruviani*, guttas sex. *Terebinthinæ Venetæ*, quantum sufficit. Misce fiant ex scrupulo quinque.

Idem in pulverem redigi potest, si terebinthina in duritiem coquatur, cui addi potest *croci* scrupulus. Dosis erit unius drachmæ.

In *Diæta* ad roborandum sumatur vinum Hispanicum, Hoglandicum album, mulsum deinde cerevisia Roterodamensis bene defæcata. Cibus sit εὔπεπτος, ex Gallinis, Columbis, Perdicibus, Cuniculis, Passulis Corinthiacis, Petroselino, Chærefolio, Fœniculo, Amygdalis decorticatis, Hordeo, Oriza, Dulci Lacte, Lacte cum Ovis, Ovis Sorbilibus, Biscocto; Pane Triticeo, Percis, Luciis, Porcellis, Carpionibus, Soleis &c. cavendum ab acidis & salsis. Motus corporis sit mediocris. Somnus & vigilia pro more solito. Calor amicus, frigus inimicum; laxa sit alvus, cum *Prunis*, *Mannâ*, *Cassiâ Fistulâ*, &c. ast si omnia spontè fluant, non opus

opus erit alvum sollicitare. Potus Theæ, Lactis dulcis, Chocolatæ, Coffeæ, similesque calidi potus, optimi.

Puris ex papilla per se exantlatio. Nuper Chirurgus .... *Romare*, ex Guinea seu Auriferâ regione veniens, in reditu versus Hollandiam incidit in tussim, fortè & in pleuritim: sed quod mirandum; Empyematicus factus, ei foramen in læva papillâ per se aperuit ex quo quotidie aliquot unciæ fœtidi liquoris erupit; postea corruptis pulmonibus, obiit.

Caput VII.

DE ABDOMINIS PARACENTHESI.

Quando instituitur. Hic omnia recitare quæ ad Hydropum genesin pertinent, minimè necessarium duco, quia in Praxi nostrâ illa materia satis superque pertractata sit: ideoque scopus noster solummodo est non nihil de PARACENTHESI scribere, quæ quamvis morbi causam non tollat, adeoque periculi plena, nihilominus tamen remedium anceps adhibere præstantius est, quam nullum; propterea ipsius operationem hic ponere pernecessariam æstimavi.

Paracenthesis. Raro illud remedium adhibetur, nisi alia medicamina incassum sint tentata: ex hoc sequitur ægros serò nimium ad illud confugere, viribus enim consumptis, visceribusque corruptis, consultum est potius nihil tentare, famæque consulere, quam ægri fata infausta accelerare. Hinc Paracenthesis non tentanda, nisi vigeant adhuc vires, visceraque illæsa sint. Si aqua fuerit intra abdominis musculos, & peritonæum, ut sæpe fit, restitutionis spes affulget, ast si ex vasculis lymphaticis, Hepatis nempe, lienis, aliarumque partium stillet, res est ferè desperanda & eventus mali ominis.

Prognostica. Præter vires imbecilles, ac viscera sana, aliquando partes acu perforatæ, ob caloris defectum, aut aquæ salsæ corrosione facile gangrænam incidunt. 2. Lymphâ depromptâ, vires decressere. 3. Liquorem Hydropicum non raro in vulnus tanta vi impelli, ut quamvis optimè sit obligatum, nihilominus invitis nobis effluat. 4. Et si cannula arctè sit inclusa, ut ab omni parte vulnus arctissimè sit clausa, tunc alimentum excluditur, & brevi gangræna sequitur. 5. Quando, secundum *Celsum*, ferramentis candentibus pluribus in locis venter exulceratur, pauci quidem sanescunt, at plurimi non evadunt: extillante enim acri illo sero, ulcus insanabile sequitur, deinde gangræna & vitæ finis.

In quibus instituenda. Si itaque operationem accingere velis, expectandum non est, donec vires sint deperditæ, ac viscera corrupta. Instituenda est in corporibus non emaciatis, verum quidem quando Hydrops subitò advenerit, neque inveteratus sit, vel quando alia medicamenta incassum sint adhibita: internis enim morbus si auscultet remediis, ad auxilium illud crudele descendendum

dam non eſt. Neque adſit quoque reſpirandi difficultas, neque febris: recens natis aut admodum Junioribus uti & ſenioribus non eſt conſultum ejuſmodi operationem adhibere: habeant potius ætatem intra viginti & quadraginta annos: neque iis vires deficiant.

Locus variis varius eſt. Umbilicus ſi extuberet, in umbilico compunctio eſt inſtituenda; imo & ipſa cutis parum eſt aliquando incidenda, præſertim ſi protuberantia, veſicæ in modum, eſt diaphana, tunc lancetta umbilicus eſt incidendus, & aquâ depromptâ, turundâ ex linteo carpto cum magno capite eſt obturandâ. Aſt ſi umbilicus ſit contractus Operatio eſt omittenda, neque facile inſtitui valet & absque umbilicalium vaſorum læſione vix cannula intruditur: imo & illorum læſio ſæpe lethalis eſt. Porro non protuberante umbilico, in latere ſiniſtro aut dextro, (idem enim eſt, nam Hepar, uti veteres valuere timendum non eſt, quia in Hepatis & peritonæi intercapedine ſatis larga exiſtit copia aquæ) & totidem à lineâ albâ, nam ea & muſculorum tendines ſunt vitandi: Melius quoque eſt paulo altius verſus umbilicum ſectionem inſtituere, declinando tamen muſculi recti transverſos tendines; fit plerumque ad latera muſculi recti, in muſculo obliquè aſcendente. Veterum ſi quando more ſectio inſtituitur, in dextro latere hoc modo fit /, verum in ſiniſtro ſecundum hanc \ lineam. In linea quoque alba ſectio nonnunquam peracta; melius tamen eſt, ſi fieri poſſit, eam vitare, gravia enim ſymptomata exinde non raro ſequuntur. Locus.

Scroto intumeſcente, idque veſperi magis quam mane, tutius eſt idem aperire quam abdomen, præſertim mediante ſetaceo, at laneo filo. Et *Aquapendens* uſtione fieri ſetacea in cruribus, brachiis &c. commendat: non ſuaderem tamen quia ab aquâ ſalſâ ſæpe gangræna &c inducitur.

Locus ubi ſectio eſt inſtituenda, atramento primo notatur, deinde cutis aperitur, & cultellus adigitur, ita tamen ne viſcera lædantur, quod vix fieri poteſt, quoniam intra viſcera & peritonæum aquæ ſufficiens copia eſt; hiſce peractis cannula intruditur ex auro, argento, ebore aliave materiâ confecta: deinde ſingulis, alterniſve diebus; vires enim reſpiciendæ, libræ duæ aut tres ad ſummum depromuntur. Quantitas enim quo minor, eo vires minus conſumuntur. Perparcè quoque depromi non oportet, ſed primâ vice ad libras tres, poſtea ſit quantitas paulo minor, protractâ enim curâ, æger ſæpe deficit. Sectio quomodo peragenda.

Cannula intrudenda ab omni parte polita eſſe oportet, in extremitate externa cum margine lato, ſeu pileo, ne in abdomen decidat. Habeat unius digiti longitudinem; in extremitate nonnihil ſit curva ac rotunda; ne ſit vulnus quoque majus quam ut cannulæ reſpondeat. Poſt hæc in vulnus adigitur & emplaſtrum ſummè glutinans ſuperimponitur, cum linteamentis, &c. Ad deligationem requiſitis; poſt aliquot horas, & tantum aquæ exhauritur, quantum ſupra diximus quod ſingulis diebus fit, donec æger ab aquis liberatus fuerit. Cannula tempore evacuationis ſemper in vulnere maneat, hinc quæ ex auro fiunt, omnium optimæ, quia hiſce vulne-

ris latera minus afficiuntur. Abdomen & cannula ſpongiis, emplaſtris ac linteis complicatis claudantur ac deligentur.

Prædictus modus veteribus magis in uſu fuit quam nobis: muſculi enim perforati nimium intumeſcunt, ac cannulam undique præter modum coarctant, & via pro ſanguine & ſucco nutritio clauditur; hinc gangræna & ſphacelus in propinquo ſunt. Inuſtiones uti & cauſtica ab hodierno uſu planè etiam exulavere; foramina enim hiſce facta præter modum magna fiunt, & certiſſima mortificatio ſequitur. Nunc autem temporis alia innotuit cannula foraminulis pervia, lanceolæ in extremitate figurâ. Inſuper cannula piſtillum ex ligno buxino aut metallo quopiam, in modum ſiphonis, continet. Optimo deinde loco electo, cannulæ cuſpis abdomini intruditur, ei immiſſæ piſtillum eximitur, & tantum depromitur aquæ, quantum judicatur oportere; deinde cannula piſtilli intruſione ilico, ne aqua amplius efluat, clauditur. Omni aquâ evacuatâ, cannula iterum extrahitur, & vulnus linteo carpto, ac glutinante emplaſtro clauditur.

Cannulæ hodiernæ.

Aquâ iterum accreſcente, de novo, perforatio fit in vulnere priori. Verum ſi aqua nobis invitis extillet, cannula brevior intruditur, quæ ſubere clauditur, qua quotidie tantum depromitur, quantum volumus, & iterum clauditur.

Interdum viſcidum quid inteſtinis adhæret, quo cannula obſtruitur & exitus aquæ denegatur, tunc intruditur cannula longioris ſtyli qua illud removetur & liber exitus conceditur.

Sunt qui dicunt hanc operationem multo minori acu poſſe fieri quâ continuo novum foramen perforant, verum aquâ nimium viſcidâ exiſtente, quod ſæpe evenit evacuationem prohiberet. Alii per ſcarificationem illud tentare volunt quod non eſt ſuadendum, niſi in partibus inferioribus inſtituatur. Si aqua præter modum fuerit viſcida, Paracentheſis vix locum habet.

Poſt aquæ evacuationem & ægri curationem, aliquot tempus bracherium geſtet oportet; nam peritonæum perforatum non facile concreſcit, atque hoc modo Hernia evitatur. Inſtrumenta quibus paracentheſis inſtituitur videri poſſunt apud *P. Barbette*, *J. van Meek'ren*, *Mangetum*, *van Solingen* &c.

CAPUT VIII.

DE CATARACTA, ET SUFFUSIONE.

Quid ſuffuſio & cataracta.

CATARACTA incipiens dicitur SUFFUSIO ſive humorum ocularium invicem conquaſſatio. Et perfecta ſeu completa CATARACTA propriè vocatur: quæ inter ſeſe tantum ut magis & minus differunt, nempe maturitate, & tempore. *Suffuſio* itaque nihil aliud eſt, quam obſtructio

alia

aliave læsio in cryſtallini humoris fibrillis incipiens, qua luminis radiis rectà viâ ac pleniſſimè intrare nequeunt; & viſus fit ac ſi culices plurimi ante oculum volabant, & interdum ac ſi viſio aquæ interventu fieret. Aſt *Cataracta* idem eſt affectus ac *ſuffuſio*: differunt tantum tempore: nam quod in ſuffuſione molle erat, illud in cataracta durum eſt inſtar membranæ.

Suffuſio, *Hypochyma*, *Cataracta &c.* &c. iidem ſunt affectus, verum tamen aliquam habent differentiam: nam pro *ſuffuſione* aut *Hypochyma* habetur primo incipiens. Aſt poſt aliquod tempus, lumini præcluditur introitus, ac in oculo aliquid appareat inſtar aquæ ab Arabibus *Aqua* dicitur. Verum materiâ in membranam induratâ, vulgo *Cataracta* appellatur. Colore Cataracta differt: Album enim eſt, cinereum, vitreum, flavum, viride &c. pro humorum ocularium colore. Locus intra pupillam eſt & tunicam corneam, aliquando magis ad hunc vel ad illum locum inclinat; Pupilla quoque vel planè obvelatur vel pro parte. Narrat *Plempius* de Cataractis pone pupillam in humore cryſtallino. Colorum differentia

De *cauſis*, Authorum nullus vix mihi ſatisfacere poteſt: verum quantum ex omnibus obſervationibus mihi colligere eſt, ſequentes dabimus, nempe lachrymando, verberibus, contuſione, caſu, ictu, nimio calore ante focum, ira &c.

Multas quando quis effundit lachrymas, tunc ſæpiſſimè oculi fricantur, præſertim ſi infantes ſint; fricatione porro hac non raro membrana, cryſtallinum humorem continens, rumpitur, aut ſaltem læditur. Hac itaque ruptâ ſenſim ſenſimque nonnihil iſtius in aqueum humorem effunditur; hinc primo ante oculos culices quaſi & feſtucas volare videntur: materia hac poſtea invicem concreſcente, calore (ſive in aqueo humore ſit, vel exterius advenerit) ſenſim concreſcit, & membranæ inſtar cohæret: eodem ferè modo ac ſi ovi albumen aquæ tepidæ inſtilletur, quod pedetentim in aliquam duritiem coagulatur.

Idem pronuncio de cauſis ex caſu, tuſione, verberibus, ictu, &c. ortis. Verum multum circa ignes intenſos verſantibus, idem accidit ſæpe. Nam ab ejuſmodi calore humores in vapores convertuntur, ac majus requirunt, quam antea, ſpatium, & ſic neceſſariò humores erumpunt: vel, quod veri magis ſimile ab igne condenſantur ac coagulantur: atque ſic canaliculi membranæ Cryſtallinæ, ejusve humor obſtruitur. Humor enim iſte textura eſt innumerabilium tenuium ac pellucidorum filamentorum cavitates humorem continent diaphanum, cujus ope luminis radii tranſeunt. Verum hoc humore nimium inſpiſſato aut turbido, canaliculi iſti obſtruuntur, & luminis radii excluduntur.

Ira ac febres ardentes etiam cauſæ eſſe poſſunt, fortaſſe, cum ſanguis nimium fuerit incraſſatus, unde oculorum membranæ facile obſtruuntur, ex craſſo enim ſanguine humores quoque ſequeſtrantur craſſi.

Cauſam plurimi putant eſte pituitam, de cerebro ſtillantem: verum quia ratio de hac re reddenda admodum obſcura eſt, ideoque illam flocci pendeo; tales enim viæ non dantur. Non tamen inficias eo nervi optici obſtruc-

ſtructionem, verum illa ſuffuſio non eſt neque cataracta, ſed *Gutta* vocatur *Serena*. Pituita alias è ſanguine provenieus, facile obſtructionem parit, ideoque cum ex ebrietate ſanguis nobis nimium fuerit incraſſatus ac inſpiſſatus, tam clarè videre non poſſumus, ac quidem poſt aſſumptam theam; hac de cauſâ in principio ſuffuſionis non parum iſtius potum commendo.

In prinicpio ſigna ſunt, quaſi ante oculos muſcæ, culices, pili, reticula &c. volarent ac agitarentur. Interdum res duplex conſpicitur, diverſis quoque coloribus, quia pupilla læſa aliter eſt diſpoſita quam ſana: in principio viſus eſt obſcurus, deinde planè abolitur: oculus lumen magnum aut intenſum calorem non facile fert. Quando oculus fricatur, & pupilla aperitur, cataracta necdum eſt perfecta, verum ſi immobiliter maneat, de cataractæ maturitate non eſt dubitandum. Intra menſes ſex communiter completa eſt, quamvis *Fernelius*, *Riverius*, aliique teſtantur illud unico die fieri poſſe: Verum ſi fuerit notha ſpecies, ad multos annos, antequam matura eſt, extenditur. Si perfectæ ſint, unionem ſæpe referunt.

Prognoſis. Internis aliquando medicamentis ſuffuſio incipiens fugatur, corpora ſi fuerint ſana, & ætas non nimium provecta: aliquos tamen novi, qui in ipſa ſenectute ſanati fuerunt, quod & *vander Voort* notat. Qui necdum cæci ſunt, atque mediocriter vident, illis ſpes eſt, niſi oculi ſint debiles. Poſt acutam febrim, ſive in phrenitide, pleuritide, aut peripneumoniâ vel cephalalgiâ, difficile curantur: uti & cataracta plumbea, nigra, aut flava. Quando planè indurata ſit, non curatur, niſi acu: quamvis viſus ſæpe non reſtituitur, nihilominus tamen melius eſt morbum ancipitem tentare, quam ægrum in cæcitate relinquere. Oculo ſano clauſo, atque cæco fricato, ſi uvea ipſius loco non recedit, ut plurimum nulla ſanationis ſpes affulget. Quo pupillæ minus aperitur, eo majori ſpe æger privatur: quo cataracta proximior membranæ cryſtallinæ, eo pejor, quia vix deponi poteſt abſque hujus tunicæ læſione. Si planè nigra ſit, ſine luminis trajectione neque medicamentis cedit, neque chirurgicâ manu. Poſt annum tertium, quartum & plures, adeo indurata eſt, ut deponi nequeat. Cataractæ duræ, virides, nigræ, flavæ, ut mercurium æmulantes, plerumque non ſanantur. In decrepitis curatio non eſt tentanda. Hæmorrhagia ab acu effluens, periculoſa non eſt, quia per ſe iterum ſiſtitur. Si pone cryſtallinam membranam fuerit, ſanationem quoque non admittit, quia acus eo uſque adigi nequit.

Curatio. *Curatio* duplex eſt, prima medicamentis inſtituitur internis & externis. Altera vero acu. In cataracta incipiente utuntur purgantibus, & cerebrum roborantibus, atque ea conſtare debent ex incidentibus, & attenuantibus particulis, hoc eſt, quæ continent volatile quoddam penetrans ac ſpirituoſum ſal: ut ſunt.

Radices *fœniculi*, *apii*, *Valerianæ*, *chelidoniæ majoris*.
Herbæ, *Euphragiæ*, *chelidoniæ majoris*, *fœniculi*, *Majoranæ*, *rutæ*.
Semen, *fœniculi*, *Sileris montani*, *Carui*.
Spiritus, *Salis armoniaci*, *Matricalis*, *vini*.
Aqua, *Euphragiæ*, *roſarum*, *fœniculi*.

Ca-

Caphora, *aloes*, *alumen*, *Myrrha*, *Vitrum antimonii*, *Crocus orientalis*, *crocus metallorum*, *Saccharum saturni*, *Vitriolum*, *fumus succini*, &c.

Venæ sectiones nihil prodesse possunt in hoc casu, neque purgationes, nisi alia adfuerit causa, quæ lenem catharsin juberet. Emetica, setacea, fonticuli, balnea nullius quoque sunt momenti. Salivatio periculosa quidem, sed in incipiente non penitus exulanda. Succini accensi, per infundibum, fumus ab oculo exceptus, ob acrimoniam penetrantem aliquando institui potest. Potus coffeæ & Theæ præsertim spiritus exhilarant & cerebrum ab omni obnubulatione liberant, hinc non parum opis incipienti adfertur. Neque exigendum est decoctum ex *Guajaco*, *Sassaphras*, *China*, *Salsa Parilla*, *Rorémarino*, *Salvia*, *Betonica*, *Ruta*, *Majorana*, *Lavendula*, *Thymo*, *Euphragia*, &c. Iis enim sanguis multum pituitæ deponit, & maximè inciditur, fluidior redditur, meliusque omnes canaliculos subit: quidquid quoque acidi, expellitur per urinam & diaphoresin, & reliquum obtunditur.

Instilletur oculo quotidie *Spiritus Matricalis*: aut fiat collyrium: ut

Recipe Aquæ Chelidoniæ Majoris, *uncias duas.*
Spir. Salis Armoniaci, *guttas decem.*
Vitri Antimonii, *grana quatuor.*
Caphoræ, *grana sex.*
Misce fiat Collyrium.

Alii utuntur felle piscis Lampetræ (vulgo *Puit-aal*) aut istius jecoris liquore. In Hollandia, non procul à Delphis piscis iste capitur, in paludibus ex quibus cespites eruuntur. Hepar album est, quod pendendo solis radiis exponitur, ut ipsius pinguedo destillet; qua palpebræ solummodo illinuntur: hoc remedio testatur *P. Forestus* plurimos multum auxilii attulisse. *Fonseca* sequentem mixturam laudat:

Recipe Aquæ Chelidoniæ majoris, *uncias sex.*
Croci Metallorum, *drachmam unam.*
Fiat infusio per aliquot dies.

Deinde interdum guttæ quædam oculo instillentur. Sequens *Collyrium Zechius* laudat, nempe,

Accipe Flor. Leucoji, *manipulum unum.*
Sem. Raphani Hortensis, *drachmam unam.*
Gummi Ammoniaci, *drachmam semis.*
Aquæ Fœniculi, *libram unam.*
Misce.

Leniter coquantur, colaturæ, adde

Succi Fœniculi depurati, *unciam unam*.
Balf. Peruviani, *drachmas duas*.
Misce fiat Collyrium.

Gesnerus ad *Fabricium* de cataractæ curatione scribit, per fæcem olei ac omphacii, ex quibus unguentum fiebat.

Hollerius describit aquam, quâ novem annorum cæcum sanavit: ut

Infunde Succi Apii,
Morsus Gallinæ,
Fœniculi,
Salviæ,
Verbenæ,
Pimpinellæ,
Chamædryos,
Rutæ,
Centinodii.
Caryophyllorum.
Farinæ voltailis, *ana unciam unam*.
Piperis Crassiusculè tusi,
Nucis Moschatæ,
Ligni Aloes, *ana drachmas tres*.
Urinæ Puerorum, *partem unam*.
Vini Malvatici, *partem sextam*.

Coquantur, exprimantur & conserventur. Hoc liquore vespertino tempore aliquot guttæ oculo infunduntur.

Remedia qualia sint, oportet, constent ex particulis admodum penetrantibus, interque ea præcipua sunt *Caphura*, *Spiritus & Succus Chelidoniæ Majoris*, *Spiritus Salis armoniaci*, &c. Et si hisce curatio absolvi nequeat, alia non est speranda quam mediante acu: hisce & similibus incassum tentatis, & cataractâ ad maturitatem absolutam perductâ, ad Chirurgicam operationem descendendum.

Antequam operatio instituatur, solent corpus prius purgare sed hoc opus non est, si alvus respondeat. Et, si æger alium morbum interim incurrat, tamdiu expectandum, donec morbus sit expulsus & viresiterum constent, alias oculo gravia imminerent symptomata.

Tempus deponendi cataractam optimum est ver, deinde circa autumnum; idem ferè est; modo aër sit temperatus. Eligitur tempus matutinum circa horam nonam, idque die sereno. Deinde æger in sede Chirurgicâ (vulgo *een Leun-stoel*) ponatur, in quam à parte posteriore inniti potest capite, idque lumine adverso. Deinde sanus oculus bombyce aliave materia molli deli-

deligatur, ne inter operandum sese moveret. Tunc Chirurgus, masticato priprius nonnihil seminis fæniculi, (sed hoc opus non est) ante ægrum sese collocat, verum paulo altius: interim caput ægri ab adstantibus aut ministris immobile teneatur. Dum acus suas aliquoties per subcoactum vulgo filtrum; (*een vilt van een hoed,*) transmittit, ut parum incalescant, jubet ut patiens oculum cæcum versus nasi angulum moveat. Acus debent esse plane & longæ, alii sumunt rotundas: habeant quoque manubria, ad commodiorem præhensionem. Constare debent ex optimo chalybe, nam argenteæ aut aureæ facile hebescunt, & flectuntur. Acus figura.

Terebrando deinde cum agilitate adigatur acus per tunicam albugineam in angulo oculi externo, dimidium ferè straminis distantia à pupillâ, propemodum usque ad medium cataractæ. Si cataracta in oculo fuerit dextro, lævâ manu operandum, sin in sinistro, manu dextrâ: separa deinceps cataractam à superiori parte versus inferiorem, sensim eam deprimendo, donec non amplius renitatur; exime porro acum (si fuerit rotunda) prudenter vertendo, verum non totaliter, nam si cataracta iterum resileat, tunc eadem acu denuò versus oculi angulum minorem est trudenda; vel si possit fieri, est comminuenda. Cavendum interim ne tunica aranea sive crystallina vel aliud quid, quantum fieri potest lædatur. Post hæc acum, eam leniter vertendo, exime.

Hisce peractis, oculus deligandus cum *aquâ rosaceâ*, *ovi albumine*, & *Caphorâ*, qua mixturâ cavetur, ne symptomata adveniant: deligatio alternis diebus fit, vel tertiâ quoque die: interim tamen integer oculus etiam claudendus, quia ambo immobiles manere debent. Deinde patiens in lectum collocatur: ne loquatur oportet, aut cibos manducet, quo enim quietior, eo melius: sit caput nonnihil elevatum. Postea oculus quamvis restitutus & ad videndum aptus, aliquot tamen septimanas clausum habeat, deinde sensim sensimque luci exponat, vitando tamen aërem lucidum ac solares radios: tempore mensium trium aut quatuor à lectione se abstineat, aut aliis rebus subtilissimis conspiciendis.

Communi methodo descriptâ, etiam meam hic deponere cogor opinionem. Poterat in suprema corneæ parte exiguum fieri vulnusculum, & mediantibus duabus acubus forficulæ in modum conjunctis, cataractam extrahere: hoc quippe modo præcavetur, ne amplius resileat. Nullum quoque periculum est, si humor aqueus exstillet, is enim brevi restituitur, & vulnus in superiore oculi parte infligitur. Postea deligandus est oculus modo superiore. Ad me quod attinet, arbitror id fieri posse. Authoris nova opinio.

CAPUT IX.

DE UNGULA SIVE PTERYGIO.

Pterygium quid.

UNGULA sive PTERYGIUM nihil aliud est quam excrescentia quædam tunicæ conjunctivæ, quâ pupilla in totum vel ex parte tegitur.

Illa est in angulo oculi minore, quod raro fit; aut in majori sive interno, & magis familiaris est; verum rarissimè à parte superiori aut inferiori producitur.

Causæ sæpe sunt externæ, ut à vulneribus, casu, contusione &c. vel sunt internæ, ab oculorum scabie aut inflammatione. Sit ut sit, proximam causam censeo vulnerationes, aut ob acrimoniam quandam corrosiones: tunica illa hoc modo aperta; cicatrice non obducitur, sed continuò ulterius atque ulterius excrescit, productionesque suas extendere nititur, quando, ut debet non cicatrisatur: eodem modo ac caro excrescit, & quomodo hoc fit, vide *Institutiones* meas.

Quæ sunt albæ, tenues & contractæ, facilius curantur, quam rubræ, crassæ, latæ. Incipiens minus curam respuit quam inveterata. Quidam operationem aggredi non audent, si tegant pupillam, quia propter cicatricem lumini introitus denegaretur.

Externis primo curatio tentanda; & si omnia incassum sunt adhibita, ad operationem est conscendendum. Externis itaque hoc modo procedendum: & sequens oculo instilletur:

Misce Succi chelidoniæ majoris, *unciam semis.*
Rutæ,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Aloes, *scrupulum semis.*
Vitrioli Cærulei, *grana quatuor.*
Fellis Lucii piscis, *drachmas duas.*
Sacchari candi albi, *drachmam semis.*
Misce fiat Collyrium. vel,

Recipe salis armoniaci,
Ossis Sæpiæ, *ana drachmam unam.*
Sacchari candi, *drachmam semis.*
Misce fiat pulvis, quotidie oculo inflandus. vel,

Accipe Salis Armoniaci, *drachmam unam.*
Succi Chelidoniæ majoris, *unciam unam.*
Maneant per noctem in pelvi cupreo, & stilletur quotidie in oculum: vel,

Recipe

Recipe Lactis muliebris,
Fellis Tauri, *ana uncias duas.*
Croci, *ſcrupulum ſemis.*
Coquantur parum & guttatim ſingulis diebus ſtilletur in oculum. vel
Accipe Salis Gemmæ,
Aquæ Roſarum,
Fœniculi, *ana unciam unam,*
Miſce. utitur ut ſupra.

Laudant quidam in oculorum morbis ſummoperè viperarum pinguedinem, uti & earum fel cum ſaccharo. Tincturam quoque veneris cum vino malvatico, & inſufflatur etiam oculis ſaccharum canarinum, quo circumforanea quædam Magdenburgenſis multum ſibi argenti paravit. Sit, ut ſit, certum eſt quandam requiri acrimoniam, ut membrana hæc excreſcens corrodatur, hinc eſt quod nonnulli papyrum aut lintea incendant, oleumque in orbis ſuperſuſpenſi ſuperficie colligant, plumâque oleo iſto madidâ pterygium linant, ſicque à longo tempore malum ſuperent. *Oleum fructus Cajous* Americani adhibent: illud oleum eſt inrer corticem & nucleum, colore rubro, eodem modo, ut in fructibus ana cardinis.

Externis incaſſum admotis, ad Chirurgicam operationem eſt deſcendum. Ponatur æger ſupinus in ſedili Chirurgico, & ab adſtantibus immobilis teneatur: deinde palpebræ aperiuntur & ſpeculo oculi ex plumbo aut argento apertæ ſervantur. Tunc Chirurgus unco parvulo ex acu facto, aut forficulâ parvâ, ungulam in medio elevat. Deinde acutam acum filo trajectam intra Tunicam conjunctivam & ungulam adigit, & trajecto filo, uncus vel forficula removetur, eoque filo ungula elevatur, & lanceola incurvata aut cultello myrtiformi ungulæ principium ſeparatur. Cautio eſt habenda ne cornea lædatur. Separata cornea forficulâ cuſpidibus rotundis abſcinditur. Cavendum nequid remaneat, nam facile curationem reſpuit, præſertim quando fuerit cartilaginoſa. Si ſanguis poſt remotam ungulam ſequatur, ſindon aqua aſtringenti madidam applica: ſi ſanguis inter operandum effluat, ſpongiâ abſtergendus. Loco cultelli, nonnulli ſeparationem inſtituunt ſetâ equinâ, aut chordâ. *Operatio Chirurgica.*

Ablatâ ungulâ, oculus deligatur, ovi albumine, aquâ roſacea & caphorâ. Oculus ſæpe aperiatur, iterumque claudatur, ne cum palpebris concreſcat; & illud evitetur, ſi intra palpebras & oculum nonnihil pergameni aut alutæ in aqua roſacea & ſacchari ſaturni macerati ponunt. Poſtea ſiccantia & cicatriſantia adhibent, ex *Trochiſcis albi Rhaſis*, *Aloë*, *Tutia*, *Thure.* &c.

Caput

X. CAPUT

DE PANNO SIVE PANNICULO, AUT ZEBEL.

Pannus quid.

PANNUS, PANNICULUS sive ZEBEL, excrescentia quædam est, & vasorum sanguineorum intumescentia & prolongatio, eorum quæ oculi conjunctivam perreptant, cum rubedine & pruritu: atque hoc modo quasi pannum rubrum, maximè in angulo interiore constituunt.

Causæ resultant ex oculis lippientibus continuis fricationibus, inflammationibus, obstructionibus in vasculis sanguineis, præsertim arteriolis, verberibus, illisionibus, &c. Hisce prædicta vascula prurigine afficiuntur, deinde continuò fricantur, frictione vascula dilatantur, sanguis consequenter majori copiâ adfertur, hisce vasculis hisce summè dilatatis, sanguineque turgidis, carnosum quasi pannum repræsentant, qui post longum tempus, per se non evanescit.

Pannus à variolis.

Post variolas aut oculi inflammationes, si quis subitò se aëri frigido exponat, non raro in pannum incidit ocularem: sanguis enim in vasculis oculi intensè calidus, statim à frigore coagulatur & concrescit, hinc in ipsis vasculis concluditur, & obstructiones fiunt. Sanguis itaque quoniam tam citò remeare non potest, quam à tergo advenire, vascula illa coguntur tumescere atque dilatari. Glandulæ quæ in canthis reperiuntur, si læsi fuerint, fungosa sæpè caro excrescit in Panni carnosi modum: & quomodo hoc fit in *Institutionibus nostris* dictum.

In principio facile curatur, sed posteà non nisi manu Chirurgicâ. Curatio eodem modo fit, ac de *ungula* dictum, ideoque lectorem ad præcedens caput mittere cogor.

XI. CAPUT.

DE OCULI CICATRICE ALBICANTE, SEU LEUCOMATE AUT ALBUGINE.

Oculi cicatrix albicans.

EX variolis, aliisve pustulis non raro quidquid tunicæ corneæ diaphanum CICATRICE ALBICANTE obducitur, ita ut visus sæpe planè cesset, sine dolore aut alia incommoditate.

In principio aliquando medetur, altas vero si agerit radices, omne medicamen respuit. Suadet *M. Aurelius Severinus* rasionem mediante scalpello, eodem modo ac si macula è papyro expungitur. Habet tamen suas difficultates Primo nescimus num macula penetret nec ne, & tunc operatio non est tentanda deinde radendo non raro cornea aperitur, unde aquei humoris effluxus. Porro medicamenta corrodentia si applicantur, cornea exeditur, perforatur, aqua effunditur, & cæcitas perpetua sequitur: vide *F. Hildanum Cent.* I. *obs.* XXV. Quid itaque faciendum: melius erit ea tantum applicare quæ de acredine aliquantulum participant, ut

Recipe

Recipe Aquæ Rosarum,
Fœniculi, *ana unciam unam*,
Tutiæ, *scrupulum semis*.
Vitrioli albi, *grana octo*.
Misce.
Paucis guttulis oculus quotidie irrorandus.

Pulvis etiam aliquoties in oculum inflandus, qui parari potest ex tutia, osse sæpiæ, bolo armenâ, saccharo crystallino &c.

XII. CAPUT.

DE LABIIS LEPORINIS.

LABIUM LEPORINUM, est labii fissura, more leporum, prominentibus uno, duobus, tribusve maxillæ superioris dentibus, non sine faciei defædatione. *Causa* aliquando à matris forti imaginatione dependet, quando ejusmodi hominem vident; vel in ipso ovo primordia hujus conformationis est quærenda, de quibus in *Institutionibus* nostris, in quibus causæ satis superque sunt explicatæ. Sæpe ab externis rebus id fieri contingit: casu nempe, gladio, cultro. &c.

Simplex ut plurimum est in labio superiori, raro duplex; rarissimè inferius labium fissum est: margines sunt cum vel sine callo, superius aliquando non tantum fissum est, sed & palatum, adeo ut superior maxilla cum palato planè sit divisa.

Quo operatio junioribus citius instituatur, eo melius, & cicatrix erit minoris momenti: sed secandi non sunt nimium juniores, tunc enim ejulatus unionem impediret: quibus superius maxilla fissa est, difficillimè secantur. Cacochymici, è morbo patientes, relinquendi, donec sanitati sint restituti. Quando labia longè ab invicem dehiscant, melius est operationem non tentare, non facile enim curantur, & peractâ curâ, labia nimium tenduntur, quibus ciborum assumptio ut & locutio non parum impeditur: & si coadunari non possint, tunc deformitas major est quam antea. Ver, & æstas temperata, huic operationi maximè idonea.

Ponendus est æger in loco lucido, & si fuerit infans in gremio quis habeat: vinciuntur manus, & caput à ministro immobile tenetur. Optimum est, si infans antea parum dormiverit, ut somnum operatione peractâ eo dulciorem ac profundiorem capiat. Vino quoque roborandus est patiens, ut lipothymiæ evitentur. Porro præsto sint pelvis aquâ tepidâ repletus, duæ spongiæ, turundulæ, linteum carptum, plumaceolæ, fasciæ, quinque aut sex acus trilateræ, culter incisorius, fila serica rubra, forfex acuta &c. atque sic omnia sint parata oportet, nequid inter operandum desideretur. *Æger quomodo ponendus.*

Labium porro incisorio cultro à gingivâ separandum venit; post hæc forfice

fice margines fissura inciduntur, ut cruda caro appareat: Forcipula quoque adsit, ut, si maxilla in duas partes esset divisa, ejus prominentia abscindatur. Labii fissurâ hac methodo cruentatâ, ilico ejus margines ad invicem junguntur, idque tribus acubus: prior applicetur tam propè naso quam fieri possit, ut disruptio præcaveatur, acu prius perforando labium maximè hians: altera adigitur per carnosiorem separatorum labiorum partem, & minister qui prius inter secandum caput tenebat, manibus suis malas à posteriore parte antrorsum versus nasum cogere ad invicem debet, ut eo facilius sutura absolvatur, ac suturæ minus abrumpantur, & æqualiter est infigenda quam fieri possit. Ad minimum straminis latitudine acus infixio à separato labio fit, ne facile fiat ῥῆξις deinde per alterum labii latus ad eandem extrahatur latitudinem, deinde singulis filis cujusque acus primo semel aut bis circumgyrabis, ut prospicias num suturæ æqualitate respondeant, quod citissimè absolvi debeat spongiâ vino prius tepido madefacta: deinde suturæ decussatim filis constringantur, eodem modo ac sartores solent facere, quando acus manicæ infixas, ne perdant, filo sæpius circumducunt. Peractis suturis, prominentes acus extremitates incisorio forfice abscindendæ veniunt, ne emineant, ut applicanda melius apponantur, & ulcerationes evitentur. Post hæc, suturis applicatur aliquod balsamum, nempe *Copaibæ* vel aliud simile, tunc filorum circumductiones instar plumaceolæ erunt: insuper applicatur alia plumaceola eodem balsamo irrigata, deinde emplastrum bene glutinans, idque ab unâ parte malæ usque in oppositam, quo ambæ versus nasum trahuntur; deinde splenium parvum, circa nasum parumper exscissum: tunc adsit vinculum, quod supra aures & cranium in cervice ligula firmetur. Labium à parte interna *succo symphyti majoris* irrorari sæpe debet. Porro infantes ab ejulatu, quantum fieri potest, detinendi sunt, dando cibum tenuem.

Quid post operationem faciendum.

Die post sectionem deligatio non solvitur, nisi quid mali interveniat. Secundo die deligatum solvitur, & malæ antrorsum trahuntur, constringuntur. Suturæ mediæ filum, ad dimidium usque solvitur, & reliquæ etiam nonnihil; hinc ob firmiorem filorum circumvolutionem, nulla est expectanda ulceratio; itaque singulis diebus nonnihil est solvendum, & acuum extremitates prominentes continuo sunt abscindendæ.

Tertio die amovenda erit sutura media atque suprema & infima nonnihil dissolvenda, deinde deligatio fit ut antea: quarto die si nulla amplius separatio fit, ubi media fuit sutura, etiam suprema acus est extrahenda. Quinto die relinquatur adhuc infima, ast parum dissolvatur, nisi infantes sileant, minimeque fleant, tunc etiam est extrahenda.

Si fissura sive labium leporinum magni non est momenti, tunc unica solummodo sufficit acus; & si labia non magnopere hiant, glutinante tantum emplastro opus absolvi potest.

XIII. Ca-

XIII. Caput.

DE COLLO INCURVATO SECTIONE RESTITUENDO.

ACcidit nonnullis ex paralysi, contractione aut alias musculum mastoideum caput flectentem relaxari, exiccari, indurari, aut contrahi, ita ut patientis caput in alterum latus tantoperè contrahatur, ut curvo cogatur incedere collo, huic malo inventum hocce sæculo est remedium. Collum incurvatum.

Aliis emollientibus incassum adhibitis, uti & suffulcimentis chirurgicis, ad operationem mediante sectione deveniendum erit. Quidam utuntur causticis potentialibus, sed tunc sæpe convulsiones, spasmi &c. facile sequuntur; & ejusmodi cauteria sæpius ulterius, quam decet, serpunt, tutior itaque sectio est.

Instante operatione, patiens in loco lucido sedeat, qui à ministris vel vinciendus, vel immobilis tenendus. Tunc cutis est incidenda, evitando vasa sanguinea majora, & musculi elongati seu Mastoidei tendo, ubi claviculæ implantatur, cultello falcato vel forfice incisorio unica incisione penitus abscinditur, deinde caput ad oppositum latus, non sine magno crepitu, erigitur. Operatione facta, vulneris labia hic non sunt adducenda ut in aliis vulneribus, sed quam maximè deducenda. Vulnere balsamis obligato, caput in hoc statu suffulcimentis servetur, donec vulnus fuerit sanatum.

XIV. Caput.

DE PARTIBUS NON PERFORATIS, UTI OCULORUM PALPEBRIS, AURIBUS, PUDENDIS, ANO, ETC. APERIENDIS.

PALPEBRÆ à nativitate CONCRETAE, hoc aperiuntur modo. Primo lanceola parum aperiantur. Clausæ palpebræ, deinde forfice cujus altera extremitas obtusa est, scindendo aperiuntur; aut intra aperturam stylus immittatur subtilis, & juxta illum forficulâ aut lanceolâ sectio fit. Tunc linteum carptum aut sindon collyrio ex *Trochiscis albi Rhasis*, & *tutiâ* madefactum intra oculi bulbum & palpebras ponatur, donec labia palpebrarum sunt consolidata. Palpebræ clausæ.

Post lippitudines aut ophthalmias palpebræ frequenter corneæ tunicæ accrescunt. Tunc palpebræ elevantur, & plano stylo separantur, post hæc syndon applicatur cum *ovi albo*, *Caphorâ* & *aquâ rosaceâ*, & intra corneam & palpebras applicatur collyrium ex *Trochiscis albi Rhasis*, cum *tutiâ* & *plantaginis aqua*, vel *rosacea*, post sanationem, palpebræ aliquando elevandæ, ne iterum symphysis fiat: aliquando palpebra glutinante emplastro elevari potest, deinde forficula tenuiori vel lanceola separatio instituitur. Quidam laminam

plumbeam intra oculi bulbum & palpebram ponunt, ut eo citius cicatrix inducatur, & nova adhæsio præcaveatur, sed hoc nimis dolorosum est, & non sine inflammationis expectatione; melius est pergamena in vino astringenti madefacta, & macerata, quæ singulis diebus renovari debet.

Meatus auditorii apertio.

Exterius aliquando AURIUM MEATUS CONCRETUS est, ita ut auditus lædatur tunc cultello aut stylo acuto est aperiendus: ast si concretio in medio istius esset meatus, exiguo cauterio aut stylo candenti opus est: post hæc calamus exiguus emplastro exterius obductus intruditur, ita ut, quidquid medicaminis est, exterius sit, lateraque meatus tangat, atque hoc modo proceditur, donec cicatrix sit obducta.

Glans inperforata.

Aliquando infantibus GLANS NON EST PERFORATA, quæ tamen est aperienda. Tunc jaceat æger supinus, & sinistra manu penis non procul à glande præhenditur, deinde in dextra lalceolam angustam &c. cuspidatam, qua concreta glans aperitur; post hæc, perforatione factâ, stylus intruditur plumbeus cicatrisante medicamine extus oblitus, qui, exitum moliente lotio, extrahitur, iterumque immittitur, quod tres quatuorve dies continuatur; donec urethæ parietes cicatrice sunt obducti: verum hæc operatio voto non semper respondet.

Observatio

Ante 24 annos in Zuid-bevelandiâ (cum nepote meo Matthæo Verberg) vidi rustici puerum, cui penis glans erat imperforata, sed infra pone glandem urinæ excernendæ fuit foramen.

Pudendum muliebre.

Muliebre pudendum, etiam inperforatum conspicitur, quod cruciali incisione aperitur: & deinde ut antea sanatur.

Anus inperforatus.

Anus etiam infantibus nonnunquam est *imperforatus*, idque triplici modo. 1. Per nimiam angustiam & conniventiam. 2. Per membranæ clausuram, quæ digitis aliquando confringi potest, ast præstantius & tutius est, si id cultello fiat: deinde cannula plumbea, unguento cicatrizante, oblita intruditur. 3. per Symphysin, & illi *Atretæ* aut imperforati dicuntur.

XV. CAPUT.

DE LINGUÆ FRÆNULO SEU VINCULO DISSOLVENDO.

Frænulum linguæ.

FRÆNULUM, VINCULUM sive ANCYLOGLOSSUM, Synonima sunt; nihil aliud est, quam quod lingua inferius nimis strictè frænulo suo sit connexa, hinc suctio læditur, & loquela impeditur. Aliquando prorsus à posteriore parte usque ad anteriorem cohæret, & tunc ultra dentes & labia lingua exeri non potest.

Curatio in eo consistit, ut vinculum illud nimis longum, forfice incisorio incidatur, & si prima vice id non succedat, incisio repetenda. Sed inter incidendum cavenda sunt vasa sanguinea, nervi, & ductus salivales. Quædam nutrices solis unguibus frænulum solent confringere, sed hoc non est suadendum. Si Hæmorrhagia insequatur nimia nonnihil pulveris aluminis aut

aut vitrioli cærulæi admove: cavendum ne nervi aut vasa sublingualia lædantur.

XVI. Caput.

DE SETACEO INSTITUENDO.

Setaceum. Setaceum nihil aliud est, quam fonticulorum species acu facta aut stylo, per cujus foramen quotidie aliquot setæ, unde nomen, aut fila serica, trahuntur.

Operandi modus. *Operatio* fit simplici acu, quæ ab ejus medio ad cuspidem usque plana sit, (alii acu trilateri utuntur) untrinque anceps, dorso nonnihil incurvato: in altera extremitate foramen est, quod fila serica contorta, setas, aut filum bombycinum mediocris crassitiei excipit.

Trajecto per acum filo, inque cervice loco notato, jubet Operator ministrum, ut pollice, indice, medioque digito dextræ manus cervicis cutim secundum longitudinem ab inferiori parte sursum versus firmiter præhendat. Post hæc ipse Chirurgus pollice sinistro duobusque prioribus digitis partem inferiorem eodem modo sursum trahit. Deinde acum cum filis unguento basilico illitis dextrâ manu cutim attractam, inter pollicem ministri & ipsius perforabit: quod, si acus fuerit satis acuta, brevi absque dolore absolvitur. Acu per vulnus trajecto, fila in eo relinquuntur. Vulnus Emplastro diapalmæ aliove medicamine deligatur, linteumque quater vel quinquies duplicatum ei imponitur, & deligatio deinceps, ut decet, instituitur.

Veterum mos. Olim Forcipem solebant in usu habere alatam, & utrinque perforatam, uti est videre apud *Hildanum*, *Scultetum* aliosque veterum Chirurgiam excolentes. Hoc instrumento nuchæ cutim præhendebant, & per forcipis foramina acum candentem aut stylum ignitum trajiciebant, ast ille modus nimis fervidus ac crudelis, hoc tempore in usu apud nos non est: ægri enim faciliori viâ sunt semper tractandi. Aliis quoque in locis institui possunt, uti ad aures, brachia, crura &c.

Setacea à pluribus summoperè laudata, mihi non tanti esse videntur, setaceum enim simpliciter tantum ulcus est, morbi pravæ conformationis species. Ut igitur morbus alium expellet morbum? quidquid igitur ex hoc ulcere emanat, nihil aliud est quam pus, in ipsum ulcus continuo ex chylo stillans, ibique acescens & puris crassitiem acquirens. Ad me, non video ex ejusmodi ulceribus arte factis in Chirurgia tantam sequi utilitatem.

At si quid boni sequatur in guttâ serenâ, mutis, surdis, &c. tunc intelligendum nervum è spinâ rerurrentem, cum pari vago, eumque cum nervis tertii, quarti, quinti & sexti paris habere communionem, hinc ob continuam irritationem à filorum trajectione quotidianâ, motus & nervis & membranis inducitur, unde nervorum depletio sæpe subitò fit.

XVII. Caput.

DE FISTULIS, SEU FONTICULIS.

Fonticuli quid. FONTICULI ſunt ulcera in ſanis corporis noſtri partibus arte excitata, quibus ſibi olim imaginabantur, quoſdam morbos poſſe ſanari, aut præveniri, verum illud non eſt tanti.

Tres modi Modus eos excitandi etiam varius eſt, quidam enim fiunt uſtione; quidam corroſivis, aut inciſione. Omnes illos deſcribam modos, quia apud pleroſque adhuc in uſu manent; deinde quia nobis ejuſmodi fonticulis, puri elutriando, opus ſunt.

Per inuſtionem. *Inuſtionis* modus nunc ferè exolevit; Medicina enim eſt crudelis, & præter hoc, inuſtio ſæpe altius, quam decet, penetrat. Sumitur tantum ex ferro aliove metallo inſtrumentum, quod candefactum, imponitur eo loci, quo volumus; cauterio fortiter nimis non eſt premendum, & cutis craſſa vel tenuis eſt reſpicienda. Facta inuſtione, eſchara ſeparatur, & locus piſo aliove globulo, cum impoſito quovis emplaſtro, apertus ſervatur.

Corroſionem. Modus per *corroſionem*, *potentiale* dicitur *cauterium*, fit quando corrodentia imponuntur loco, ubi fonticulus fieri conſtitutum eſt, loco, ubi fieri ſolet, electo, imponitur emplaſtrum optimè glutinans, cui in medio foramen eſt, ſuper illud deinde corroſivum aliquod medicamentum applicatur, prius nonnihil ſalivâ madefactum, eique inſuper emplaſtrum ponitur: vel ſuper eſcharoticum illud nuclei putamen imponitur, ne ſcilicet corroſivum latius quam oportet, ſerpat Poſt applicationis horam unam aut alteram, vel diutius, pro ruptorii viribus, emplaſtrum cum eſcharotico amovetur, & caro mortua cultello exſcinditur, foramen detergetur, & piſo, aliave materia rotunda apertum ſervatur.

Ruptoria varia. Eſcharoticorum quaſdam deſcriptiones hic addam. *Ruptorium* ex ſaponariorum lixivio coctum, non eſt contemnendum. Item calx viva ex lapide calcinata, ſaponi vulgari nigro admixta quatuor horas loco fonticulum excitando imponitur, foramen abſque ullo dolore excitat. Eſcharotica etiam optima fiunt ex fabarum ſiliquis crematis; aut ex cineribus quercus, fraxini, &c. quidam lixivium ſumunt, cui nonnihil ſublimati & vitrioli admiſcent, verum illud nimium parit dolorem. *Paræus* ſuum Ruptorium parat ex *fabalium*, ſive *fabarum ſiliquarum cum ejus ſtipitibus in cineres redactis*, *quercus cinerum* ana libris tribus, *aquæ fluviatilis* libris viginti, *aluminis* unciis quatuor, *calcis vivæ ex lapide uſtæ*, libris quatuor. Ex iſtis fit lixivium, cujus colatura filtratur, & ferè ad humiditatis conſumptionem evaporatur, ex cujus remanentia globuli formantur, qui probe in lagenulis ne liqueſcant, ſunt ſervandi.

Per inciſionem. Ultimus modus eſt per *inciſionem*, quando nempe cutis digitis præhenditur ac forfice aut lanceolâ inciditur, in cujus vulnere piſum intruditur.

Locus

Locus fonticulis excitandis ubique non est: eligitur semper intra musculorum intercapedines; cavendum ne excitetur supra musculum, tendinem, nervum, aut vasa sanguinea majora, quia exinde symptomata periculosa sunt expectanda, ut convulsiones, spasmi, hæmorrhagiæ, gangrænæ, imo & ipsa mors. Locus optimè investigatur membra flectendo & reflectendo In brachio excitatur intra musculum Deltoidem & Bicipitem. In femore intra vastum externum aut internum & rectum aut sartorium; & in tibia seu pedis parte superiori intra soleum & gastrocnemium ad digitorum trium quatuorve latitudinem infra genu circa solei marginem. Etiam supra caput excitantur, præsertim in Italia, ubi sagittalis sutura coronalem tangit. Olim locus duobus filis inveniebatur, nempe unum à nasi apice supra caput extendebant, alterum vero à meatu unius auris ad meatum alterius, tunc, ubi ambo fila se invicem secabant, ibi æstimabant esse locum fonticulo destinatum: verum experientiâ edoctus, hoc semper verum non est, quod facile in demortuis capitibus experiri licet. Verior investigandi locus est digitis palpando, nam locus ubi sagittalis nonnihil est elevatus, & ubi circa frontem desinit, ibi locus est. Excitantur etiam in nucha, dorso, inter scapulas & inguina.

Globuli fonticulis intrudendi, ex diversa quoque conficiuntur materia, Pisa alba vulgo in usu sunt: alii conficiunt suos globulos ex Hederæ arborescentis ligno, & optimi sunt; conficiuntur quoque ex corio crasso, argento, auro, ligno buxino, Hellebori albi radice, gentiana, gallis, rhabarbaro, hermodactylis, &c. vel ex simplici cerâ cum nonnihil æruginis fiunt. Globuli ex quibus conficiantur.

Fonticuli semper emplastro clauduntur, uti cum emplastro diapalmæ, diachyli cum gummi, Neurenburgensi, & sparadrapum sequens non erit infimæ notæ: ut Emplastra fonticulis imponenda.

Recipe *emplastri diachyli cum gummi*, *ceræ citrinæ*, *resinæ*, *boli vulgaris*, ana partes æquales. Misce fiat sparadrapum.

Utilitatis eorum tanti non est, quamvis ab illis, qui veriora Medicinæ fundamenta rectè non intelligunt, ad nauseam usque præscribuntur; verum à longâ experientiâ nihil certi ex illis haurire potui: Et si ægri post excitatos fonticulos nonnihil levaminis senserint, illud potius bonæ diætæ aut medicamentis salubribus imputandum, quam fonticulis: imo qui aliquot annos duos habuerunt, nunquam sanitati restitui fuerunt, sed in eodem permanebant statu. Quomodo operantur apud nullos authorum recte capere potui. Cuncti in ea sunt opinione, quod fiat per humorem quem evomunt; quod tamen subscribere nequeo, & quotidie parum admodum elutriatur in quibusdam, & casu tantum ibidem producitur; porro nihil aliud est quam succus chylosus à sanguine nutritionis gratiâ sequestratus, qui in fonticulo acorem contrahit, & in puris consistentiam condensatur. Si quid utilitatis adferre possint, erit quando intra cutim & musculos pus sit collectum, atque tunc per illos evacuetur: & elutriato pure, iterum sanentur. Fonticulorum utilitas.

XVIII Caput.

DE USTIONE.

Ustionis modus. FAmiliaris olim Ustio veteribus fuiſſe videtur, quorum poſteritas apud Chinenſes, Iaponenſes, Ægyptos, aliaſque nationes adhuc viget. Quidquid enim medicamentis non reſtituitur, illud uſtione curatur, vel incurabile manet.

Cauteria ex quibus componuntur. Uſtio fit ferro aut chalybe, argento, auro, vel cupro, quæ omnia, pro rerum exigentiâ, variâ formâ ſunt, ut alibi dictum. Altera uſtionis ſpecies fit fungis, *Hippocrati* μύκητες. Tertia jam ante aliquot annos ex Chinâ & Iaponiâ nobis allata, & dicitur eorum linguâ *Moxa*, quæ nihil aliud eſt quam lanugo foliorum artemiſiæ, quæ ab inferiori parte, ſcalpello, poſtquam ſiccata fuerint, abraditur: item aqua fervens, plumbum, ſulphur, butyrum, oleum, &c. Solebat quoque ligno fieri, ut pini, olivæ, buxi, ebeni, lauri, quercini, terebinthi, ſuberis, ſalicis, palmæ, cannæ indicæ &c. de quibus vide M. A. *Severinum* Ægyptii goſſipium ſumunt teſte P. *Alpino*.

Uſtionis Uſus hic loci ferè evanuit, niſi in oſſibus carioſis, odontagra, in quâ non tantum dentes carioſi uruntur, ſed & auris antitragus. in extirpandis membris, mammis &c. ſæpe ſolebat uſu venire, uti & in fonticulis, ſetaceis excitandis, & in dolore ſciatico, &c. Sed nunc ad cauteria non niſi raro devenitur, niſi neceſſitatate magnoperè urgente.

Moxa. Chinenſium *Moxa* nunc aliquomodo in uſum vocatur, ad curandam præſertim podogram, dentium ac ſciaticum dolorem, panaritium &c. Ex moxâ conficitur tundula in formam alicujus metæ, cujus baſis lata in cuſpidem aſſurgit, quæ ſupra locum dolorificum ponitur, & bacillis tenuibus ex *cerâ*, *ſantalo*, *floribus meliloti*, *labdano* &c., confectis accenditur, quæ uſtio ter vel quater pro exigentiâ repetitur: parti inuſtæ tunc nonnihil unguenti baſilici imponitur, aut plantaginis folium, ad detergendum, & ut locus inuſtus aliquod temporis ſpatium apertus ſervetur. Eodem modo veteres fungis lienoſos, &c. inuſſerunt.

Inuſtiones cum butyro, oleo, cerâ &c. nunc in uſu non ſunt: ferventem aquam non improbo in panaritio, aut chiragrâ nam brevi à dolore ægri relaxantur, calor enim ad intimam penetrat partem, & quidquid coagulatum diſſolvitur, & ſi materia admodum ſit activa, admodum moderatur.

CAPUT XIX.

DE ABSCESSUUM SEU APOSTEMATUM APERTIONE.

APERTIO ABSCESSUS aut APOSTEMATIS, fit, quando alibi pus maturum est collectum, ut idem, ne lædantur vicinæ partes, evacuetur; nam 1. nimis profundè sedem habet, & per consequens per se eliminari non potest. 2. quando pus versus interiora magis vergit, & tunc metus est illud in cavitates effundi. 3. Quando nimis acre est & virulentum partes vicinæ corrumpuntur, ut nervi, tendines, &c. 4. intra musculos & membranas si colligatur, magni sinus & cavernæ cuduntur. 5 Si circa ossa locetur, caries facile est expectanda. 6. Circa articulos si diu moretur, valde noxium est, nam ligamenta dissolvuntur, & membrorum eluxationes, elongationes, &c. fiunt. Apertio apostematis.

Pure facto, atque tumore apertioni apto, sequenti modo cognoscitur. 1. Quando febris & dolores deferbuerunt atque remittunt. 2. Quando tumoris rubedo, pallescere incipit. 3. Quando tensio magna & dura, mollescit. 4. Quando tensio à lato ambitu, contrahitur, minoremque circumferentiam habere incipit, atque cuspide seu umbone prominet. 5. Certissimum indicium est, quando tumor digitis palpatur, loco mutatur, eodem modo ac illud in vesicâ aquâ ferè plenâ conspicitur, quando premitur digitis. 6. Si materia profundè jaceat, ut plurimum pendere deorsum incipit. Signa quando aperiri debent.

Apertura fit per se vel arte: quæ per se fit, adjuvari potest emplastris, ut dicitur, attractoriis, nempe unguento basilico, resina pini &c. & facilis est methodus pro iis qui sectionem & ustionem timent. Quod abscessus per se aperiatur; est, vel quia pus cuti proximè adjacet, vel si intus, non procul à membranis; materia hac existente acri corroduntur vel membranæ vel cutis: vel ob protuberantiam puris copiosi, cutis aut membranæ quasi perforantur; vel quando ob ingentem pruriginem cutis fricando & scalpendo admodun tenuis est reddita.

Verum si pus profundius est, quam ipsa cutis, necessario arte exitus puri parandus, quod triplici modo fit. Nempe ustione, corrosione & cultro. Quibus modis aperitur.

De *ustione* nihil dicam, quia in nostris provinciis usus iste evanuit; remedium enim est nimis crudele; & quod faciliori via fieri debet, illud per difficiliorem non est quærendum. Per ustionem.

Alter modus est per *corrosiva*: sed prudenter est procedendum; prospiciendum enim, num vasa magna, tendines aut nervi adsint, qui lædi possent: deinde locus eligendus, quo pus commodius evacuari possit. Invento loco nuclei putamen sumitur, ejus magnitudinis ac foramen quod volumus habere: illud supra ruptorium ponitur, tamdiu donec satis esse judicamus. Cavendum ne nimis diu superjaceat, corrosio quippe tunc profundius penetraret quam decet, præsertim in macilentis & delicatulis. Eschara tunc lanceolâ aperitur & puri exitus conceditur. Corrosionem.

Per sectionem. *Sectione* abscessus aperitur, quando lanceola, aliove cultro incisorio puri exitus conceditur, & illud maximè locum habet, quando pus non admodum profundè jaceat. Ratio primo habenda, ut fiat eo loci, ubi pus locatum est. 2. in loco inferiori. 3. Secundum ductum fibrarum muscularium, alias pars redderetur mutila. 4. Ne apertura sit nimis angusta aut ampla, sed ita ut pus commodè evacuari valeat: Si enim esset nimis angusta, pus intus maneret; & in ampla, cicatrix efficitur magna, omneque pus tunc unicâ vice depromitur, ubi, si in nimiâ fuerit copiâ, alternis vicibus sit exhauriendum. 5. Vasa majora, tendines & nervi non sunt, ut supra dictum, lædendi. 6. Si apertura in cute fiat, illa secundum partis aut membri longitudinem fieri debet. Quantum enim prospicio, non invenio fibrarum in cute regularem ordinem, itaque illarum series non ita est observanda, uti olim edoctum est. Hinc sectionem secundum membri longitudinem, optimam duco; alias enim inferius vulneris labium deorsum penderet, si tranversim sectio fiebat & per consequens major remanet cicatrix.

Pure sufficienti copiâ deprompto plumbea cannula foramini intruditur; hisce accedunt quoque injectiones ad detergendum: evacuato omni pure, foramen clauditur, uti postea de ulceribus dicetur.

XX. Caput.

DE MEMBRORUM EXTIRPATIONE.

Extirpatio quid. Extirpatio nihil aliud est, quam corrupti aut demortui membri amputatio: si enim illud negligeretur, sphacelus versus cor magis magisque proserperet. Antequam ad extirpationem devenimus, prius medicamenta separationem demortui à sano procurantia, eaque quam fortissima, uti ex lixivio, fæcibus cerevisiæ, aut vini, hisce incassum adhibitis, ad serram, cælum, & forcipes incisorias descendum.

Quando instituenda. Domato acido & pituitâ, æger cibo ac vino roborandus: sed ante omnia prospiciendum num cum ægri statu conveniat, eique in salutem possit cedere, nam si sphacelus altas nimium radices egisset, aut vires deficerent, extirpatio non est tentanda, nam prodesse non potest, cum hæmorrhagiæ metus, dolor, &c. in causa essent, ut patiens inter operandum vitam cum morte mutaret. Extirpatio fit etiam in membris non planè demortuis, uti in magnis contusionibus, morsu venenati animalis, telis venenatis (Indis *Kritsen*.) aneurismate, aut si gangræna ad corporis usque truncum sese extendat.

Quæ partes sunt extirpandæ. Quod extirpatione auferri solet; sunt brachia & crura, eorumque partes. Brachia præcidi nequeunt nisi manus latitudine ab axillis, & crura paulo supra genu, ast, si fieri potest, potius infra, idque facilioris incessus gratia; nam si altius supra genu extirpationem velis moliri, ob vasa sanguinea majora, hæmorrhagia oritur, quæ non facile sistitur. Inferiore

cruris

cruris parte latitudine manus à genu ablatio instituatur, si possibile sit, nam si in ipso articulo fiat, incessus erit longè patienti difficilior, quam si genu pars adhuc sit superstes; & si supra genu amputatio instituatur, difficilior adhuc multo erit gressus.

Omnia antequam ad operationem deveniamus, sint parata oportet: ut ligacula ex setis, Torcular (gallis *Tournequet*) culter falcatus, cultellus anceps ad periosteum abscindendum, aut carnem intra ossa locatam: Serra optimæ notæ, acus cum filis cerâ litis; si opus, tenuis vesica, spongia, turundæ cannabinæ ovi albumine & pulvere styptico saturatæ; emplastrum defensivum; tres fasciæ; splenia, &c. hæc omnia ordine supra tabulam disponantur, ut statim in promptu sint.

Quod non tantum in hac operatione observandum, sed etiam in omnibus, uti cataractis deponendis, Lithotomiâ, Paracenthesi, Trepanatione &c.

SANGUINEM SISTENTIA.

Inter *Ischæmata* habentur sequentia, ut

Recipe Aloës,
Mastichis,
Myrrhæ,
Mumiæ, *ana drachmas tres.*
Calcis vivæ, *uncias tres.*
Præcipitati rubri, *unciam unam.*
Vitrioli cærulei, *unciam semis.*
Misce fiat pulvis. vel.

Accipe Calcis vivæ, *uncias sex.*
Suberis contusi,
Lintei combusti, *ana uncias duas.*
Boli vulgaris, *uncias tres.*
Colcotharis vitrioli, *uncias quatuor.*
Misce fiat pulvis. vel,

Sume Farinæ Lini, *uncias duas.*
Boli Armenæ, *unciam unam.*
Gypsi, *unciam semis.*
Resinæ,
Olibani, *ana uncias duas.*
Sanguinis Draconis, *sesquidrachmam.*
Misce fiat pulvis, vel

Contunde Amyli tosti, *uncias sex.*
Thuris, Gypsi,
Boli Armenæ;
Albuminis ovorum siccatorum, *ana unciam semis.*
Reticuli vitulini, *uncias duas.*
Vitrioli Romani tosti, *uncias tres.*
Misce fiat pulvis.

Fiunt quoque ex *farinâ triticeâ* cum *ovi albo*, item papyrus oleo vitrioli madefacta, & siccata. Stypticam quoque aquam parant ex *vitrioli ungarici* & *aluminis* ana librâ semisse. *Phlegmatis vitrioli* libris quatuor. hæc mixtura coquitur, donec omnia sint liquefacta; filtrati deinde singulis libris admisce *olei vitrioli* unciam unam. Et ad usum serva: atque illud *Joh. Corn. Weberi* stypticum, cujus libellus de hac re est inspiciendus.

Alii ex *limaturæ ferri* & *olei vitrioli* ana libra semis suum stypticum quærunt, quæ mixtura in cucurbita duodecim dies in arenâ digerunt; addendo *aquæ pluvialis* uncias quadraginta; vel in quâ ferrum sæpius fuit extinctum: adjiciunt porro *aluminis crudi*, uncias duas. Hæc omnia tamdiu supra ignem ponantur donec limatura fuerit soluta.

Ipsa *calx viva* sola sufficit aliquando, & inter styptica non infimæ erit notæ. Quidam nihil aliud utuntur quam aquâ rosaceâ, coagulo ovino, & vitriolo albo.

Vires stypticorum. *Vires rerum stypticarum* constare videntur, ex materiâ multum aëris continente, plurimosque poros habente, in quos sanguinis humiditas magnâ copiâ intruditur: deinde quidquid intra vulnus & stypticum remanserit, exsiccatur, & crustam vulneri quasi inducit. Huc quoque quorundam stypticorum pertinet astrictio, unde & sanguis multò magis adhuc incrassatur seu coagulatur. Tertio habentur quæ per se viscidum & gummosum quid habent, quibus vulneris circumferentia clauditur.

Operatio quomodo instituitur. Omnibus, quæ requirebantur, paratis, æger debito loco collocatur; deinde brachium aut crus præhenditur, cutisque sana cum carne sursum trahitur, ut postea os remanens eâ commodius tegatur; tunc latitudine unius vel duarum manuum supra partem sphacelatam injicitur, constringendis vasis sanguineis, vinculum, nunc vero temporis utuntur Torculari, vulgo *Tournequet*, quod melius & tutius est. Crus interim aut manus à ministris tenetur: alii tamen, uti *Hildanus* tabulæ imponunt: vinculo aut torculari constricto, inciditur circumferentia trium, quatuorve digitorum latitudine supra partem emortuam in ipsâ carne & cute sanâ, usque ad ipsum os; & si duo sunt ossa, minori cultello, quidquid carnis intra ossa est, abscinditur, uti & periosteum, quod est abradendum, nequid difficultatis inter serrandum contingat. Ossa si fuerint duo, ita serrando procedendum, ut ambo ossa simul tangantur: prudentia etiam, tam inter serrandum, quam partem tenendam est habenda, ne cum eminentiis spinosis abrumpatur

patur. Primo tardè ferrandum, donec fulcus adfit, ferraque huc illuc nequeat vergere.

Extirpato membro, fi Hæmorrhagia parva fit, tantum pulvere ftyptico & spleniis utuntur cum veficâ: vel, fi nimia, tunc acu & filis cerâ oblitis caro & cutis perfoditur, idque quatuor in locis, quâ occafione cum carne cutis offa tegit: porro plumaceolæ ex lino carpto cum ftyptico quopiam applicatur. Verum fupra ipfum os ficcæ imponuntur plumaceolæ planæ, ne os corrumpatur. Superimponitur deinde defenfivum quoddam, cum vefica tenui, ad evitandum fanguinis effluxum, infuper adhuc quædam fplenia; quæ fæpe fpiritu viniirrorantur, verum cum ipfam veficam non penetrant, fruftra applicatur. Primo fafcia ad manum fit uno capite, & fupra membrum mutilatum finiftro pollice fpithamæ latitudine tenetur, ducendo dextrâ manu fafciam deorfum fuper genu & transverfim fuper veficam, & ab eâ furfum infra genu & femur, eo ufque furfum è directo extremitatis fafciæ, quod lævo pollice fupra femur præhendebatur; tunc oblique truncus mutilus circumvolvitur verfus inferiora, quo circumvoluto, circumductiones æquales fint oportet, fortiter aliquantulum conftringendo, ut nempe hæmorrhagia præcaveatur. Tunc acicula fupra genu confirmatur. Quid post extirpationem faciendum.

Fafcia altera eodem modo ac prior ducitur, præter quod à laterali femoris parte adducitur, transverfim fuper truncum incedens, facit cum priore crucem: circumvolutiones hujus fafciæ contrario modo volvi debent ac prioris, quod femper eft obfervandum.

Ægro deligato, lecto committitur; cum trunco fupra pulvinar corio obductum, nonnihil elevato: deinde ne truncus lædatur, circuli quidam funt fupra partem læfam expandendi, ne à ftragulis impedimentum habeat. Æftate poft fecundum diem fafciæ folvuntur, & hieme poft tertium, tuncque pars detruncata tractatur ut alia vulnera.

Extirpatione facta quidam forficulis vafa fanguinea majora volunt apprehendere, aft æger prius fanguinem fundendo vitam amitteret, antequam vafa illa vinculo effent conftricta. Alii cauteriis actualibus vafa illa claudunt, quod melius eft: alii totum truncum inurunt, quod quidem crudele medicamentum, fed tamen foro medico non eft eliminandum. Itaque eo modo, quem fupra dedimus, commodius fit: quamvis futura per acus, quidem poterat negligi, mufculis enim ut folet contractis, facile ruptura fit.

Quidam Capitanus fclopeto variis in locis ictus, inter alia quoque ipfius inferius crus, ita ut gangræna & fphacelo corriperetur: dies tempusque exftirpationi deftinabantur: Hæc ille audiens, fumebat vini aduſti incredibilem quantitatem, atque ita plus quam ebrius decumbebat: Poftridie Medici veniebant & Chirurgi; fiebat apparatus, excitabatur, adhuc femiebrius; deligatio folvebatur & ecce, quidquid demortuum, erat feparatum, atque fic ipfius crus falvum manfit. Spiritus enim ille valde penetrans, minutiffimos aperuit canaliculos ufque ad ipfam carnem fphacelatam, at- Hiftoria rara.

que hoc modo quod externis fieri nequibat, illud interna ſpiritus vini ſumptione factum eſt.

Quando pes aut manus extirpatur, cælo peragitur. Verum digitus forcipe inciſoria abſolvitur. Mammæ cancro obſeſſæ quomodo extirpandæ, Capite de cancro docebo.

CAPUT XXI.

DE PARTU DIFFICILI, CUM EXTRACTIONE FOETUS AUT SECUNDINARUM.

Quid partus difficilis.

QUomodo infantium *generatio*, eorumque *in lucem productio* fit, partim in *Anatomia* noſtra diximus, partim in *Inſtitutionibus*. Quando partus bene procedit, tunc omnia ſecundo fiunt flumine, ſed non raro fœtus aut mortuus eſt, aut malè ſituatus, aut viæ ſunt nimis anguſtæ & ſic deinceps.

PARTUS DIFFICILIS fit vel reſpectu matris vel infantis: de quo in noſtra praxi aliquid diximus: itaque hic tantum dicemus, quam ob cauſam fœtus enitendus prorſus inhibetur, & arte Chirurgica extrahi debet.

Cauſæ igitur ſunt, quando partus difficilis nimis diu protrahitur; tunc fœtus ſuffocatur & moritur. 2. Viâ nimium anguſtâ exiſtente, fœtus cerebrum magnoperè ſæpe premitur, ejus fibræ rumpuntur, contunduntur & ab apoplexiâ vitam cum morte mutat; vel ſi adhuc enitatur, tunc infantes ſtulti evadunt, vel ingenio viliores. Viis nimium anguſtis, tunc mater æquè in periculo eſt ac infans, quippe cum pariendi conatus ſunt, & infans in uteri oſculum proceſſit, iſtius oſculi fibræ ita extenduntur ac expanduntur, ut rumpantur, unde febris, convulſiones &c. 3. Quando amnii & chorii liquor effluxerit, viæque lubricæ non amplius ſint: Evacuato enim hoc liquore, exiccantur viæ, per quas fœtus difficilius enititur, quam alias 4. Ceſcante parturiendi nixu, quod ſignum eſt virium proſtratarum, tam fœtus quam matris: tunc enim fœtus ſæpe non movet ſe amplius, aut tantum parum, & per conſequens minor preſſio verſus exteriora eſt. 5. Quando paritura, debilis virium expers eſt, & morbo affecta. 6. Quando quædam excreſcentia, inflammatio aut ulceratio in matrice, aut vagina eſt, quare via clauditur, anguſtatur, & infans expelli nequit. 7. Quando duo infantes ſunt. 8. Quando nimis magnus eſt aut ſuper modum pinguis. 9. Si habeat Hydrocephalon. 10. Quando pede primo enituntur aut pedes transverſim jacent. Aut manu unâ, duabuſque ſimul, natibus, ventre, dorſo, genu, cubito, cervice, &c. primum prodeunt, raro enituntur, niſi prudenter in locum aptiſſimum dirigantur. 11. Quando caput ſupra oſſa pubis anteriora prolabitur. 12. Fœtus

tus si sit ægrotans & debilis. 13. Quando sit mortuus. 14. Quando mater moritur. 15. Si una cum fœtu mola adsit, &c.

Signa num fœtus mortuus sit, hæc sunto. 1. Quando motus cessat, quem mater & obstetrix primo sentiebant, sive manu, aut quibusdam roborantibus, iis enim vires reficiuntur. 2. Grave in abdomine pondus, quod quando mater ab hoc latere in oppositum sese movet, etiam fœtus lapidis in modum volvatur ab uno in aliud latus. 3. Frigus abdominis. 4. Oculi concidunt, ac vigorosi, ut antea, non sunt. 5. Facies & labia pallescunt. 6. Extremitates frigent, & livescunt. 7. Flaccescunt mammæ. 8. Fœtu putrescente, fætor ex vaginæ persentitur. 9. Et consequenter febres. 10. Ex vaginâ & utero fœtidi humores effluunt. 11. Abdomen sæpe inflatur. 14. Halitus maternus fœtere incipit. 14. Quando fœtus membranæ capitis flaccescunt. 13. Matris διαχωρήματα liquida sunt & fœtida. 14. Si secundinæ ante fœtum veniunt, certum est mortis indicium: nam ex hisce fœtus amplius nutriri nequit. Panis albi frustum supra umbilicum applicatum, & prius vino malvatico intinctum, fœtum in motum concitat, si in vivis sit, cujus particulæ penetrantes, eum movere faciunt. Signa mortui fœtus.

Quando mater & fœtus vivunt, ambo periclitantur, vel mater sola aut fœtus solus & si exclusio non maturè festinetur, vel ambo moriuntur, vel unus. Mortuo fœtu, quam primum extractio est acceleranda, alias ingens fœtor, febres, lipothymiæ, somnolentia continua, convulsiones &c. expectantur: quamvis apud *Schenkium*, *Fabricium*, *Roussettum*, *Blegny*, *Bartholinum*, &c. historiæ habentur fœtuum mortuorum multos annos gestatorum.

Curatio duplex est. 1. Primo respectu fœtus mortui. 2. Respectu vivi fœtus extractione. De priori in hoc capite agemus, & de posteriori cum sectio Cæsarea erit pertractanda.

Fœtus mortuus expellitur, remediis in nostrâ Praxi descriptis: & si hæc incassum propinata fuerint, Chirurgicâ manu aut instrumentis fœtus est extrahendus: nisi mater præter modum esset debilis.

Si aqua (ut vocant) effluxerit, partes internæ oleo sunt oblinendæ, quod commodè siphone eburneo fit, si oleo tepido repleatur; & extremitatem habeat crassam, rotundam & simul valde politam.

Si quædam in vaginâ excrescentiæ reperiantur, removendæ sunt, nisi ingens adsit dolor, tunc melius est crabrones non irritare, μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. Alias similes σαρκώσεις, si nullus adsit dolor, cultro aufertur, quem secundum ductum digiti sinistri infra dextrum digitum ducitur, & excrescentia sic à parte inferiore, superiore, aut laterali aufertur, aut saltem solvitur, & digito porro deglubitur: & si quid relinquatur, illud postea corrodentibus consumitur: Ast si collum habeant, digitis præhenduntur, & laqueus bis trajectus circumducendus, ex filis firmissimis tortus, quem attrahimus, & super hunc adhuc alius bis trajectus. Porro extremitates sint longæ, ut foris dependeant; laquei illi ambo tunc circum digitos indices volvuntur, torquendo digitos cum filis, ita, ut utriusque dorsum ex opposito se invicem Excrescentiæ è vagina removendæ.

spec-

ſpectant, atque hoc modo laqueus conſtringitur, ut, denegato excreſcentiæ alimento, cogatur putrefieri. Ejuſmodi operationes potius ab experientiâ cognoſcuntur, quam deſcriptione.

Via anguſta eſt dilatanda.

Si infans ſolito major ſit, & via anguſta, vulva ſpeculo matricis eſt dilatanda: in præcedentibus enim puerperiis aliquando partes illæ ita laceratæ fuerunt, ut latera ſeu parietes ferè ad invicem concreverint, unde cicatrices inæquales, aut calloſitates, inducuntur, quæ cultello iterum ſunt ſolvendæ. Porro ſimplici digito interdum tantum efficitur, ac ipſo ſpeculo; digito enim poſſumus longè melius palpare & tangere, & deinceps cultello dextrè, quæ ſunt facienda abſolvere. Loco ſpeculi matricis melius ergo eſt digitis oleo illitis dilatationem inſtituere, nam inſtrumenta majorem pariunt difficultatem.

Puerperium cum relaxatione vaginæ

Fœtus vitioſum cum habeat ſitum, manu oleo lita, loco eſt mutandus, ut caput verſus uteri oſculum vergat, ſicque prudenter extrahatur. Interdum, quando caput fœtus exprimetur, vagina cum rugis ſeu plicaturis elabitur: & illa plicatio fit vel inter pariendum; aut, ſive ex difficili præcedentium puerperiorum partu; ſive ejus tunicæ intimæ diſſolutione, cauſa quædam præceſſit, qua à fœtu exprimi debeat, multiſque quaſi rugis propendeat. Quando illud inter pariendum fit, jaceat fœmina in dorſum ſupina, deinde digitis rugæ ad latera premuntur, ita tamen, ne capitis egreſſus impediatur. Nota, quod fœtus ab ipſa matre propelli debeat, nam ſi fœtus ſolito citius extrahatur, partes vaginæ & matricis facillime miſerè læderentur. Aſt ſi relaxatio non admodum fuerit magna, digitis aliquo modo corrigenda eſt. Fœtus cum egredi incipit, ſupina decumbat. Fœmina, atque fœtus cum ſecundinis extrahitur; eodem modo quoque lecto componatur, poſtquam uterus & vagina debito ordine reſtituti ſunt.

Fœtus ad latera oſſis pubis;

Quando fœtus contra oſſis pubis latera adigitur, tunc fœmina ſupra ſtratum è pulvinaribus in dorſum decumbat; deinde manu uterum immiſſâ, nititur ut fœtus nonnihil retro trudatur; interim aliâ manu abdomen exterius eſt adjuvandum. Fœtu hoc modo retrorſum truſo, facile capite ſuo verſus uteri oſculum ducitur: Aſt cum aliquando contingat, pedes facilius quam caput evolvi, partus fiat à pedibus, melius enim eſt nonnihil doloris perferre & infantem ſervare: poſt hæc, conatus parturiendi accelerantur.

Vultu,

Non raro contingit, fœtum vultu ſuo ad os pubis ſiſti, adeo ita ut omnes conatus incaſſum ſint. Tunc, ut aute dictum, fœmina in tergum reclinare debet, & duobus digitis, indice ſcilicet & medio, ad latera meatus urinarii ſub naſo, aut contra malam, quantum poſſibile, & iterum retro fœtus trudendus: huic operationi etiam altera manus exterius circa abdomen & veſicam auxilii eſſe poteſt,

Vel humeris,

Accidit quoque fœtum humeris contra pubis os fixum manere, tunc conandum ut fœtus occiput & maxilla apprehendatur, atque ſurſum trudatur, nonnihil ad hoc vel illud latus impellendo, ut ſic vertendo ſenſim extrahatur: Alias ſi ſub axillis digiti poſſint locari, cui rei digiti longi requiruntur; tunc fœtus cum dorſo ſurſum verti debet: & ſi unicum brachium extrahi poteſt, reliquum quidem deſcendet, niſi uteri oſculum clauderetur.

Si

Si matricis osculum se claudat, debitumque fœtus situm non habeat, supinè collocanda est fœmina, & fœtus, vertendo, in debitum situm restituendus, usque in os uteri.

Capite utero excluso, & funiculo umbilicali bis circum collum torto, in angustiis consilium est. Sed ξὺν θεῷ remedium est inventum; sumitur lamina plana & rotunda è plumbo aut stanno confecta, & acus cum cuspide obtuso, quæ intra fœtus collum ponitur, nempe infra funiculi circumvolutiones; habeat crassum filum è serico per ipsius foramen trajectum; sintque ambæ extremitates ejusdem longitudinis, atque propendeant; acus trajicitur & extremitates, quæ trajectæ satis sunt, abscinduntur, propellendo unam hac & aliam illac, ad minimum trium digitorum latitudine ab invicem; singulæ tunc singulatim vinciantur duplici nodo trajecto, & simplici insuper, ne nodus, contrahendo solvatur: tunc ambæ extremitates utriusque lateris invicem conjunguntur, elevantur, & forfice aut cultello falcato, huic operationi accommodato, assumuntur ac præscinduntur. Atque ita manet funiculi pars, quod fœtui adhæret, clausa, ne fœtus ob Hæmorrhagiam in lipothymiam incidat aut moriatur; ast quæ à parte placentæ est, similiter vincta manet & propendens, ut eo facilius extrahatur: funiculo hoc modo in partes diviso, facile à collo dissolvi potest, & fœtui exitum concedere; postea filum trahitur motu, ut solet, tremulo, & secundinæ etiam attrahuntur.

Funiculi circum caput contorsio.

Si nimium aquæ intra secundinarum membranas continetur, multum quoque spatii fœtus habet, & tunc funiculus venit ante fœtum aliquando: hoc etiam non raro fit, quando ventre primo venit, tunc enim funiculus in medio osculi matricis est, unde aliud adhuc symptoma producitur, nempe quod fœtus pressione, in omni situs specie, contra funiculum, eundem aliquando conterit, contundit, præsertim si in quibusdam infantibus admodum comprimuntur, atque sic sanguinis circuitus inhibetur, & quoniam fœtus necdum respirat, debet suffocari ac mori. Si prorsus hic funiculus extra pudendum propendeat, refrigeratur, succi percolandi coagulantur, & fœtus moritur.

Funiculus si ante fœtum veniat.

Iterum, ut antea, fœmina supina decumbat, deinde funiculus manu oleo lita intromittitur, idque tam citò quam fit possibile, alias facile frigus contraheret. Idque tam dextrè, quam fieri potest, conamur illum pone caput ducere, in quo casu evitandum est, ne circum collum, laquei instar, volvatur, ideoque eo loci inferendus, ubi exciderit: fœtus porro est in debitum situm dirigendus. Et si iterum egrediatur, intercapedo illa serico pectinato repleatur, quod fœtui inter egrediendum nihil impedimenti erit, quia etiam protrudi debet.

Quando totæ secundinæ ante fœtum expelluntur, facile fœtus suffocatur, & mater, ob nimium sanguinis fluxum, non raro moritur: itaque si secundinæ præcedant, iterum intrudi non debent, verum absque dissectione, extrahere. Deinde si optimum non habeat situm fœtus, reponendus est ut decet, & partes quam fieri potest, est accelerandus.

Vel totæ secundinæ.

Si unum brachium emittitur, primo oleum injicitur, omnes viæ ut sint lubricæ;

Si unum brachium emittitur.

bricæ; interim fœmina supina decumbit, & brachium absque læsione introrsum truditur, & fœtus in talem vertitur situm, quali commodius eniti possit, sive capite prius, sive pedibus: atque hoc facile fieri potest, si uterus sit amplâ capacitate.

Vel ambo brachia. Res multò pejor est, si ambo brachia præcedunt: quando in exitu caput descendit, brachia pro minimâ parte prominent; ast si caput versus matris lumbos & versus posteriora supinum jaceat, tunc brachia longius propendere possunt; caput enim tunc non est in partu, & brachia facilius elabuntur: ast si facies super pubis os decumbat, breviora sunt, quam si versus posteriora jaceat.

Si caput ad hunc vel illum humerum inclinatur, illud brachium brevius, alterum vero longius. Uterus nimium si fuerit siccus, oleum ei immittitur, & brachia tam commodiori modo ac fieri potest, introrsum reponuntur, idque primo unum; deinde alterum absque ullâ læsione: Puerpera tunc prius exspirat, & deinde, ut spatium esset in abdomine amplum, inspiratio fit tardior.

Unicus pes, vel ambo. Eodem modo ac brachia præcedere possunt, ita quoque sibi fœtus aliquando pedibus sibi exitum parat. Si unicus tantum pes producitur, pro majori parte introrsum ducitur; & alterum conamur etiam in osculum trahere; tunc paritura vertitur nonnihil ad illum locum, ex quo pes ultimus delatus fuit, tunc enim spatium illud impletur. Post hæc pedes apprehenduntur circa malleolos, & sensim extrahuntur; continuo altius atque altius evocando, atque curando, quantum possibile, ut manus unà exerantur, & facies coxygis os respiciat, ne ab aquâ aut sanguine suffocetur. Eodem modo se res habet, si ambo pedes exitum quærunt, eâ tantum differentiâ, quod alter quæri non debet: & si brachia sursum supra caput extendantur, quod facile fit; tunc digitis oleo litis, supra scapulas insinuandum, ut prudenter brachia deorsum dirigantur.

Genua. Si genua prodeant, tunc nihil boni expectandum, nisi primo unicum deinde alterum genu ita flectendum, & sursum impellendum donec ambo pedes in osculum uteri dirigantur: ast si unicus tantum pes se prodeat, tunc alterum genu ita accommodandum, ut latus matricis tangat, & tunc natus pes sursum trudendus, & curandum, ut ambo pedes exerantur, sicque fœtus expellendus, ut antea dictum.

Si pedibus ac manibus simul junctis prodire conetur, tunc fœmina supina decumbat, idque capite declivi & natibus elevatis; ut fœtus caput, & consequenter brachia, retrocedant, & hoc modo pedibus expellatur, licet præeuntibus.

Scapulæ, tergum, pectus. Quando scapulis, tergo, pectore, aut alterutrius latere ante exitum veniat; in hoc aut illo latere caput sit oportet, cum funiculo bis terve circa collum voluto, pedibusque exporrectis, aut flexis &c. Tunc fœminæ (capite, quantum fieri potest deorsum inclinato) femora concutiuntur, ut fœtus iterum sursum in debitum situm, propellatur manu oleo litâ vertendo prout erit possibile, sive tunc enitatur primo vel pedibus vel capite: ast si fœmina post multum parturiendi laboris ac sanguinis fluxus defatigata sit,

ute-

uterus rursus contrahitur, & mater tunc & fœtus in discrimine vitæ sunt.

Infans si cum femoribus aut natibus exitum conetur, fœmina tunc supina in tergum jaceat, idque natibus elevatis, & quantum possibile, infans sursum truditur, genua flectuntur, ut ei cum pedibus exitus paretur. Femora; nates.

Matri quoque & fœtui periculosum, si cum ventre prius exire velit, quia tunc difficile vertitur, ejusque vita non raro mutatur: isque casus sæpe fit, si funiculus umbilicalis præcedit. Paritura tunc supina ponatur, natibus maximè elevatis, infantem tum sursum prudenter trudito, atque verte hinc & inde, & in talem situm restitue, quam fieri debet, ut commodissimè, enitatur. Venter.

Quando gemelli sunt aut tergemini; aut monstrosæ fœtus figuræ prodeant; aut ad invicem connati sint, tunc res in angusto est, & omnia periculi plena. Qui primus in partu est, primus, omni conamine est excipiendus, & alter si sit possibile, ad latus est protrudendus, ne impedimento alter alteri sit. Primo nato, statim & alter quoque prodibit. Si ambo communibus quasi integumentis, fruantur, in eademque aqua versentur, plerumque monstrositatis signum est, idque non sine ratione, quod hic ob rei longitudinem enarrari nequit; & quia eorum figura atque situs mirè variat, tunc in lucem extrahendi, eo modo, ut commodissimum judicatur. Gemelli. Monstra.

Confuso ordine invicem si jaceant, mater supina in lectum componenda, & manu insertâ ab invicem separanda, & proximus ad partum ita locandus, ut eniti queat. Interdum unus primum capite prodit, & alter pedibus; aut uterque pedibus, aut capitibus: qui tunc ori uteri proximus est, ita disponendus, ut primo in lucem veniat: & alter interim sursum trudendus vel ad latera. Et si deinde omnia fuerunt irrita, ad instrumenta huic rei accommodata descendendum est. Supra dorsum mater tunc est locanda, natibus elevatis; à fœminis crura sursum elevantur, aut medium thoracis cum cruribus ad ipsum cubile aut sedem parituris præparatam suspenduntur: ne in extrahendo corpus de loco moveatur. Tunc læva manus oleo inungitur & in matricem ducitur, eaque dilatatur, immittendo simul multum olei: elige tunc locum commodum & hamo aliove instrumento infigendo aptissimum, cavendo ne matrix lædatur; quare caput, oculi, occiput, os, palatum, tergum, claviculæ, mentum &c. huic rei peragendæ, propria sunt: postea circa vertebras, pubis ossa, abdomen &c. deinde dextra manu prudenter hamus est inferendus; sed vola alteri manui est opponenda: tunc firmiter prædictis partibus est infigendus, atque fœtus ad se leniter trahendus, donec tandem fœtus integer cum secundinis extractus sit. Confusus ordo. Fœtus extrahendi modus.

Ast hisce non succedentibus, non inconveniens esset instrumentum, quo fœtus caput comminuatur, quod commodè forcipibus cochleatis fieri posset: item forcipibus incisoriis crura, pedes, brachia, manus si abscindantur: hamo, aliove instrumento incisorio abdomen aperiatur; postea omnia minori cum dolore & majori facilitate extrahi possunt. Si venter primo

prodeat aut aliæ partes, ibi operatio primo est instituenda; idem enim tunc temporis est, quo situ jaceat, cum extrahendus sit. Quando primo venit capite in osculum uteri, aut alium situm habet, lentè extrahendum, quia funiculis circum collum sæpe circumvolvitur, quo fracto, secundinæ sæpe non sequuntur: atque præcipitanti extractioni non raro fluxus sanguinis nimius supervenit. Porro si in partu caput sit, omnia manibus nonnunquam succedunt, modo Chirurgum habeas peritum. Quædam instrumenta quippe tuta non sunt, atque alia ex usu. Hamorum loco nunc utuntur laqueis, qui circum collum volvuntur, atque sic vivi sæpe fœtus extrahuntur. Extracto cum secundinis fœtu, fiet in matricem injectio; & supernè quædam, si opus sit, lochia pellentia dantur: deinde, ut vires recuperentur Mater defessa in lectum componenda.

De Instrumentis pro extrahendo fœtu mortuo, describit *F. Mauriceau* Aph. 246. Ad fœtum mortuum extrahendum, instrumenta uti non debemus, quia operatio manibus satis exequitur. Et Aph. 247. Hami, quibus in extrahendo fœtu mortuo utuntur nullam asperitatem, nullamque inæqualitatem per totam longitudinem habeant, ne partes Mulierum internæ lædantur. Et Aph. 248. Antequam fœtum ex materno ventre instrumentorum ope tentes extrahere, bene prospiendum, antequam te accingas, ne vivum ut mortuum tractes.

XXII Caput.

DE SECTIONE CÆSAREA, SIVE HYSTEROTOMOTOCIA.

Sectio Cæsarea. SI fœtus vivus Medicamentis exhibitis expelli, aut Chirurgis obstetricandi peritis nequeat expelli, ad CÆSAREAM SECTIONEM, sive HYSTEROTOMOTOCIAM descenditur, quæ nomen à Cæsare Africano, ut conjicitur, sortitur, qui dicitur primus fuisse ex matris utero sectus. Est igitur nihil aliud, quam fœtus, per sectionem abdominis & utein in lucem editio.

Atque hæc est duplex, vel fit in matre adhuc vivente, vel jam jam denatâ.

Causa quare operatio tam periculi plena instituatur, est, quando fœtus nimium sit pinguis, aut præmagnus. *Deinde*, quando duo sunt fœtus & unus denatus ne viventi incommodum cieat ad exeundum. *Tertio*, cum fœtus sit monstrosus, sive duo sibi invicem cohæreant: aut cum duobus capitibus, quatuor brachiis ac totidem cruribus. Memini me vidisse gemellos à lateribus connatos, quibus adhuc alius sive tertius infans vivus aderat; cum videbam hunc, erat unius anni, quem mater in gremio fovebat. *Quarto*, quando fœtus est induratus ac in lapidem versus, quorum Exempla apud *Bartholinum*, aliosque prostant. *Quinto*, vel quando per Apostema excluduntur, de quibus

bus *Rousettus*, *Sexto*, quando viæ vaginæ ac pudendi nimium angustæ sunt, sive quod prægnantes ætate satis adultæ non sint, aut nimis pingues, aut satis annosæ. *Septimo*, cum in utero aut vagina quædam intumescentia est aut induratio. *Octavo*, aut si inter gerendum, post abscessum uteri osculum aut vagina coaluerint. *Nono*, quando fœtum comitatur mola.

Quidam Cæsaream sectionem periculosam esse, autumant, nec immerito: *F. Mauriceau* in Aphorismis suis de puerperis &c. Aph. 244 pronunciat operationem Cæsaream certissimè mortem gravidis adferre: ideoque operationem dissuadet, matre vivâ. Verum laudo illud *Celsi*, antea citati, *melius esse aggredi rem ancipitem, quam matrem & fœtum aut alterutrum negligentia mori.* Sed adducitur uterum tunc temporis magna habere vasa, quibus dissectis permagnam sequi Hæmorrhagiam: Verum respondeo, experientiâ teste, matricis vulnus se statim contrahi ac claudi, atque non majorem sanguinis copiam, quam in solito partu effundi. Neque ex abdominis vulnere multum sanguinis deperditur, ibi enim vascula tantum minora percurrunt. Alii perpetuam metuunt, post sextionem, Herniam: quod tamen melius, quam absque sectione è vita discedere: Et Ramex si insequatur intestinalis, commodè bracheriis occursatur. *H. Roonhuise* narrat doctorem quendam *Sonnium* sectionem illam secties in uxore suâ instituisse, superstite matre & filiis. Sit tamen ut sit, operatio illa ita temerè non est instituenda, quoniam fœtus ut plurimum ipsâ manu per pudenda extrahuntur. Et licet paucis succescit, plurimis vero non, & raro tentatur, nisi viribus detritis, & moriente ferè Matre. Cæsarea numpericulosa.

Verum antequam operatio suscipitur, alvus est injectione solvenda, etiam roboranda venit fœmina optimo cibo & vino optimo. Etiam mictio antecedat oportet.

Locus eligendus inter umbilicum & os pubis, duobus tribusve digitis infra umbilicum & totidem ad latera, imo & eadem tenenda est mensura à partibus inferioribus, ut musculorum tendines evitentur; fac porro secundum longitudinem sectionem, in musculo abdominis recto; primo cutim usque ad pinguedinem persecans, eâ magnitudine ac ad extractionem fœtus requiritur; deinde prudenter cum musculis peritonæum discinditur, quibus apertis, illico se uterus prodit, qui cautè in medio aperitur, & circumspectè, ne fœtus aliæque partes lædantur. Ad latera incisio non est instituenda, ne tubæ aliaque vasa tam sanguinea quam lymphica, quæ in lateribus insignia sunt, abscindantur.

Utero aperto fœtus & secundinæ se sistunt, qui dextrè sunt educendi: ast si deliquium pateretur infans, secundinæ sunt vino aspergendæ, deinde placenta abdomini ita calidè applicatur, ut vires reficiantur. Extractus fœtus statim obstetrici traditur, ut solito more eum tractet.

Tunc vulnus sequenti lavamento lavatur.

Recipe Rad. Symphyti majoris, *uncias tres.*
Aristolochiæ rotundæ, *sesquiunciam.*

 Fol.

Fol. Hyperici,
Salviæ,
Flor. Rosarum rubrarum,
Camomillæ Romanæ, *ana manipulum unum.*
Sem. Levistici,
Dauci, *ana drachmas duas;*

Coquantur ex vino ad uncias viginti, colaturæ adde

Sacchari Saturni, *scrupulum unum.*
Misce & detur usui.

Post ablutionem, sutura eodem modo fit, ac in suturis circa labia leporina, ut in inferori vulneris loco turunda possit intrudi, tamdiu donec omnia symptomata cessent: porro vulnus curatur, ut alia abdominis vulnera. Præscripto lavamento, etiam in uterum injectio fieri posset; vel ejus loco Tinctura Theæ, cum croco ad diminuendum dolorem, & inflammationem præcavendam, deinde ut fœtens sanguis, cæterique squallidi humores elutrientur, unde alias plurima essent symptomata expectanda.

Mater si jam jam esset denata, sectio in abdomine & utero institui debet, ubi commodissimum sit & facillimum, nullum enim tunc periculum expectandum; ast si aliquot momenta fuerit denata, raro infans in vivis manet, quamquam exempla quædam prostant, infantes suis viribus ex hoc carcere per se eluctatos fuisse.

Diætam quod attinet, debet esse ex lacte dulci, ovis sorbilibus, porcellis, percis, gallinis coctis, aut carne agninâ, eorumque succis: à nimiâ pinguedine, & cibis calorem sanguini excitantibus temperandum. Non quod sint insalubres alias, verum quia sanguinis pressio nimis vehementer & fortiter in partem læsam impellitur, unde gravissima symptomata forent expectanda. Cerevisia tenuioris sit notæ. Alvus astricta prunis, mannâ, cassiâ fistulâ, tartari cremore &c. est corrigenda, vel enematis injectione. Ira vitanda, sed hilares sint potius & pacato animo: intus quædam, ad expellendum sumenda sunt, ut potus Theæ, Coffeæ, oculi cancri, anisi semen &c. Potus quoque vulnerarius usu veniat, ut

Coque Fol. Theæ, *drachmas tres.*
Hyperici,
Veronicæ, *ana manipulum.*
Rad. Rubiæ Tinctorum,
Consolidæ Majoris, *ana unciam unam.*
Flor. Centaurii minoris, *manipulum semis.*

Fiat decoctio ad uncias viginti, colaturæ adde

Ocul.

Ocul. Cancri, drachmas tres.
Misce fiat potio.

Qui potiones abhorrent, earum loco sumant solummodo Tincturam Coffeæ aut Theæ, lac crocatum &c. quæ ejusmodi gaudent viribus ac præscripta potio. Liquorem salis tartari cerevisiæ etiam admisceat, quo sanguis corrigitur, ne febres invadant, quod in hac operatione facile contingit.

XXIII. CAPUT.

DE LITHOTOMIA, SIVE CALCULI SECTIONE.

QUid *Calculus* sit, omnes norunt, sed quomodo producitur, disceptatur. Nihil aliud est, quam crystallizatio partium salinarum & terrestrium, quotidie magis magisque accrescentium, tandem corpus lapidi aut calculo simile constituentium. De hisce videantur *Institutiones*. Calculus quid.

Quidam colorem habent rubicundum, album, gryseum. Quidam duri, alii facile friabiles sunt. Figurâ sunt angulares, superficie inæquales, rotundi, magni, parvi, mediocres: in membrana contenti vel non. *Locus* ubi primo nascitur, mihi renes videntur: nam in vesicâ diversorum humorum non est concursus: nisi ponas ab altero rene plus acidi, quam ab altero separari posse, à quo fortè plus salis deponeretur, hinc ex utriusque concursu concretionem fieri posse non est impossibile. Sed tamen illa opinio adstipulari non potest, quoniam sanguis ad utrumque renem pulsus, ejusdem existit mixturæ, & per consequens non tam partium heterogeneiarum, ut inde effervescentiæ concitari possent; sed fortè prius in ipsis renibus, ex acini glandulosi obstructione, exiguus calculus ibi concretus per ureteres (ut nephriticis fit) in vesicam descendit, qui ob diutinam moram, continuò ab appulsione salinarum partium accrescit, atque tandem magnitudine augetur.

Ut tamen non nihil de arenularum genesi dicamus, & postea de renum, sciendum; Sanguinem ex arteriis in renes ferri, qui si fuerit nimis crassus, nimis salsus & acidus, hoc est muriaticus, acini renum glandulosi obstruuntur: interim quidquid tenue & liquidum sensim ad vesicam pellitur, sed crassum, in acinis istis manet; cujus particulæ ob fluidi defectum invicem appropinquant & quia illarum superficies polita est, facile, ut duo marmora, sibi adhærent, atque per consequens crystallizantur, quarum particulæ primo arenulas repræsentant, verum quia aliæ atque aliæ continuò accedunt, augentur & majores fiunt. Porro quia partes, in quibus crescunt, dilatantur, ideo tandem rumpuntur, & corrumpuntur, at- Arenarum Genesis.

que in ureteres pelluntur, quæ aliquando non sine cruore eminguntur. Materia est instar lapidis aut calculi, quia inter crystalli poros aliæ quædam particulæ terrestres remanent, iisque inhærent, hinc coloris obscuritas.

Ob parcam potus assumptionem, salsedines etiam non eluuntur. Nam quando multum salis in pauco liquore solvitur, paucum tantum solvetur, & reliquum in crystallos abibit, quod chymicis ignotum non est, qui lixivia evaporant donec pellicula supernatat, deinde reponunt alibi, & in crystallos abit.

Licet pluries ex renibus in vesicam ejusmodi arenulæ deponuntur, inficias tamen non est eundem, etiam intra membranas vesicæ lapides reperiri, quæ in glandulis vesicæ eodem ut in renibus more concrescunt. Hinc rupta membrana subitò erumpunt, atque sic derepentè quidam calculosi fiunt, qui antea nunquam de calculo conquesti fuerunt.

Passio nephritica, & urinæ sabulosæ præsagia sæpe sunt crescentis calculi. 2. Urina cruenta, vel quæ filamenta tenacia continet. 3. Sæpe alba, viscida, diaphana aut cruda, & turbulenta, aut si post aliquot horas matracii fundo adhæret. 4. In vesicæ cervice dolor, qui in fine mictionis exacerbatur. 5. Prurigo circa præputium & partes genitales, quæ ab ægro continuo scalpuntur. 6. Grave pondo in perinæo & supra vesicæ collum, præsertim si calculus fuerit magnus. 7. In calculis magnis mingitur cum dolore ac si quis esset in partu: aliquando cum dolorosâ strangurià. 8. Supra vesicæ collum, si calculus jaceat, urina est suppressa. 9. Virga continuò erigitur. 10. Continua ad mingendum & dejiciendum propensio, idque propter musculorum ani & cervicis vesicæ communionem. 11. Ægri sunt inquieti, non potentes in uno loco manere. 12. A medicamentis diureticis ingravescit dolor. 13. Inter ambulandum dolorosi sunt, & videntur sese quasi corrugare. 14. Ob calculi gravitatem, umbilicus dolet, cum ejus ligamentum, vesicæ fundo adhæret. 15. Sartorum more libenter sedent, nam calculus tunc loco mutatur, & mictio facilior est. 16. Interdum sentiunt calculum ab uno in alterum locum moveri. 17. Certus & optimus modus est, cathetere immisso, explorare, uti & digitis in anum aut mulierum vaginam simul immissis, unde non tantum calculi præsentia, sed & magnitudo comperitur, verum non est absque dolore: ideoque hoc non tentatur, nisi instante operatione. Inveniuntur nunc temporis Lithotomi experti, qui absque cathetere aut dolore excitando, calculum nôrunt investigare, idque in omnibus cujuscunque ætatis aut sexus. 18. Quando dolor inter currendum sursum ac deorsum eundum, aut equitando & curru augetur etiam certum est calculi indicium.

Calculi minores, per urethram non raro expelluntur, idque facilius in fœminis quam viris; fœminino sexui enim brevior & amplior via est. Verum quo acutiores ac majores, eo expulsio dolorosior ac periculosior. 2. Tophacei facilè friantur, ast duri difficillimè aut nunquam. 3. Mollioris conditionis cathetere aliquando comminuuntur. 4. Obstructâ urethrâ; non parum doloris

doloris patitur. 5. Hæreditarius putatur nunquam sanari posse, calculo enim exempto, alter denuo generatur. 6. Inter membranas vesicæ cretus, melius est & prudentius non eximere, alias enim certa est expectanda mors. 7. Calculi quidem franguntur, si plures sint quam unus, ob continuam attritionem in vesicâ, ast raro aut potius nunquam medicamentis acribus. 8. Intra membranas conclusi, non eminguntur. 9. Calculum ex vesicâ dilatando ducere, in fœminis non semper convenit. 10. Lithotomia periculi plena, præsertim in cacochymicis. 11. Vulnere ab imperitis tractato, sæpe æger non evadit. 12. Post institutam sectionem, aliquando urinam continere nequeunt.

Primo sunt remedia investiganda, quibus calculus frangitur Lithontriptica dicta, & si iis nihil proficitur; (credo enim ejusmodi calculum confringentia non dari, quidquid circumforaneorum turba clamitat) ad Chirurgicam operationem est deveniendum; &, extracto calculo, procurandum ne plures generentur.

Atque illa saxifraga sunt vel interna vel externa. Interna habentur in nostrâ *Praxi capite de Nephritide*, quibus sequentia addi possunt. Ut aqua ex cæpis & allio pro potu quotidiano. Vel eorum cum cibis usus, quod per aliquot tempus est continuandum. Item silices in vino rhenano extincti. Usus calculorum ex hominibus sectorum aut mictu excretorum. Vel

Recipe Millepedum, *drachmam unam* vel *scrupulos quatuor.*
Sem. Cumini Asinini, *scrupulos duos.*
Aquæ Vitæ, *unciam semis.*
Juris Cicerum Rubrorum, *uncias decem.*
Misce.

Assumatur quinque horas ante prandium: estque remedium inter optima censendum. Vel,

Accipe Salis Tartari, *unciam unam.*
Decocti Petroselini,
Vini Hoglandici albi, *ana uncias decem,*
Tinct. Arantiorum, *drachmas duas.*
Filtratum detur cochleatim. Vel,

Sume Stercoris columbini, *uncias sex.*
Spir. Vini, *quantum sufficit.*
Extrahe Tincturam, & filtratum detur usui.
Sumatur subinde cochlear unum aut alterum. Vel

Recipe Allii, *uncias octo.*
Cæparum, *uncias quatuor.*
Cumini asinini,

Millepedum,
Salis armoniaci, *ana uncias duas.*
Fol. Abſinthii latifolii, *manipulos duos.*
Vini Malvatici, *libras octo.*
Spir. Cornu cervi rectificati *unciam ſemis.*

Miſce fiat Tinctura, quæ etiam deſtillari poteſt, ut palato gratior evadat.

Remedia externa ſunt injectiones ex gramine cum radicibus; Tinctura foliorum Theæ &c. Theæ aut Coffeæ ſorbitiones internè propriè quidem attenuent ſanguinem, & per conſequens major quantitas urinæ ſeparatur quam antea, quare multum quoque ſabuli expellitur, verum calculus ipſe neutiquam frangetur, quidquid alii crepant. Hiſce nihil proficientibus, ad Chirurgicas operationes deſcendendum, quæ conſiſtunt in *dilatatione* aut *ſectione.*

Si calculi non ſunt admodum magni, tunc urethra in utroque ſexu inflanda eſt, & connitendum ut calculus urethram intret, deinde exugitur, aut cucurbitulis cæcis ex cornibus extrahitur; & ſi hæc non procedant virga ab inferiore parte eſt aperienda, ut hoc modo per ſectionem foras ducatur, deinde vulnus ſanatur balſamo copaybæ aut peruviano, aut ſulphuris.

Catheter flexilis. *Helmontius* levaminis gratia catheterem præſcribit flexilem ex corio, aut ex tænia. Alii præparantur ex anguillæ cute; ſed Leidæ apud Dom. *Mutſenbroek* ex filis argenteis concinnè fabricatis, qui hodie uſu veniunt, vidi, ſed tantum in depromenda urina. Facile flectuntur, idque ſine dolore, etſi quadrageſies unico die, in veſicam protrudantur, quamvis primis quidem vicibus nonnihil doloris, circa ſphincterem inſuetum pariat, atque ſic extracto conductore ex balænæ gingiva, aut filo argenteo educitur urina, & ſi viſum eſt, per eundem liquor injicitur quoties viſum. Atque ſic lithotomia diu ſuſpendi poteſt. In fœminis ſint breviores quam in viris.

Modus cathetriſmum inſtituendi. Modus cathetriſmum inſtituendi hæc eſto: ſiniſtrâ manu virga præhenditur, & urethra nonnihil comprimitur, deinde catheter oleo litus immittur, ſed oportet ejus convexitas abdomen reſpiciat; atque ſic leniter intruditur, donec ſub oſſe pubis venerit, ubi invertitur, eo modo ut ipſius extremitas collum veſicæ tangens, veſicam intret, deinde ſtylo cum epiſtomio retracto, urina copioſè depromitur. Hæc omnia ſunt prudenter inſtituenda, ne hæmorrhagia & dolores concitentur.

Eſt & alius modus: pene verſus abdomen ſublevato, catheteris utraque extremitas abdomen reſpiciat, ſicque recto ductu leniter propellendo veſicæ immittatur, atque ita catheteris inverſio, uti antea dictum, non requiritur. Atque ſic patiens ipſe facile catheterem immittere poteſt. Catheteres in ea parte ubi flexura eſt foraminulis quibusdam pervii ſint oportet. Introducto inſtrumento, ſtylus extrahitur, & urina copioſè promanat.

LA-

LABORANS STRANGURIA ET CALCULO CUM SPECILLI SÆPE FALLACIA.

QUidam ſtranguria laborans cum ſubſidentia materiæ tartareæ, diureticis refrigerantibus & lacte caprillo quaſi ſanatus, cathetere immiſſo nullum præſentis calculi ſignum præbuit, & poſtea & curru & equo ſine magnâ moleſtiâ iter habuit, dum vero tandem tabefactus obiret, veſica aperta calculum magnitudinis ovi gallinacei, nec mucoſitate nec membrana aliqua involutum, in ſui cavitate commonſtravit.

INFIDA CALCULI SÆPE PER SPECILLUM EXPLORATIO, CUM RENUM CALCULO.

MAtrona, quæ cum diu calculorum doloribus, non tantum afflicta, ſed quaſi contrita fuiſſet, de Medicorum ſententiâ (renuentibus licet aliis) calculo veſicæ laborare creditum eſt, atque ea propter exploratio à peritiſſimo Lithotomo inſtituta, qui primâ vice calculum ſibi occurrere, ſed muco ſeu membrana veſtitum affirmavit, ita ut opinatus fuerit calculum veſicæ parietibus impactum, & immobilem, membrana ejuſdem interiori contegi; poſt tamen aliquas injectiones detergentes exploratio inſtrumento rurſus adhibita; idem ille jam in calculum nudum, in quem etiam cum ſenſibili atque evidentiſſimo illideret, ſe incidere pronunciavit: ſic itaque omnia ad extractionem in tempeſtate commodâ, methodo ordinariâ peragendam parantur; interea tamen moritur ægra, præ morbo inducias agere neſcio, & cruciatus novos, quaſi totidem malignos, atque nimis funeſtos fœtus in dies pariente.

Cadaver aperitur, cumque ad vias urinarias perventum eſſet, ren dexter calculo minoris caſtaneæ magnitudine, multoque pure, ſcilicet ad uncias circiter octo, obſeſſum reperitur, veſica vero urinaria omnino vacua, & per fibras ſuas, præ irritatione & acrimonia fera, ita contracta, ut in cavitatem ſuam vix fabam majorem admitteret.

Generoſiſſimi cujusdam è Veſica calculus extrahitur duarum unciarum pondere. Sed vix juſto, convenientique modo reponitur æger, & ecce, dolores pungentes circa regionem veſicæ ſuboriuntur, eo uſque ut nox prima poſt ſectionem laborioſa ſatis eſſet. Tandem una cum urina ſanguinis grumi, in Veſica concreti per vulnus rejiciuntur, quibus rejectis, nox quieta magis ſubſequitur: poſtea ingraveſcentibus magis ſymptomatis, viribus attritis, ſuccubuit.

Poſt Lithotomiam Cadaveris inſpectio, in quo etiam Veſicula fellis calculis laborabat.

VEſica fellea copioſa bile referta calculos continebat numero triginta, quorum unus inſtar caſtaneæ nucis, coloris ſubflavi: alter inſtar nu-

cis

cis avellanæ. Vesica justo crassior erat, & una cum intestino recto sphacelo correpta.

Obiit ab inflammatione & harum partium sphacelo. Liquet eum plurimis particulis acidis abundasse, nam hanc ob causam bilis fuit putrefacta, quod alias factum non fuisset, si bilis copia sua acidum superasset: ex vulnere igitur illato, acres illi humores membranosis partibus convulsiones intulerunt, unde dolores isti pungentes oborti sunt. Vasis quoque magnis dissectis, causam quoque sphacelo inducendo præbent: omnes enim totius nostræ machinæ partes, continuo sanguinis & succorum affluxu & refluxu gaudent: à quibus si destituantur, pereunt.

Cuidam omnia calculi signa videbantur adesse, nec tamen instrumento exploratorio explorari potuit.

Calculosi & Herniosi Anatome.

IN Cadavere calculus una cum vesica unam scroti partem impleverat, alteram vero partem intestina occupaverant.

Quamvis olim interdicebant ne alicui infra annos novem, & supra annos sexaginta sectioni admitteretur, nihilominus tamen in eorum sententiam descendere nequeo, ne ægri desperati fiant, sive in quâ ætate hæc fiat.

Neque anni tempora tam accuratè observanda; sufficit, aër sit temperatus, potius calidus quam frigidus. Porro æger alias sanus sit, absque febribus, lipothymiis, suffocatione uterinâ, cacochymiâ, tabe, &c. Ante sectionem sanguis temperantibus est corrigendus, & cibis Eupeptis roborandus: venæ sectio non est opus, quia satis sanguinis ex vulnere inflicto emanat. Quidam locum incidendum cataplasmatibus aut fotibus emolliunt.

Diversæ sectionum species sunt; diversas itaque proferam, ut videatur modus quo olim & quo nunc sectio instituebatur.

Quomodo Ægyptii calculum extrahunt.

Ægyptii sequenti modo extrahunt. Cannulam sumunt ligneam octo digitos longam, & uniuspollicis crassitie, hanc ad urethræ introitum ponunt, deinde illam quam fortissimè inflant, & ne iterum exeat, alterâ manû virgam comprimendo claudunt. Hoc facto foramen istius cannulæ digito occluditur, ut virga intumescat & dilatetur. Deinde Minister digitos oleo oblitos anum intrudit, & calculum in urethram premit, atque ita foras protruditur. Sed si calculi fuerint magni, operationem non successisse puto.

Franci modus.

Quidam Chirurgus *Francus* dictus, ex vesicæ fundo calculum secabat; sed est alea periculi plena Verum is modus primo in canibus institui poterat, ut experiamur, num is modus sit probatus. Et licet vulnera vesicæ esse Lethalia, secundum Hippocratis effatum, pace tamen magni Medici, novimus aliquando fuisse sanata.

Tertius modus.

Henricus Roonhuisen olim Chirurgis peritissimus Amstelredamensis, sequen-

quentem methodum nobis enarrat, hoc modo: adhuc tam per epiſtolas » quam patientes intelligimus inventionem novam & mirandam circa lithotomiam, quæ fit Burdigalæ in Gallia, à lithotomo quodam nomine *Raoux Chaſtres*, nunc vero Nemauſi commoratur: Ejus operatio fit tam in junioribus quam adultis, idque longè alio modo, quam huc uſque ſolevit. Nam poſtquam patiens ab eo, idque ipſius Methodo, cathetere eſt exploratus, abſque ullius præſentiâ, ſemi horam circiter cum patiente per cubiculum ambulat, deinde illum in gremium ipſius miniſtri collocat; qui illum ita abſque vinculis tenet; nulliſque aliis utitur inſtrumentis, quam ſolummodo cultellulo falcato; aſt nullis faſciis aut vinculis; nullam quoque vim premendo abdomini infert, inſiliendo, aut elevando &c. Ad calculum in digitum dirigendum. Minori etiam fit labore atque periculo, abque anni temporis obſervatione, aut patientis temperamenti, aut ætatis. Deinde duos in anum ducit digitos, quod facile fit, deinde digitis ad inguina calculum eo uſque premit, quam fieri poteſt, & paulo altius; tunc cultellulo prædicto obliquè, ad ordinariam quidem magnitudinem, aſt nonnihil altius aperturam facit, incipiens à latere inguinis & oſſis iſchii, atque ſic pergens ad perinæum; quæ apertura fit (in eo loco ſecundum fibrarum ductum) uti vidêre eſt, modo ad rem accuratè attenditur; parva enim, ſecundum fibrarum ductum apertio, plus enim magis indulget, & ob rupturam melius dilatari, ſi vulnus nimium ſit parvum. Vulnus enim quod requiritur in calculi eductione, melius eſt paulo parvum, quam magnum; cujus ope calculum digitis facile exprimit, abſque auxilio alterius inſtrumenti. Porro poſt vulnus mundatum, veſicæ cervicem interum in locum ſuum premit, ex quo ante erat expreſſa; atque hoc modo præcavetur, ne per fiſtulam remanentem aut per urethram urinæ ſtillicidium remaneat. Porro vulnus ordinariis faſciis obligatum, ad minimum intra ſeptem aut octo dies ſanatus eſt. Aliam inſuper legi epiſtolam, quæ de nova Lithotomiæ Methodo tractabat, in qua teſtabatur, Chirurgum illum eo tempore plus quam quinquaginta homines ſecuiſſe, annorum 20. 30. 40. 50 & 60. idque præcedenti modo: ſine ullius fiſtulæ remanentia; imo pauci aut nulli febri tentabantur, multo minus quiſpiam ſtillicidium patiebatur. Huc uſque *Roon-huiſen*.

Duo vulgo modi in uſu ſunt, primus dicitur *Apparatus minor*, qui in minoribus natu & aliquando in adultis inſtituitur. Alter vero *Apparatus* vocatur *Major*, qui ſolum adultis adhibetur. Alii duo modi.

Apparatus minor, fit ſecundum *Celſum* ſequenti modo: adſit cultellus accommodatus, forceps, lapidillus. Siniſtræ manus index & medius oleo uncti, in anum dimittuntur: niſi ob ætatem introitus eſſet nimis anguſtus, tunc indice tantum eſt laborandum; verum quia hæc in adultis ita fieri nequit, Catheteres argentei ſunt inventi, cultri inciſorii, forcipes, cochleata inſtrumenta &c. Et tunc operatio illa vocatur *Apparatus Major*: Hæ duæ ſpecies Belgis adhuc receptæ. Apparatus minor, & major.

Ut igitur minor ætatis à calculo ſecetur, hoc modo operatio procedat oportet: ante omnia parata ſint inſtrumenta, faſciæ, ſanguinem ſiſtentia &c. Eligendus tunc eſt vir robuſtus, ſedeatque facie adverſâ luce in altâ ſedili, Lithotomia in pueria.

sedili, eo in loco ubi æger est secandus: sub pedibus ponatur hypocaustum, scabellum, suppetaneum &c. Genua invicem tangant, vel quod melius, vinculo ligantur, deinde pulvinar firmum in gremium ponitur, & supra illud lumbare, seu perizoma ad deligationem. Ægri aliàs quoque tabulæ imponuntur, & ab aliquot adstantibus firmiter tenentur, & infra ipsum torale ter quaterve duplicatum, ut sanguis effluens absorbeatur.

Puero ab impediendis vestimentis liberato, operator sub axillis præhendet, & elevando pedibus ter quaterve in pulvinar durum illidet; hoc modo calculus facile in vesicæ collum subsidet: deinde nudis natibus pulvinari imponit, quod vir ille in gremio habet, ita ut lumbare tergum tangat; tunc robustus ille ambobus lacertis cruciatim puerum comprehendat. Porro manus pueri inferius ab utroque latere ad pedes ligantur, ita ut singula manus pedem habeat, tunc genua à duobus robustis ministris ab invicem teneantur.

Puero tunc maximâ ex parte natibus retrorsum nitente, atque podice à pulvinari atque lumbari libero, cui incumbebat, pulvinar Lithotomus ante puerum projicit, cui unico genu ingeniculatur: deinde quæ ad manuale suum pertinent juxta latus suum supra scammum aut sedem collocata sunt: tunc duos digitos à pollice priores oleo unctos manus sinistræ in podicem immittit, ut antea dictum, & calculum ad vesicæ collum ducit, si non succedat, abdomen premit, ut ad collum ducatur.

Tunc sumit Lithotomus cultellum suum incisorium, & alius minister virgam sursum elevat, tunc aptum eligit locum infra os coxendicis, sesquidigitum aut duos, eo loci ubi lapis digitis sentitur, & digitum unum ad perinæi latera; quod non fit unicâ sectione, verum quoniam cultellus anceps est, leniter sursum ac deorsum secando, vulnus tantæ amplitudinis fit, ac magnitudo calculi judicatur, potius ad æqualem proportionem, quam si amplitudine excedat. Interim calculus immobiliter digitis teneatur, ne de loco mutetur.

Viâ patefactâ digitum dextræ manus indicem in vulnus trudit, & calculi magnitudinem demetitur: quod etiam instrumento fieri potest. Tunc lapidillum sumit inque aperturam mittit, & pone calculum idem ducit, ut lapidem in forcipis capacitate arripiat, forasque ita vehat, continuo digito calculum tenendo, ne exiliat. Educto lapide, tentandum num plures sint calculi, & enitendum ut sensim extrahantur.

Extracto lapide, deligatio hoc modo procedit: vulnere ab aëris injuriis tecto, lumbare sumit, cui puer incumbit, illumque supra umbilicum & ventrem ducit, firmiter ad invicem trahendo, abdomenque calefacto spiritu vini fricando, & defensivo emplastro applicando, cum linteo quater duplicato; tunc infra aperturam mollem turundam ponit, optimo defensivo unctum, huic alia plana imponitur, albumine ovi & alumine humefacta. Atque hæc fit ex lino grosso aut stupâ, & ambæ insuper alio linteo duplicato supra vulnus comprimuntur ac duabus longis fasciis linteis vinciantur, quæ superius lumbari affiguntur, & inter femora & nates unicâ contorsione, quæ accuratè stupæ apici correspondet, conjunguntur, deinde aciculâ supra

ſupra duplicatum linteum affigitur, & faſciæ, ſingulæ in uno latere, iterum ſupra anteriorem abdominis partem lumbari duabus magnis aciculis affiguntur, cavendo ne deligatum à vulnere deflectat. Vulnere tali modo obligato, æger lecto calefacto committatur, ſeſeque quietem ſervet oportet, nam deligatum ſolveretur; hinc pedes & genua plerumque convinciuntur, nam ſi crura eleventur, tunc vulnus hiaret. Et ſi iterum ſanguinem fundat tunc farinâ triticeâ aut hordeaceâ ſiſtitur. Item fungo orbiculari ſive *boviſt*, vel alio pulvere ſanguinem ſiſtente.

Puerorum Lithotomiâ deſcriptâ, etiam demonſtrandum venit, quomodo in adultis peragitur. Explorato bene calculo, ægri tunc in cubiculo, ubi commorantur, aliquantulum ambulant & ſaltant, ut calculus facilius deſcendat. Interim ſupra tabulam longam ponitur ſedes, quæ ita firmari debet, ne loco moveatur, dorſo & mattâ Tabulæ innitens, cui aliquot pulvinaria inſternuntur; eodem ferè modo ac parituris ſtruitur. Tunc patiens tabulæ imponitur cum pulvinari ſub natibus, & dorſo in dorſum ſedis incumbit: eo tempore manus ei & pedes conſtringuntur, ut antea dictum. Deinde à duobus robuſtis viris ab utroque latere firmiter tenetur. A tergo adhuc alius eſt, qui patientis thoracem tenet. Abraſis à pudendo pilis, Lithotomus genu unicum ſupra pulvinar ponit, cum tergo lumini adverſo. Lithotomia in adultis.

Porro Catheterem per urethram in veſicam immittit, & calculum uſque ad veſicæ collum ducit; illum tunc retrotrahit, & ducit in ejus locum conductorem ſuum uſque ad veſicæ extremum, illum cum ſulco extrorſum converſum miniſter quartus tenet, ſemper nonnihil premendo: poſt hæc ancipitem ſumit cultellum, ſecando dextrâ aut lævâ manu accuratè ſupra conductoris ſulcum; quod bene obſervandum; manu jam, quæ non occupata eſt, cutim dilatat & muſculos quantum fieri poteſt, ut oculis vulnus pateat, ſecando, ut ſupra dictum, ſurſum & deorſum.

Hiſce peractis conductorem educit, & ut vulnus apertum maneat duo bacilli ex argento inducit uſque ad vulneris fundum, ſed foris ſingulis eſt annulus digitum admittens, atque ſic deinceps reliqua operatio peragitur. Hac in re ſeſe accommodat ſecundum conjecturam magnitudinis calculi. Si ſuſpicetur eſſe parvum, lapidillo rem tentare nititur; ſi hoc non ſuccedat, utitur cochleâ in extremitate rotundâ & acutâ, quæ ut ſimplex ferrum rotundum immittitur, cujus manubrio ad invicem preſſo, roſtra anteriora hujus inſtrumenti ſe aperiunt, quæ immiſſa erant, atque hoc modo vulneris labia dilatantur eo uſque ac pro calculi exitu, neceſſe judicatur. Vulnere per cochleam aperto, dextrâ forcipem ſumit, in roſtro rotundo, modum ac ſi duo eſſent cochlearia, roſtrum anſerinum referentem: hac conatur calculum apprehendere, ſervando ſemper vulnus cochleâ apertum, cavendo tamen ne fiat dilaceratio, tunc enim melius eſſet ſecare: forcipe veſica non eſt lædenda, neque præhendenda, unde varia ſymptomata.

Magnitudine ſi excedat calculus, laborandum ut in fruſta confringatur, & fruſtillatim extrahatur. Et ſi præ magnitudine extrahi nequeat: per urethram cannula argentea in veſicam eſt ducenda, ut urina emulgeatur; aut

in perinæo apertura fit uſque ad veſicæ collum; ut lotium per cannulam immiſſam reddatur.

Lithotomia in fœminino ſexu.

Quoniam in fœminino ſexu Lithotomia paulo differt, breviter, quomodo peragitur delineabimus. Eodem modo fœminæ ac viri vinciuntur, & urethra iis ſpeculo matricis ſenſim dilatatur, per cujus aperturam calculus extrahitur. Aut unctis digitis, vaginæ immiſſis, lapis verſus urethram premitur, ut à lapidillo præhenditur. Sed aliquando lapis adeo magnus eſt, ut per dilatatam urethram nequeat educi, tunc digiti vaginæ immittuntur, ut calculus uſque ad veſicæ collum adducatur, ſupra quem per vaginam, & veſicæ collum, ſecatur, cultello vaginam dilatando, deinde in circumferentia colli veſicæ aut urethræ, interim ſerum effunditur. Vaginâ ac urethrâ primo oleo per ſiphonem lubricatâ, conductor urethræ intruditur, cavitatem verſus vaginam convertendo, deinde oblongo cultello ſecatur, ſecundum longitudinem lævæ manus, quæ in vaginâ eſt. Tunc foramen inciditur ac pro calculi magnitudine requiritur, cultello rectâ perſecando.

Vulnera emollientibus & detergentibus ſunt procuranda, uti cum *Tincturâ Theæ*, Decoctionibus ex Malvâ, Parietariâ, Violæ & Althææ Foliis, Alchimillâ, Saniculâ, Agrimoniâ, Veronica, Roſarum Rubrarum Floribus &c. Vulnus interim tractandum, ut poſtea de vulneribus dicetur. Operatio illa melius videndo addiſcitur, quam legendo ideo raro aggreditur, niſi ab iis, qui ſæpe adfuerunt.

Caput XXIV.

DE URINÆ INCONTINENTIA, POST CALCULI SECTIONEM.

Urinæ ſtillicidium.

POſt ſectum calculum aliquando Urina contineri nequit, ſive ob vulneris labia calloſa, aut ob diſſectas veſicæ ſphincteris fibras motrices, aut ob earundem, ex nimiâ dilatatione in fœminis, paralyſin &c.

Labia vulneris calloſa, cruribus elevatis, ſunt ſcarificanda, ut cruda & ſanguinolenta appareant, deinde digeſtivum applicatur, & vulnus, ut alia vulnera conſolidatur. Illud ſtillicidium ſæpe poſt urinam acrem remanet, quare & labia corroduntur & calloſa redduntur, tunc abſtinendum ab omnibus cibis & potibus acrioribus. Deinde adhibendum bracherium cum pulvillo comprimente, poſtquam ſcarificatio &c. præceſſerit, atque ſic urinæ exitus præpeditur.

Si id ex paralyſi aut relaxatione fibrarum colli veſicæ fiat: tunc urethra etiam bracherio occludi debet, quod ita factum eſt, ut urina in veſica remaneat, donec neceſſitate urgente; ea evacuetur, illudque cochleatis inſtrumentis fieri ſolet.

Hoc

Hoc tantum in viris locum habere poteſt, non autem in fœminis, quia earum urethra comprimi nequeat: ideoque inſtrumentum veſicæ in modum, quod ſubligaculo annectitur, pudendoque admovetur parari poteſt, quod exſtillantem excipit urinam.

XXV. Caput.

DE HERNIA INTESTINALI, OMENTALI, UMBILICALI, INGUINALI &c.

HERNIA INTESTINALIS, RAMEX, ENTEROCELE, BUBONOCELE, HERNIA INGUINALIS &c. nomina ſunt unius ſignificationis, nihil aliud eſt quam extuberantia ſive relaxatio peritonæi, qua inteſtina è debitâ ſede extrorſum protruduntur, quæ viris, infantibus atque fœminis familiaris eſt.

Ob varias ſpecies variæ habentur differentiæ, ſuperior eſt in umbilico, per quem non tantum inteſtina, ſed & omentum foras truduntur: inferius eſt *inguinalis* ſive ſupra pudendum, aut *ſcrotalis* in ſcroto. In fœminis raro infra os pubis, ſed ferè ſemper ſupra idem: etiam eſt vel cum peritonæi diruptione, vel ſolummodo cum dilatatione. Communis locus, ſunt inguina, aſt quoque in aliis locis raro ſupra umbilicum: niſi poſt inflictum vulnus; nam ſanato vulnere, facile ab inteſtinorum preſſione peritonæum dilatatur, quia diſſectum peritonæum difficile coaleſcit; & ejuſmodi caſus infra umbilicum eſſe poſſunt. Hernia Inguinalis & ſcrotalis.

Solebant olim affirmare in hominibus eſſe peritonæi proceſſus, qui ſuis aperturis ſeu vaginis in ſcrotum deſcendebant, verum illi potius in brutis, quam hominibus conſpiciuntur: nuperrimè tamen contigit in viro, judicis juſſu ſuſpenſo, in altero latere me vidiſſe proceſſum, qui uſque in ſcrotum deſcendebat, aſt in altero latere nullus, & exinde conjicerem illum in juventute Herniâ laboraſſe, in quâ inteſtina in ſcrotum erant prolapſa, quæ bracheriis repaguli inſtar fuerat compreſſa. Porro Herniæ locus etiam eſſe poteſt juxta, infra, & ſupra umbilicum: item à parte poſteriori; vel quando non in ſcrotum, ſed extra hoc in partem muſculoſam femoris reſedit. Item, dum peritonæum prope ſpinam dorſi ruptum dat Herniam. Num dantur proceſſus peritonæi in hominibus.

Cauſæ poſſunt eſſe ea omnia, quæ peritonæum dilatant: ut ſunt infantium ejulatus nimius; vehemens vomitus; hoc enim modo diaphragma vi magnâ deorſum premitur, & conſequenter omnia viſcera abdomini contenta: quæ iterum peritonæi membranam comprimunt, dilatant, cujus nimia dilatatio *Hernia* vocatur. Porro excrementa indurata, quæ ut expellantur, alvus eodem modo nimium comprimitur. Fortis tubæ &c. inflatio; tuſſis continua; ſaltatio; caſus, verbera, ponderis gravis elevatio; per intervalla longa greſſus; quando infantes ventre gerentium brachiis, Hernia quid.

chiis, præsertim ventriculo pleno incumbant; jugis ambulatio & erecta statio nimis longa, præsertim post prandium largum aut cænam; equitatio. Hæc omnia ventrem expandunt, & per consequens eo loci facile dilatatur, ubi per quam debilis est. Ileum intestinum sese aliquando in dilatatum peritonæum insinuat. A tendinibus musculorum obliquè ascendentium dilatatis, Ileon in eorum dilatatâ cavitate non raro sensim admittitur; deinde constrictio sæpe tam arcta evadit, ut ferè impossibile sit, præter quod externis nequeat restitui: atque tunc mors appropinquat. Prudentes quidam Chirurgi, crus aut pes decumbentis patientis elevant, & hoc modo constrictio illa relaxari videtur.

Quæstio esse potest, num in inguine habeatur Hernia an Bubo. Doctiss. & Expert. Dom. *C. Stalpart van der Wiele* in suis observationibus, sequentem proponit διαφορὰν. Sequuntur viri Excellentissimi verba:

Ut strangulatam Herniam, quæ needum in scrotum est delapsa à bubone pestilentiali internoscamus (quoniam in utrisque ἐπὶ τὸ πολὺ, adesse solet Febris, Præcordiorum anxietas, vomitus & inguinum tumor) sciendum, Pestilentialem bubonem ex communi observatione, esse rubri coloris, neque se tam subitò manifestans, ac intestinalis Hernia, quamvis fateri cogor, à tali Herniâ, tempore, inflammationem posse produci: & Herniæ tumor propriè non est in inguine, sed paullo supra.

Quoad Bubonem Venereum, ab Hernia Venerea ex hisce discernitur, quod nempe Hernia ab ἀρχῆ mollem repræsentet tumorem, ubi tamen venereus bubo in principio durus sit ab omni parte (*à tendinibus nempe*) strangulatum, idem, si patiens in dorsum supinus decumbat, iterum introrsum delabetur, & surgens, iterum prolabitur, quod in Venereo non contingit bubone.

Hæc Clar. ille Medicorum Coryphæus. Varii casus docent bubonocelem à solo terrore fuisse inductam.

Hernia Intestinalis. Testiculus si fuerit à nativitate intus conclusus, isque elabatur, aliquando intestina insequuntur, unde *Hernia intestinalis.*

Umbilicalis, omentalis. *Hernia umbilicalis* aut *Omentalis* sæpe ab iisdem causis dependet, quando post nativitatem umbilicus non bene fuerit clausus; vocatur & *Exomphalos* & *Epiplocele*, verum in hac Herniæ specie raro omentum est accusandum, sed potius intestina subjecta atque prementia, sed per consequens quidem omentum prolabitur, quod anteriorem partem obtinet: illud non raro fœtum gerentibus evenit, ut & post partum difficilem, tunc enim intestina sursum truduntur, atque umbilicum prominere faciunt.

Signa sunt rotundæ protuberantiæ, quæ premendo non statim resiliunt, ast moto peritonæo, priorem iterum capit sedem: Dolor est tolerabilis, nisi ab excrementis aut flatibus. Si flatus in causâ sunt, totum peritonæum est inflatum & expansum: ast ab excrementis induratis, alvus est summè adstricta: rupto peritonæo, subitò magnus tumor oritur, Raro tamen contingit, verum ut plurimum tantum dilatio est. Intestinis in scrotum lapsis, reducendo dolor fit cum sonitu: peritonæo magnoperè rupto, dolor in-

ingens eſt, aſt non item in principio. Hernia omentalis palpando mollis eſt lanæ inſtar, aſt difficulter reducitur.

Diſrupto peritonæo, curatio difficilis eſt & longa. Quo tardius ad curam pervenitur, eo pejus. Infantibus ac junioribus facilius quam adultis præſertim ſenioribus reſtituitur: quo Hernia minor, eo melius, præſertim rupto peritonæo. Si abundent flatus, non ſine dolore eſt; & ſi paroxyſmus procraſtinetur, ſequitur inflammatio, gangræna, ſtercorum vomitus, imo & ipſa mors.

In Herniis timor eſt morbi iliaci, quoniam cauſa irritationis adeſſe poteſt, & ſi nimis à vicinarum partium preſſione anguſtentur, excrementa, ob perverſum motum vermicularem ſurſum truduntur. Secundo, inteſtinis ita compreſſis, inflammatio, ulcus, gangræna &c. inſequi poſſunt, ita ut ſæpe ſtercora ſibi exitum per umbilicum quærere coguntur.

Primo curandum inteſtina elapſa intrudantur, deinde faſciæ, bracheria &c. ſunt admovenda, ne iterum excidant.

Hernia ſi fuerit parva, decumbat patiens in tabulam, lectum, aut alicujus gremium, capite reclinato, natibusque elevatis; deinde crura ab invicem deducat; tunc inteſtina vel omentum leniter ſunt introducenda; in- introductis Emplaſtrum huic incommodo conveniens imponitur. Ut *Emplaſtrum ad rupturas Fernelii*, *Stichticum crollii* &c. vel

Recipe Picis navalis, *uncias octo.*
Aloes,
Olibani,
Maſtichis, *ana unciam ſemis.*
Colcotharis Vitrioli, Boli Armenæ *ana drachmas tres.*

Miſce fiat pulvis.

Excipitur pulvis mucagine radicum ſymphyti majoris, aut ovi albumine, & loco Hernioſo applicatur. vel

Recipe Corticum querci, *uncias duas.*
Boli Armenæ,
Sarcocollæ, *ana unciam unam.*
Calcis lotæ, *unciam unam & ſemis.*
Thuris,
Vitrioli Martis, *ana unciam unam.*
Terebinthinæ, *quantum ſufficit.*

Miſce fiat Emplaſtrum.

Hiſce & ſimilibus impoſitis, locus læſus faſciis eſt conſtringendus, aut bracherium eſt gerendum, eâ intentione, ne quid iterum excidat. Illud per annum integrum quidem eſt geſtandum, aut diutius, pro herniæ magnitudine: alternis aut ternis ſeptimanis eſt renovandum: ideoque cu-

 randum,

randum, ut ad minimum duo præſto ſint, præſertim infantibus, qui illud lotio &c. commaculant.

Obſervatio. Ante aliquot annos Juris quidam ſtudioſus me compellabat; ei teſticuli ſemper intus latuerant, tandem unus extrorſum prorumpebat, unde vaſculorum, nervorum, &c. ad teſticulum euntium dolor continuus; ſuaſi Bracherium geſtaret, teſticulumque iterum introrſum truderet, quod fecit, & dolor evanuit. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, atque hæc ita ſe habebant.

Intruſio fieri ſi nequeat, alia duo media ſunt reliqua. Prima eſt, ut pars quædam à peritonæo abſcindatur: & altera ut teſticulus cultro amoveatur, quæ operatio non eſt inſtituenda, ſi priori modo fieri poſſit. Ideoque circumforanei vulgares non ſunt temerè credendi, qui audacter caſtrationem aggrediuntur, hæc enim à Doctioribus ſunt prius examinanda. Quidam *urunt*, alii *Puncto aureo* utuntur, aut *corroſiva* imponunt.

Per uſtionem. Quoad *uſtionem*, ea non eſt ſuadenda, propter operationis incertitudinem. Quoſdam itaque modos ſecandi hic deſcribemus.

Per ſectionem. Menſæ imponatur æger, eo modo ac de calculi ſectione dictum, tunc in ſuperiori ſcroti parte inciſio fit, abſque tamen inteſtinorum læſione. Poſt hæc cannula ſumitur argentea, craſſitie calami anſerini, ab unâ parte cava, & ab alterâ vero rotunda: ea deinde vulneri intruditur, ducendo eam ſecundum peritonæi dilatationem, ad aperturam poſtea faciendam, idque ſecundum cannulæ dictæ cavum, ne cultello raſorio inteſtina incidantur. Vulnere ſatis magno exiſtente, leniter inteſtina ſunt intrudenda, & vulnus eſt ſtatim ſuturâ, conſuendum, atque dilatatum peritonæum, quantum fieri poteſt, attrahendum, ut hoc modo ſtringatur, ne inteſtina poſtea iterum excidant: ſi contingat inteſtina, ſive à fæcibus induratis aut alias nequeant reſtitui: neceſſe eſt ut peritonæum dilatatum ad inteſtina uſque ſectione aperiatur: dicta cannula in proceſſum immiſſa, ſurſum eſt elevanda, ac ſectio ab inferiori parte verſus abdomen eſt inſtituenda, ea magnitudine, qua inteſtina commodè poſſint reduci. His peractis, vulnus debito modo eſt conſuendum, elevando proceſſum, ut via eo reddatur anguſtior, deinde vulnus ſecundum artem eſt tractandum.

Per punctum aureum. Per *Aureum punctum*, ut vocatur, hoc modo fieri ſolet: operatio illa inſtituitur quando prior ſectio incaſſum eſt tentata. Quando peritonæi dilatatio admodum fuerit magna, æger, ut antea dictum, collocatur, deinde cutis inciditur & inteſtinum prolapſum ad interiora pellitur, idque manu oleo recenti unctâ, deinde vaſa teſticularia uti & peritonæum dilatatum à vicinis cohærentiis inſtrumento eburneo aut unguibus ſunt diſſolvenda: deinde acus, filum aureum trajectum continens, per ipſius proceſſus latus propè inguina, declinando vaſa teſticularia transfigenda atque filum eo uſque conſtringendum, ne per clauſam viam, inteſtina elabi queant. Laxa tamen fiat conſtrictio, ne ſanguinis circulus per vaſa teſticularia inhibeatur. Deinde fili extremitates ita forcipe ſunt intorquendæ, ne ab illis partes vicinæ lædantur. Poſt hæc ne inteſtina iterum excidant, atque proceſſus magis anguſtetur, ſupra aureum filum aliud ſericum ceratum, aut tænia lintea, cujus extremitates ex vulnere propendent, circumducitur. Deinde

vul-

vulnus digestivo, aliisque requisitis sanatur & faciis retinetur: sed illud tantum in adultis fit, non vero in junioribus, quia illi facilius subligaculis restituuntur.

Loco fili aurei alii plumbeum sumunt, quod semel circum peritonæi processus circumducitur: atque is in tantum angustatur ac fieri debet, neque nimis laxè neque nimis strictè: illud tamdiu in vulnere manet, donec Hernia esse desiit; quod deinde solvitur, atque vulnus ad cicatricem perducitur. **Per filum plumbeum.**

Modus *per corrosiva* hoc modo fit: Ponitur æger, ut ante supinus atque intestina intus pelluntur, deinde testiculus tam altè sursum versus os pubis truditur ac fieri potest, qui locus à vasis testicularibus nonnihil est separatus, tunc testiculus manu præhenditur, atramento deinde supra testiculum locus signatur; postea dimisso iterum testiculo, signaturæ imponitur corrosivum, quo usque ad os penetratur: ablatâ escharâ, processus iste peritonæi in tantum est auferendus, ac fieri potest: & apertura iterum secundum artem clauditur. **Per corrosiva.**

Si testiculus sit auferendus, secundum scroti longitudinem sectio fit, deinde ex vulnere inflicto testiculus cum peritonæi processu trahitur, separando eum à testiculo: tunc vasa testicularia filo constringuntur, idque in tam altiori part equam fieri possit; forcipe tunc testiculus abscinditur, atque filum aliquoties circumductum extra vulnus propendet, donec per se decidat: post hæc locus cicatrice obducitur. **Testiculi ablatio.**

Intestina in scrotum prolapsa, statim sunt intus ducenda, alias enim gangræna, sphacelus, imo ipsa tandem mors ante fores sunt.

Modi reducendi fiunt *manu* aut *sectione*. Manu, primo clyster est immittendus, post cujus operationem, si per se intestinum non restituitur, leni manu est introducendum. Ast contorto intestino, omnia remedia sunt repugnantia; itaque cogimur ad ultimam ἐγχείρησιν, nempe sectionem, devenire. Tunc supinus æger decumbat, faciendo sectionem latitudine ferè duorum digitorum supra locum clausum & angustatum, quia supra locum affectum commodè nequeat, absque intestini læsione, fieri. Vulnere ad peritonæum inflicto, æger in alterum latus est volvendus, ut intestina ab eo loco, ubi apertio fit, removeantur. Tunc peritonæum dissecatur, & digitus oleo litus vulneri immittitur, reducendo intestinum leniter in locum debitum: ast si cogimur magnum incidere vulnus, illud tunc fieri debet ad locum usque angustatum, infra digitum tenendo aut specillum idoneum, ad tutanda intestina. Si flatus abundent, quibus operatio impediri possit, acu intestinorum membrana est compungenda absque discrimine solutionis continui. Restitutis intestinis, vulnus est consuendum, eodem modo ac in abdominis suturis fit. **Modus reducendi.**

Umbilicus si promineat, atque per illum locum intestina exitum minentur, convenienti modo sunt reducenda, atque locus spleniis, laminis, emplastris, fasciis, &c. est comprimendus. Cingulum quoque Herniæ umbilicali accommodatur, quod fibulam habet, & supra umbilicum duas laminas, cum duobus inter illas plectris, ut possint inspirando & exspirando pro abdo-

minis modulo sese accommodare, alias abdomen ob multam compressionem, angustatur, & respiratio impeditur.

Umbilici protuberantia calculosa. MDCXCI. Laborabat Amita mea *Joanna Eversdyk*, *Nicolai Eversdicii* Consulis Goesani uxor umbilici tumore & simul dolore: vocavit ad se Obstetricem, quæ, umbilico examinato, ei cataplasma emolliens applicabat: disrupto tumore, excrevit calculum unum & alterum, per foramen ex ulcere obortum: atque sic singulis diebus calculi prodiere diversæ magnitudinis, idque per totam æstatem duravit: magnitudo erat varia, nonnulli pisum minimum, alii majus, alii avellanam nucem æquabant; intus erat materia tophacea, levis, & grisei coloris: exterius investiebantur corticula tenui, glabra, & subfusci coloris: angulos habebant obtusos, non acutos, quamvis non sine dolore egerebantur, atque factum, propter ulcus angustum: alias sana & satis vegeta. Cessante ulcere centum & triginta excrevit.

Quare infantibus umbilicus protuberat. Non raro infantibus, post funiculi umbilicalis delapsum, umbilicus protuberat quod aliam non agnoscit causam, quam continuus ejulatus, quo viscera deorsum & extrorsum pellunt, & per consequens in peritonæum & musculos idem investientes, atque sic umbilicus immodicè extuberat, atque eo magis, quia locus iste adhuc tener est, nam diu non fuit consolidatus.

Curatio itaque in eo consistit, curetur ut infantes ab ejulatu arceantur, quantum fieri potest. Deinde splenium ex linteo tenui & molli applicatur cum fascia umbilicali. Et si hoc non succedit, applicatur emplastrum ex corio cum Emplastro oxycroceo, aut navali pice, habent ut plurimum palmæ manus magnitudinem, & calidè umbilico imponuntur: Ejusdem ferè formæ superimpone papyrum crassam & firmam (vulgo *bort-papier*) deinde splenium cum fascia. Atque hoc modo aliquot septimanas umbilicus maneat deligatus.

Vesicæ prolapsus. Præter intestinorum & omenti prolapsum, habetur & alia, sed rara, quando nempe vesica in scrotum prolabitur, quod factum fuisse mihi ante aliquot annos narravit *Andreas Boekelman*, Chirurgus, dum viveret, dexterrimus. Vide quoque observationes Ruischianas, Anatomico-Chirurgicas.

Cantor quidam quadragenarius, Sæpius cantando in Herniam intestinalem incidit, non absque dolore, præsertim inter cantandum. Chirurgus allatus, se à cantilenis abstinere jussit, & bracherium inguinibus accommodare, quod sex annis gessit; interea temporis se curatum confessus. Post illud tempus, sex mensibus elapsis, à pleuritide tollitur.

Herniæ anatome. APerto cadavere, invenit idem Chirurgus, multum adipis in loco, ubi peritonæum fuerat dilatatum, per quod intestina deorsum premebantur, ad mag-

ad magnitudinem pilæ. Adeps iſtius dilatationis erat accretus, ut niſi laceratione circumjacentium partium divelli quiverit.

Omnia ea quæ peritonæum nimis intumeſcere cogunt, ad Herniam procurandam anſam præbent. Hernia nihil aliud ſonat quam dilatatio peritonæi, idque quovis in loco. Bracherio poſtea ita conſtrictum eſt, ut dilatatum concreverit: vaſcula tamen adipoſa ob ſummam dilatationem tantum adipis quantitatem in ſe collegerunt, ut locum antea dilatatum repleverint.

Cuidam omnia calculi ſigna videbantur adeſſe, nec tamen inſtrumento exploratorio explorari potuit.

IN Cadavere calculus una cum veſica unam ſcroti partem impleverat, alteram vero partem inteſtina occupaverant. Alia.

Cacochymicus quidam duodecim annorum, quæritur de dolore & tumore duro circa umbilicum: tandem rupto tumore ultra menſem ſtercora per illud foramen ejecit; alvus interim erat clauſa.

DIſſecto abdomine, excrementa per ventris cavitatem ejecta erant. In latere ſiniſtro colon ulcere, eoque calloſo laborabat, & inſtar ventriculi diſtentum. Circa finem meſocoli tumor grandis & prædurus fuit, qui rectum inteſtinum ita comprimebat, ut ne γρὺ quidem excerni potuerit. Fæces inteſtinis adhuc contentæ lapideam ferè duritiem acquiſiverant. Meſenterium, inteſtina & pancreas ſcirrhoſa inventa ſunt. Ulcus in ventriculi fundo fuit. Pylori carnoſa valvula ſcirrhoſa & juſto major. Vena portæ & cava ſcirrhoſitatibus & ſteatomatibus ſcatebant. Iecur exuccum & ſcirrhoſum. Occupabant quoque ſcirrhi & ſteatomata undique ipſum diaphragma. Iisdem & pulmones, cordisque vaſa, trachea & œſophagus corripiebantur. Liquorem flavum continebat ſacculus cordis, idque magna copia. In cordis mucrone tumor albus ad nucis moſchatæ minoris magnitudinem. Cauſa iſtius ejectionis per umbilicum patet ex cadaveris deſcriptione: nam tumor iſte rectum ita compreſſit, ut per anum nihil quicquam excerni potuerit; adeo ut ob excrementorum acrimoniam Colon eroſum fuerit & exulceratum, atque ſic facile excrementa in abdominis cavitatem effuſa fuiſſe credibile eſt: hæc poſtea abdomen ita diſtenderunt, ut rupto abdomine, facile eruperint. Stercora per abdomen egeſta.

Porro, ut ſæpius dictum, ex humoribus obſtruentibus, ſeu acidis & viſcidis ſcirrhoſitates & ſteatomata in glandulis aliisque partibus crevere: omnia quippe viſcera ejuſmodi tumoribus ſcatebant.

Infans, prole maſcula, fauſtaque Junone lucinâ, recens natus, tumore umbilici, nucis ferè juglandis magnitudinem adæquante, corripitur: ſed

ſed poſt triginta horas, antequam, cum eſſet ruri, Medici & Chirurgi convenerant, ad pugni magnitudinem extumuerat. Adhibitâ candelâ, inteſtina verſicolora, rupto peritonæo in eum prolapſa conſpiciebantur. A dextra parte deſuper, carnea quædam moles, inteſtina ſphacelata foras deprimens, deprehenſa eſt. Tumore, ut inteſtina reponerentur, inciſo, renitente carnea mole, ſtatim expiravit.

Herniæ umbilicalis anatome.

VItæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam. Aperto abdomine, omentum deſiderabatur. Lien exiguus admodum. Inteſtina tenuia ſphacelo correpta, per dilatatum peritonæum circa umbilici regionem, prolapſa erant. Hepar in duos lobos altè diviſum erat. Quorum alter debito loco, dextro nempe collocabatur, alter vero extra peritonæum prolapſus, eidem tam firmiter accreverat, ut cultello neutiquam ſeparari potuerit. Cætera ſine culpa.

Jecur in embryone fortaſſe non diviſum, ſed integrum, ut ſolet, primo fuit; ſed poſtea, matre vel perterrita, vel alias lapſa aut caſa, jecur, cæteraque abdominis viſcera ita concuſſa fuere, ut jecur à ligamentis ſuis ruperit; hinc molis alicujus verſus umbilici regionem deſcenſus: adeo ut ob gravitatem, non tantum inteſtina comprimebantur, ſed & peritonæum ita dilatatum fuit, ut forinſecus facile contenta conſpici poterant. Ob nimiam jecoris preſſuram, vaſcula ſanguinea, aliave inteſtinorum membranas irrigantia, ſanguinem purpureum, cæteroſque ſuccos admittere aut relegare non potuere, hinc circulatione impeditâ, inteſtina ſphacelo correpta fuerunt, & omentum procul omni dubio, jam jam corruptum.

Omphalocele in recens natis.

Anno 1682 menſe Martio infans Monſtroſus Heukelomi natus eſt. Ex umbilico protuberabat funiculus quarta & octava ulnæ parte longitudine, & minimi digiti craſſitie; cui appendebatur globulus tenui membrana inveſtititus, ea magnitudine, uti in metularum ludis (*kegel-ſpel*) ſolemus uti: atque per hanc membranam tenuem inteſtinorum motus conſpici poterat. Præter hæc, loco cranii, meninx craſſa aderat, per quam cerebri motus conſpiciebatur. Palpebræ conniventes nullam pupillæ aut alterius rei præſentiam oſtentabant. Naſus ſuperius erat tenuis, inferius vero latiſſimus & planus. Os referebat lineolam, ſed ſugere nolebat; ex ſingulis hujus lineolæ angulis duo prominebant cornua cartilaginea incurva ſeſqui ulnæ ſectiuncula longitudine. Manus bene formatæ quidem, ſed præter pollicem ſex digitos inſuper habebant. Scrotum quidem cum teſticulis habebat, verum nullum penem, neque ulla apertura. Poſt partum viginti & octo horas, ſine alimenti aſſumptione, vixit.

Leidæ 1676 ſimilen omphalocelen accidiſſe memini, ſed foramen, quo evolverant inteſtina, adeo coarctum erat, ut commodè reſtitui haud poterant. Mater hujus aliquot tempus ante partum in platea felem curru protritam viderat jacentem, cujus inteſtina ventris crepitu erant expreſſa: hac

viſâ

visâ fuit perterrita, & hanc visionem sæpius in mentem revocabat: atque sic tandem fœtum, intestina evoluta habentem, peperit.

XXVI. Caput.

DE HYDROCELE SIVE HERNIA AQUOSA.

Disrupto alterutro Uretere effluit urina, unde scrotum potest tandem distendi, quod tamen raro fit. Ast sæpe testiculorum vasa lymphatica rumpuntur, uti & abdominis, (cujus exemplum in Asciticis) hinc lympha effluit, scrotum intumescit, extenditur, & externè splendet: diciturque Hernia Aquosa seu Hydrocele. Hydrocele

Vel totum scrotum aquâ tumet, vel dimidia pars. Aut est intra testes & albugineam membranam, aut intra scrotum & testiculos: constat etiam vel ex lymphâ vel ex mero sero. Vel subitò veniunt, vel sensim. Tumor est hic æqualis, nodosus & asper. Aqua aliquando in vesicula continetur instar hydatidis, & tunc tertium mentitur testiculum.

Tumor est indolens, nisi humor ob nimiam copiam urgeat aut nimium ob acrimoniam contractam rodat: Ponderosus est, diaphanus, (præsertim si opposita parte candela sit collocata) est splendens. Humor sursum ac deorsum comprimendo duci potest.

Externæ causæ sunt contusiones, verbera, collisiones, saltationes, equitationes, & omnia illa, quibus violentâ vi vasa lymphatica dirumpi possunt. Item dilaceratio vesicæ ac ureterum; ulcerationes in abdomine vel in scroto: unde serosi humores emanant, qui tandem ob gravitatem in scrotum delabuntur; illud tamen raro contingit, nisi ulceratio intra peritonæi duplicaturam fieret, aut alias relaxaretur.

In principio facilius curatur, quam post diutinam moram; tunc enim humores fiunt acres, & testes corrumpuntur, unde gangræna, & sphacelus, quem insequitur extirpatio. Quo humor testiculis propinquior, eo pejus, quum intra membranas exteriores collectus.

Primo quædam Hydragoga sunt in usum vocanda atque salia volatilia & aromatica. Externè applicantur aromatica, dissipantia & dissolventia, & si hisce nihil procuratur, ad Chirurgicam operationem deveniendum. Emplastra applicantur & cataplasmata, ut aqua dissoluta, alibi ablegetur: ex. gr.

Recipe Emplastri de ranis cum Mercurio, de cumino, de Meliloto *ana partem unam.* Santalini *partes duas.* Misce fiat Emplastrum. vel.

Recipe Unguenti Comitis, desiccativi rubri, *ana uncias duas.* Misce.

Huic admisceri potest *oleum caphoræ*, quæ ex radicibus cinamomi destillatur, vel *caphoram* ipsam.

Cataplasmata & Fotus fiunt ex aromatibus & dissolventibus, ut sunt.

Radices Aristolochiæ , Bryoniæ , Iridis Florentinæ, cucumeris asinini. Spica indica.

Folia anethi, Chærefolii, Nasturtii hortensis, salviæ, Chelidonii Majoris, Calamentæ, apii, centaurii minoris.

Flores Sambuci, lavendulæ, camomillæ vulgaris & romanæ. Sulphur vivum. Baccæ Lauri.

Gummi Ammoniacum, olibanum, Bdellium, Myrrha, Mastix.

Semen cumini, caphora, stercus columbinum, caprinum, ovinum, vaccinum &c.

Hisce nihil proficientibus, ad scroti paracenthesin veniendum.

Scroti paracenthesis. Transversim acu triangulari filo serico instructâ scrotum transfoditur. Alii setaceum instituunt, sed non est opus, prudenter hic operandum ne testiculus vulneretur: transmisso acu, filum in vulnere maneat, quod ter quaterve singulis diebus horsum vorsum est trahendum, atque sic tandem omnis humor emanabit: ast si interim symptomata gravia doloris aut intumescentiæ eveniant, filum est extrahendum, atque ad symptomata maximè attendendum.

Alii vulnus ad digiti dimidium lancettâ aut cultro rasorio infligunt, donec humor exeat. Ast nunc utuntur acu cavâ versatili, apud *Jobum van Meek'ren* descriptâ. Etiam, per cauteria & corrosiva apertura fit. Extracto tandem humido vulnus curatur methodo consueta. Cavendum ne omnis humor, si abundet, simul exeat, præsertim si Ascitis pro causâ habetur Quando ex ruptis lymphaticis, iterum lympha in scroto colligitur, operatio iterum est instituenda, idque toties ac collectio fit; & si æger non ferat, extirpatio erit necessaria.

XXVII. CAPUT.

DE HERNIA VENTOSA seu PNEUMATOCELE.

Hernia ventosa. HERNIA VENTOSA sive PNEUMATOCELE est quando scrotum flatibus seu aëre est expansum. Tumor non est ponderosus sed levis, rotundus, rubicundus aut splendens.

Aër est causa Ventositatis. *Causæ* non sunt simplex ventus, ut vulgo dicitur, verum uti in aliis humor, caro, intestina &c distensionis Causæ existunt, ita hic aër omnem implet intercapedinem, itaque hic *tumor* est *aereus*. Nomen est inauditum ideoque παράδοξον ἄκουσμα: ast re cominus intuitâ non magis est vento scrotum distensum quam vesica aëre impleta & extensa: ideoque alia causa est excogitanda, qua scrotum ita distendi possit, quod facile in Tympanitide à convulsionibus & membranarum expansionibus, fieri potest.

Internè & externè flatus seu aërem discutientia sunt utenda, præsertim quæ dicuntur antepileptica & convulsiones abigentia. Quoad interna inspiciatur *praxis* nostra capite de Tympanitide. Atque illa constant ex aromaticis & salibus volatilibus, ut obstructiones & succorum incrassationes dissolvantur.

vantur ac ſuperentur. Externè applicari poſſunt *Emplaſtrum Vigonis cum Mercurio*, *Diapalmæ* cum alcohol vini diſſolutæ. Si externa quid emolumenti apportant, fieri id debet à particulis ſubtilibus & penetrantibus, quibus pori aperiuntur, ſucci in fluorem ducuntur, quâ viâ tandem expanſio evaneſcit, quæ ſequuntur, applicari poſſunt. ut,

Recipe Sem. Dauci,
Carei,
Bacc. Lauri, *ana uncias duas.*
Coquantur ex ſpiritu vini ad uncias viginti & fiat Fotus. vel.

Accipe Stercoris ovini, *uncias ſex.*
Sulphuris vivi, *uncias duas.*
Aloes,
Myrrhæ, *ana unciam ſemis.*
Boli Armenæ, *uncias duas.*
Mellis, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Cataplaſma.

Si non cedat compunctione opus eſt. Interim optima diæta non erit reſpuenda, idque cibis flatus diſſipantibus, vitando acida, ſalſa, viſcida, cruda.

XXVIII. Caput.

DE HERNIA CARNOSA SEU SARCOCELE.

Sarcocele ſive Hernia carnosa nihil aliud eſt, quam excreſcentia quædam ſpongioſa, aut ſcirrhus teſticulorum, teſticulis vel immediatè adhærens, vel tunicis. Sarcocele.

Teſticuli ſunt inæquales, nodoſi, duri & ſenſim magnitudine accreſcentes.

Sunt vel duri & ſcirrhoſi ſine dolore, & ad ſanitatem non perducuntur niſi extirpatione: alii non adeo duri, cum dolore pungente, qui aliquando exulcerantur & curantur.

Cauſam fuiſſe aliquando teſticulorum inflammationem, qui à pharmacis aſtringentibus indurati fuerunt: atque hoc modo ſucci continuò afluentes ibi ſubſiſtere coguntur, vaſcula immenſum uſque diſtenduntur, atque ſpeciem carnoſitatis exhibere videntur: quod in Herniâ vencreâ certum eſt. Succis enim ab aſtringentibus (olim fieri ſolebat) coagulatis, teſticulorum canaliculos obſtruunt, & quoniam ab arteriis continuò recens ſuccus adducitur, plus ſucci in canaliculis hiſce remanet, quam ad venas &c. pertranſit, hinc extenduntur & teſticuli ſummoperè augentur.

A vulnere, contusione &c. aliquando testium vascula rumpuntur, unde excrescentiæ, eodem modo ac in quibusdam ulceribus fiunt, cujus genesin in *Institutionibus* explicavimus: excrescentiâ illa in dies augescente, *Sarcosis* dicitur.

Si tumor dissipari nequeat, aut ad ulcerationem perduci, atque ægro incommodum parit, ad extirpationem est inclinandum.

XXIX. CAPUT.

DE HERNIA VARICOSA SEU CIRSOCELE.

Hernia varicosa. HERNIA VARICOSA sive CIRSOSELE nihil aliud est quam venarum testicularium dilatationes & aliquando earum ruptiones; quibus totus testiculus flexuosis & inæqualibus dilatationibus circumvolvitur, unde aliquando tertium mentiuntur testiculum.

Causa si fuerit interna, tunc venæ testiculares à visceribus aut ab excrescentiâ quavis comprimuntur, aut in ipsis venis polypi sunt, atque hoc modo præpeditur sanguinis cursus, quo inhibito venæ tument, eodem modo ac si vinculum injicitur brachio, statim etiam venæ varicum in modum tumebunt: quia arteriæ plus sanguinis adferunt, quam à coarctatis venis absorberi potest, hinc consequenter venarum parietes extenduntur, dilatantur, & in tumorem varicosum elevantur. Externæ causæ sunt verbera, casus, collisio, equitatio, &c.

In Principio aliquando dissolventibus dissipatur: ast si malum invaluit, sero Medicina paratur, nisi extirpatio adhibeatur: Emplastrum sequens commodè applicari potest, ut

Liquefac Picis navalis, *uncias tres.*
Colophoniæ,
Boli Armenæ, *ana unciam unam & semis.*
Lithargyrii,
Gummi Ammoniaci,
Thuris,
Sarcocollæ,
Aloës, *ana unciam semis.*
Myrrhæ, *unciam unam.*
Cort. Granatorum, *drachmas tres.*
Glutinis in aqua dissoluti, *quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum.

Omnia si fuerint incassum adhibita, ad castrationem deveniendum.

XXX. Caput.

DE HERNIA HUMORALI.

Hernia Humoralis, est quando semen ob nimiam, crassitiem per vasa excretoria excerni nequit, ideoque subsistit & vascula magnopere dilatantur. Hernia humoralis.

De ejus curatione hic non agam, quia postea, cum de *Lue venereâ* sum acturus, de *Herniâ Venereâ* tracto, cujus curatio eadem est.

Caput XXXI.

DE ANI PROCIDENTIA.

Ani procidentia oritur ex continuâ fæcum alvinarum excretione, ut in dysenteria, tenesmo &c. nam ob dejiciendi conatus, etiam intestinum rectum elabitur. Item excrementa indurata secum quoque aliquando intestinum rapiunt: uti & Hæmorrhoides, quibus rectum intestinum & anus tumescunt & angustantur, hinc ob viam coarctatam excrementa nequeunt descendere absque recti parietum læsione; accedit & ani paralysis; mingendi in calculo nisus, &c. fœtum gestantes eodem malo non raro obnoxiæ queunt. Oritur quoque ab acrimoniâ enematum, suppositoriorum &c. Si quando excrementa alvina exeant, rectum intestinum nonnihil foras truditur, sed peractâ excretione iterum sursum trahitur. Quando igitur ista protrusio excedit, aut retractio deficit, oritur intestini recti prolapsus, sive *ani procidentia*. Itaque duplicem agnoscit causam, *nimiam, frequentissimam* aut *violentam* ani extrusionem; vel *musculorum* ani *plus minus resolutionem* & *deficientem retractionem*, quæ nunc seorsim, nunc conjunctim accidunt. v. gr. à *calculo vesicæ*, & irritari continuò per consensum intestinum rectum, ac ad continuam protrusionem stimulari potest. Quin etiam tali occasione à crebriori excretionis conatu in tantum extendi ac relaxari possunt musculorum levatoriorum fibræ, ut pertinax hinc sequatur protrusio, qualis procidentia in *calculo vesicæ* diutius affligente, ordinaria esse solet. Hisce accedit musculorum ani paralysis, sive à nervis ossis sacri obturatis, sive alias. Ani procidentia.

Propendens intestinum statim est reducendum, ne frigus contrahat, & gangrænâ afficiatur, & oleo sequenti est inungendum: ut

Recipe Olei Olivarum, *unciam duas.*
Pulv. Gallarum.
Cort. Granatorum, *ana drachmas duas.*
Misce.

Inteſtinum illitum digitis unctis, aut linteo vel candelâ reſtituitur. Tunc fotus applicatur ex aſtringentibus & roborantibus, ut flaccidum inteſtinum corrugetur ac induretur: conveniunt præſertim ſequentia, ſi inflammatio adſit, & inteſtinum nequeat introduci; ut

Recipe Fol. Salviæ,
Abſinthii latifolii,
Flor. Camomillæ Vulgaris,
Romanæ,
Hyperici,
Meliloti, *ana manipulum unum.*

Coquantur ex Vino rubro & Aquæ Chalybeatæ ad uncias viginti; colaturæ adde

Salis Saturni, *drachmam unam.*
Miſce fiat fotus. vel

Recipe Lentis paluſtris (vulgo *krooſt*) *manipulos quatuor.*
Gallarum, *uncias duas.*
Coquantur ex lacte &
Fiat Cataplaſma.

Refrigerato inteſtino, lintea dulci lacte calido madida applicantur, aut ejus loco cereviſiam bonæ notæ, non vero acidam, Poſt illam introducitur inteſtinum ut ſupra dictum. *P. Barbette* aliud remedium adfert, quod ridiculum videtur: primo livit oleo roſarum & myrtillorum inteſtinum, deinde nates patientis extenſa manu quinquies aut ſepties aut pluries verberat, quo muſculs ani levatores inteſtinum rectum ſtatim in priorem ſedem attollunt. Introductum inteſtimum aliquoties melle roſaceo inungendum, quod penicillo fieri poteſt. Deinde faſciis & ſpleniis aut ſpongiâ vino rubrorebriis eſt ad interiora retinendum. Si neceſſe ſit alvum deponere, leniter id fiat absque ullâ dejiciendi vi, aſt podex digitis nonnihil retinendus. Alvus ſemper lenientibus reſpondeat oportet, quod cibis liquidis facile fieri poteſt.

XXXII. CAPUT.

DE UTERI VAGINÆ PROCIDENTIA.

Vaginæ procidentia.

QUod UTERI VAGINÆ PROCIDENTIA vocatur plerumque nihil aliud eſt quam vaginæ interioris tunicæ decorticatio ac per conſequens

ſequens prolapſus, ſecundum teſtimonia *P. Barbette*, *à Meek'ren*, *Roonhuiſe*, *D. vander Bekke* &c. Nam uterus ipſe non facile excidit, idque propter ligamenta, quibus poſterius firmiter alligatur; facta potiſſimum ut uterus gravidus ſuſpendatur: quemadmodum & cætera viſcera à poſteriori parte peritonæo adhærent: itaque in prægnantibus quidem extenditur, accreſcente fœtu, aſt difficile prolabitur. Verum in magnis parturiendi coconatibus, & quando ſecundinæ vi à fundo avelluntur, fieri hoc nonnunquam poteſt. *R. de Graaf* teſtatur in virginibus vidiſſe: & quædam hiſtoriæ in obſervationibus *F. Ruiſch* reperiuntur.

Poſſunt eſſe *cauſa* vehementes parturiendi conatus: caput infantis prægrande ita ut vaginam pertranſire nequeat; tunc enim ejus rugæ ita præmuntur & ſtringuntur, donec ad invicem deglubuntur, atque ab exteriori tunicâ decorticantur; quod ſi illud contingat in corporibus valetudinariis, humores pravæ indolis inter utramque tunicam ex vaſis lymphaticis, &c. colliguntur, unde gangrænæ. Obſtetricum negligentia & imprudentiâ huic malo cauſa eſſe poteſt, ubi loco infantis, ipſas rugas ad ſe trahunt. Sanguinis effluxus continuus, uti & fluor albus nimius etiam non ſunt excuſandi.

Quæ illud ſymptoma patiuntur ſæpe externas habent cauſas, ut ſunt labor gravis, ponderis gravis elevatio, clamor vehemens, tuſſis intolerabilis, linteorum extenſiones & concuſſiones, ligamentorum uteri ruptiones atque relaxationes, Teneſmus, caſus, impulſiones, verbera in abdomen, ſaltationes, reſpirationis longa continentia, equitatio &c.

Caſus vaginæ aut uteri ſi diu propendeat, facile frigus contrahit, quo levi momento ſphacelo corripitur, unde incurabilia mala producuntur.

Dorſo ſupina decumbat, genubus elevatis, atque ab invicem deductis: deinde cereus ſumitur aut candela ex adipe, oleo uncta & ſale ſaturni aſperſa, hac leniter uterus aut vagina in locum debitum ſunt trudendi; ſimulque candela eſt intus relinquenda, ſed in extremitate filum alligari debet, quod foris propendet, ut poſſit extrahi: poſt repoſitionem, faſcia opus eſt cum ſpleniis aut ſpongiis, & emplaſtro convenienti: ut.

Accipe Picis Navalis, *uncias quatuor.*
Reſinæ; *uncias duas.*
Baccarum Lauri, *uncias ſemis.*
Colcothar Vitrioli, *unciam unam.*
Gallarum, *unciam unam & ſemis.*
Olei Myrtillorum, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Emplaſtrum.

Quieta ſit oportet: abſtineat à clamore, tuſſi, jugi ambulatione, ad dejiciendum coactione &c. ſi inflammatio adſit aut frigus contractum, ea ſunt admovenda, quæ in ani procidentiâ ſunt præſcripta. Si prolapſus ſit mag-

magnus, ſeptem aut octo dies in lecto continuò quieta decumbat: & ſi alvus fuerit adſtricta, enema eſt injiciendum.

Fabricari poſſet inſtrumentum ex ebore, intus cavum, exterius figura ovali, cum apertura in ſuperiori parte, ad lotium reddendum: in una extremitate ſit margo in formam pilei, ne planè intrudatur, & ut cingulum ei affigatur, quod cruribus & corporis medio eſt alligatum, ne inſtrumentum eburneum excidat: hoc modo urina commodè reddi poteſt, & vagina aut uterus in loco debito tenetur. Emplaſtro præſcripto externa hujus inſtrumenti facies eſt oblinenda, ut vaginæ parietes nonnihil conſtringantur: Inſtrumentum illud abſque omni moleſtia hoc in caſu non tantum uſu venire poteſt, ſed etiam in inteſtini recti prolapſu, aſt tunc non opus eſſet ut ſit cavum. Satis eſt ſi mediante fibulâ poſſet ſolvi cingulum, atque inſtrumentum extrahi & intrudi.

XXXII. Caput.

DE CRANII TREPANATIONE.

Trapani applicatio. TREPANI APPLICATIO nihil aliud eſt quam modus cranium perterebrandi, ſive in cranii vulneribus, fiſſuris contuſionibus aut alias.

Locus ubi Trepanum applicatur eſt, ut æger commodè collocetur, & Chirurgus in opere peragendo abque impedimentis trepanum poſſit adhibere. Secundo, locus commodus eſt eligendus, in quo inciſio eſt facienda. Optimè æger in crati (*een baker-mat*) aut cubili portatili (*een ſlaapbank*) collocetur, ea à pavimento altitudine, ut Chirurgis ſtando operationem inſtituere poſſit. Inciſio eo loci fieri debet, ubi fracturæ ſuſpicio eſt, aut ſaltem juxta illum locum: præſertim ſunt ſuturæ evitandæ, quia dura meninx per illarum commiſſuras ſeſe altè inſinuavit, & non tantum maximè læderetur, ſed & convulſiones exinde eſſent expectandæ. Raro etiam cranii lateribus trepanum adhibetur, neque etiam occipiti, quia cerebrum facile per illud foramen elaberetur, apertâ præſertim craſſâ meninge.

In modo quo *Inciſio* fit, animadvertendum, num in cute capitis vulnus ſit, nec ne; ſi adſit, ibi locus eſt pro trepano applicando. Vulnus ſi ſatis longum, benè; ſi non, elongandum eſt cultello, & ad angulos rectos transverſim alia ſectio fiat, atque hoc modo fit ſectio crucialis. Cutis ſana cultro raſorio eſt incidenda, non à vulnere ad partem illæſam (unde rupturæ & dolor) aſt ab integrâ cute verſus vulnus, tamlongè à vulnere cultrum ponendo, ac magnitudo vulneris deſiderat; atque ab unâ parte radio facto, etiam alter radius in oppoſitâ parte eſt incidendus. Deinde hoc modo vulnus oblongum nunc recens inflictum ad angulos rectos transverſim crucialiter quoque eſt perſecandum, & tunc habebis quatuor radios

æquali longitudine à centro distantes: in hac sectione etiam à parte sanâ culter dirigitur, secando prius partem cutis inferiorem, alias sanguis superne defluens esset impedimento. Operationi requiritur valida & audax manus, quâ culter per pericranium imprimitur, ast si inter secandum advertes cranium esse fractum, tunc tantâ violentiâ secari non oportet.

Deinde vulneris labia instrumento separatorio à cranio sunt decorticanda, quod alii faciunt unguibus, sed mallem cultro eburneo. Hæmorrhagia ob vasa dissecta, si nimis larga sit, in promptu habeatur pulvis quidam ἴσχαιμος sive sanguinem sistens, cum acu & filis, ad vasa vincienda, & cogente inecessitate aliquando ferro candenti opus erit. Quidam inurendo cranium denudant, ast quoniam sua habet incommoda, laudabile non est.

Ut vulnus impleatur, opus sunt Turundulæ oblongæ (Chirurgis *Kapittel-stokjes*) ex linteo carpto; deinde sinistræ manus Pollice ac Indice digito labia sursum elevantur, & dextrâ sumuntur turundulæ, quæ singulatim altera post alteram infra labia ponuntur, implendo vulnus, donec labia modicè firmiter sint erecta; cranium in medio nudum rotundulis, ne pure, unguento aut emplastro superimposito commaculetur; *Pinguia enim ossibus inimica.*

Turundæ planæ unguento litæ, margini vulneris inflictæ apponuntur, non frigide sed tepidè, quod etiam in cæteris apponendis est observandum.

Emplastrum commode fit ex Emplastro de Betonica, cujus margines intersecantur, ut eo melius vulneri accommodetur, quod ei calidè imponitur: super hoc aliud insuper defensivum adaptator; deinde plumaceola ex linteo quatuor adminimum duplicato: loca vulneri vicina, spiritu vini sunt munienda,

Ut porro Vulnus obligetur, quidam utuntur capitio linteo leurica (vulgo *Hoofd-doek*) quod fœminæ noctu caput velant quæ debitè stringitur, & insuper pileolus nocturanus laneus (*een Wolle Slaap-muts*) ponitur. Alii inimponunt fasciam, quæ dicitur *Cancer* (Chirurgis *Kreeft-band*) ejus delineatio habetur apud *Scultetum* in Armamentario Tab. XXX. Fig. IX. Sed alii sudarium tantum capiti imponunt, cujus duæ extremitates anteriores in cervice ligantur, & posteriores in collo.

Deinde, ut æger nonnihil quiescat, in lecto est componendus, atque hæmorrhagia, alias expectanda, cessat. Et melius esset si æger cum vulnere in pulvinar decumbat, ut succi extravasati versus vulnus currant.

Dum æger dormitum se composuit, sese ad trepanum adhibendum est præparandum. Adesse itaque debet *Trepanum* sive *Modiolus* terebrationi summopere aptus, (quod primo in craniis demortuis experiri licet) deinde *Elevatorium*, ut & *Levigatorium*, *Decussorium* cum *Penicillo setaceo* ut scobs à trepano verratur: Deinde *pelvis* cum lacte, (sed mallem aquam, lac enim facile acescit, quod ossa corrodit) ut trepanum, serrando calidum, refrigeretur, quamvis illam refrigerationem admodum necessa-

cessariam non judico: trepanum enim non adeo incalescit ut opus sit refrigerio porro copia lintei carpti, ut ægri aures inter terebrandum obturentur, quamvis illud etiam opus non est; frustrulum rotundum ex sindone holosericâ, quod imponitur crassæ meningi, officulo exempto, spiritu vini & rosaceo melle madida, quatuor segmenta lintea emplastro glutinante obducta, ut labia vulneris retrorsum teneantur, ne trepanum attingant. Antequam ad operationem devenitur, cibo & potu æger primo roborandus, ne inter operandum deficiat, atque hæc sunt ea quæ ante sunt paranda, alias inter operandum omnia tam celerrimè non procederent.

Postridie deligatum solvitur, & quidquid supra cranium impedimento est, removendum. Dictis Emplastris glutinantibus vulneris labia elevevantur, iisque teguntur, deinde aures obturantur; præstat solumodo caput à Ministro immobile teneatur, nam occlusis auribus major strepitus ac sonitus persentitur. Denudato cranio, si apertura per fracturam, festucis osseis eximendis aut sanguini educendo, ampla satis non sit, tunc locus eligitur trepano ponendo, commodus, suturas, si fieri potest, declinando, quia crassæ meningis fibræ sese per illas insinuant, quamvis alii dicunt, eas absque detrimento tuto perterebrasse: temporalis quoque musculus etiam, ob convulsiones in opposito musculo expectandas, evitandus. Trepanum quoque non est ponendum supra os aliquod abruptum; trepani enim compressione facile in meningem duram adigeretur: neque in altiori loco supra fracturam, quia tunc neque sanguis extravasatus neque pus queunt emanare: neque directè supra nasi regionem, aut supercilia quia ab cavitatem ibi existentem trepano aditus ad superiorem meningem denegatur; neque in occipite; nisi urgente necessitate, atque tunc foramen debet esse perparvum, facile enim per illud cerebrum exprimeretur. Itaque ad latera suturarum licitum est apponere trepanum, in loco inferiori fraturæ.

Ubi Trepanatio est instituenda.

Si quædam festucæ ab invicem secessere, sunt removendæ, qua non exigua crassæ meningis pars denudatur, & tunc modiolus minor utilior. Ast mediocris puris aut sanguinis evacuationi extimus, & impresso cranio elevando accommodatur. Ast si notæ indicant meningem cerebrumque ipsum esse læsum, majori licitum est uti modiolo, ut eo melius remedia adhiberi possint: item si cranimum in minuta frustula sit comminutum, eaque suo modioli circumferentiâ comprehendi queat: ast si majori absolvi nequeat, duo minora sunt applicanda, eos supra utriusque fracturæ latus ponendo, tunc enim interjectum os forcipe incisoria exscinditur, aut tenui serrâ removetur. Atque hoc modo omnes festucæ osseæ, quæ separatæ sunt neque amplius cohærent, removentur.

Qui modiolus eligendus.

Ut igitur instituatur Trepanatio, primo utimur Modiolo, qui dicitur *Mas*, hoc est, qui in centro ipsius circumferentiæ dentem, stylum acutum seu clavum habet; ossi calvariæ firmiter insistat; eo tam altè sulcus circumvolvendo fit, ut postea Fœmina, nullum habens dentem seu adamantem, securè opus ad finem perducatur. Inter serrandum seu trepanandum, modiolus aliquoties setis à scobe purgandus, & ut vulgus vult lacte aut aquâ

refri-

refrigerandus; ſulcus porro etiam penicillo à ſcobe mundandus, ut certi ſimus adquam profunditatem modiolus pervenerit, & num ab omni peripheriâ eandem habeat profunditatem.

Sanguine apparente, ſignum eſt ſuperiorem diploën eſſe perforatam (quod tamen certum non eſt indicium) & quod trepano ſeu modiolo paulò lenius ſit inſiſtendum, ne meninx craſſa, cranio firmiter adhærens, lædatur. Si Trepanatio inæqualiter fit, (quod ex profunditate & vacillationis hujus aut illius lateris cognoſcitur) locus magis firmus fortius eſt imprimendus.

Æger, dum trepanum applicatur, collocandus in cubiculo calido, præſertim in quo fornax (vulgo *kagchel*) eſt; vel ubi ſaltem magnus ſit ſtructus ignis. Circa caput ſint ferramenta candentia & ignitabula, ne partes τῦ ἐγκεφάλυ à frigore lædantur; & quando trepanum extrahitur, linteis calidis caput tegendum.

Oſſis iſtius diſcus nunc ab omni cohæſione ſolutus, inſtrumentis elevatoriis eſt extrahendus; inæqualitates prominentes lateribus adhuc adhærentes Lenticulari inſtrumento abraduntur & lævigantur, ne cerebri meninges offendantur; verum hæc leni manu peragenda, alias nocemus ægris magis quam profumus. Si oſſicula non cohæreant, aut pungant ſtatim ſunt eximenda.

Educto ita oſſiculo ſindon accipitur rubra in ſpiritu vini ac roſaceo melle tincta, & cerebri membranæ craſſæ imponitur, cui affigitur filum, ut eo commodius extrahi poſſit. Porro apertura linteo carpto impletur: aſt ſi apertura admodum fuerit ampla, laminæ argenteæ aut aureæ imponuntur, ne cerebrum exprimatur.

Carie ſi cranium ſit exeſum, corruptum eſt ſeparandum, & ſecundum artem tractandum. Porro ſingulis aut alternis diebus vulnus deligandum) continuus enim attactus, contrectatio, ſanguinis expreſſio plus nocent quam curant. Ad curandum non adhibentur plumaceolæ oblongæ, ſplenia, aſt vulnus Balſamo peruviano, copaibæ, Gummi elemni, balſamo Hiſpanico, Aquapendentis &c. curatur.

Nequis fallatur in trepano celebrando, quando poſt caſum in caput contuſio oritur & deinde intumeſcentia cum vomitu: nam tunc videtur adeſſe cranii impreſſio, quæ fiſſuram præſupponit: ſed hoc non ſemper evenit, licet ſic videatur. Si enim inter locum contuſum & locum ſanum digitis explores, impreſſio adeſſe videtur, quæ tamen revera aliquando non eſt; ideoque poſt habito Modiolo, fomentum cephalicum potius eſt applicandum. Obſervatio

Trepanatio, quamvis temere non ſit inſtituenda, Exemplum tamen habetur in obſ. Expertiſſimi ac Doct. *C. Stalpart van der Wiel*, nobilis Cujuſdam viri, qui trepanationem vigeſies ſepties paſſus fuit.

XXXIV. CAPUT.

DE VULNERUM SUTURA.

Suturæ Vulnerum. VULNERUM SUTURAE fiunt, quando eorum labia ab invicem nimis hiant aut secedunt: præsertim adhibendæ sunt in vulneribus, ubi suturæ necessariæ sunt, & thoracem aut abdomen penetrant: verum in parvis vulneribus necesse non sunt: vulnera profunda, sinuosa ac tortuosè incedentia easdem quoque non exigunt.

Varii modi. Consuendi modi varii, quos enumerabo, habentur. *Primus* est quando acus cum filo à parte exteriori versus interiorem per vulneris labium in extremitate transfoditur, & deinde per oppositum labium à facie interiori versus exteriorem, semper ab uno latere incipiendo, eodem modo ac pelliones pelles consuunt. Modus iste adhibetur ventriculi aut intestinorum vulneribus.

Gastrorhapia. *Alter* modus in vulneribus abdominis penetrantibus instituitur, & *Gastrorhvphia* appellatur. Adigitur acus primo per cutim & musculos unius labii ab exteriori parte versus interiorem, intacto tamen istius labii peritonæo subjecto, deinde per peritonæum, musculos & cutis alterius labii ab interioribus ad exteriora acus transfigitur; post hæc idem labium iterum ab exteriori parte versus interiorem per cutim ac musculos intacto peritonæo transfoditur, & ad oppositum labium progreditur pungendo per ipsum peritonæum, musculos & cutim ab interioribus ad exteriora, atque supra isthæc continuatur, donec totum vulnus sit consutum.

Tertius modus, idem est ac secundus, præter quod cura non habeatur peritonæi aut aliarum diversitatum partium, quæ, vel perforantur aut prætereuntur. Et si metus sit, filo vulneris labia dissecari, exigui quidam calami labii extremitatibus accommodantur. Supra quod filum ducitur.

Quartus modus nimium est severus & crudelis, isque fit duabus acubus ac totidem filis, eodem modo ac sutores calceorum soleas consuunt, ita quoque labia vulneris connectuntur per unum idemque foramen utramque acum trahendo, semper nonnihil ulterius procedendo: hunc modum docet nos *Albucasis*.

Quintus est, quando per ambo vulneris labia foditur, atque acus in eo remanet, contrahendo labia filo, quod circum acuum extremitates circumvolvitur, uti sartores faciunt, quando manicæ acum infigunt, tunc enim filum eo modo circumvolvunt: is modus convenit in labiis leporinis, de quibus dictum supra.

Sextus est *Celsi* modus, qui dicitur *Acia* seu *Fibula*, verum quibus id instrumentis factum sit, valde obscurum est: quibus curiositas est ulterius hanc Methodum perscrutari, adeat *Job. Rhodium*, qui integrum de *Acia* scripsit librum.

Septimus

Septimus modus maximè videtur esse in usu. Transfigitur acu cum filo per vulneris unum labium, cutis partem prehendendo; ast si vulnus sit profundum, etiam carnis pars assumitur; eodem quoque modo oppositum labium transadigitur, atque tunc ambæ fili extremitates nodo duplici supra vulnus convinciuntur: Modus iste in medietate vulneris incipitur, atque deinde ab utraque parte totidem transfossiones fiunt, ac necesse judicantur: inter utramque semper remaneat spatium digiti minimi latitudine atque in fine majoris nonnihil spatii, ut necessitate exigente, turunda intrudi possit, ad saniem, &c. elutriandam. Huic rei variæ formæ acus accommodantur, uti & fila, cum Canone vulgo dicto, seu *Cannula Sutoria.*

Modus *octavus* dicitur *sutura sicca*, quæ hoc modo peragitur: sumuntur lintei firmissimi, (quæ neque sint nimis tenuia, neque nimis crassa aut densa duo frusta, juxta margines seu oras abscissa, ut evitetur nempe limbus consutus; ab alterâ parte stamina nonnihil extrahuntur. Illa porro unguento valde glutinante illinuntur, exceptis oris ne sc. extendantur. Deinde tamdiu servantur, donc exiccata sint: Exiccata per extremas transfoditur acus cum filo, quibus alii oculos ex filis addunt, aut parvos ferreos, per quos acus & fila transadigunt, atque sic lintea hæc una cum vulneris labiis ad invicem trahuntur, eodem modo ac in præcedenti suturâ. Sutura sicca.

Glutinans Emplastrum quo lintea hæc obduci possint, sequenti fieri potest modo:

Recipe Gummi Elemni,
Bituminis Judaici,
Resinæ pini, *ana drachmam unam.*
Colophoniæ,
Boli Armenæ, *ana drachmas duas.*
Terebinthinæ, *drachmas tres.*
Misce fiat Emplastrum.

Emplastrum glutinans.

XXXV CAPUT.

DE PHIMOSI.

PHIMOSIS est coalitio sive contractio frænuli ipsius præputii, ita ut glans denudari à præputio nequeat. Phimosis.

Causa sæpe est mala ab initio conformatio; vel tumores, inflammationes &c. glandem distendentes; magna à Venere abstinentia, præsertim si præputium habeant oblongum, & valde corrugatum, atque illud tandem ita connascitur, ut glans detegi non valeat.

Externis medicamentis hic solum est incedendum, internis enim hic nihil proficitur. Primo nihil aut cataplasmata emollientia & incidentia sunt applicanda, ut visciditates infra præputium hærentes incidantur; hisce nihil proficientibus ad Chirurgicam operationem est deveniendum, præsertim, si malum ab utero originem habuerit. Forfice igitur ad latera præputii lectilinea fiat incisio; vel prius inter præputium & glandem scalpellus adigitur, & quidquid intra scalpellum est & glandis radicem inciditur. Atque si una incisio non sufficiat, altera in opposito latere fiat: adsit interim stypticum aliquod medicamentum, ut sanguis, si necesse sit, sistatur. Porro ipse hujus præputii motus alternus sæpe fibras contractas relaxat.

Post factam incisionem, ipsum præputium vel sua sponte retrocedit, vel ope digitorum, quod aliquoties singulis diebus sursum atque deorsum est reducendum.

Frænulum si nimis fuerit contractum & solitò brevius, tunc frænulum proximè præputio est incidendum, tunc enim sanguinis effluxus non est adeo metuendus, ac si propius glandi fieret.

Alia superest Phimosis species, quæ ab inflammatione, excrescentiis Veneris, exulcerationibus, verrucis, scirrho, callositate, medicamentis irritantibus malè applicatis &c. producuntur: tunc medicamentis, pro rerum statu, incedendum, nempe fotibus emollientibus, corrosivis, balneis, &c. respicienda præsertim est penis situatio, qui supra abdomen fascia est collocandus.

CAPUT XXXVI.

DE PARAPHIMOSI.

Paraphimosis. PHimosi contrarius est affectus PARAPHIMOSIS, quando nempe præputium est retractum & contractum, ita ut glans nuda appareat & strangulari videatur.

Causa est penis inflatio, distensio, aut prava à nativitate conformatio: ut & inflammatio, tumor infra præputium aquâ rubicundâ aut flatu; impletum; concubitus insolitus, præputium longum & angustum &c.

Si à nativitate fuerit frustra remedia adhibentur, & qui tunc ~~tribus~~ quatuorve incisionibus præputium restituere conantur oleum & operam perdunt, nunquam enim teget glandem.

Si casu accidit fovendus est penis primo, antequam ad operationem Chirurgicam deveniamus: ast si ejusmodi restitui non potest, tunc nitimur præputium absque glandis compressione restituere, neque pollex contra ipsius extremitatem est applicandus, ut fieri solet: premendo quippe glans latior fit & magis intumescit; hinc ob latitudinem præputii reductio supra

pra glandem impeditur. Porro iisdem ferè remediis utimur ac de Phimosi dictum.

Caput XXXVII.

DE STRABISMO.

Strabismus infantium exinde producitur, quod quidam musculi oculos moventes, vel nimiâ longitudine vel brevitate excedant. Si quando unus aut duo horum musculorum longitudine pecceant, oculus à centro visionis nimium procul movetur: ast si unus aut plures musculi brevitate excedant, oculus centro suo propius accedere nequit, & illud nobis strabisinum seu oculi contorsionem exhibet: nam omnes musculi eâ debent esse longitudine, ut si oculus rectâ conspiciat, pupilla in centro sit locata. Strabismus.

Sed præter hoc videtur pupilla circum se habere aliquid; quod eam continuo claudit, & dicitur processus ciliaris; si itaque ejus dilatatio ac angustatio etiam regulam excedat, visionem ita impedit ac si quis strabismo laboraret.

In ipso primam causam esse quærendam puto, ex quo primo embryon ortum habet. Etiam hoc fit, quando matres in iutero ferentes strabismo affectum continuò aspiciunt, & assiduò de eo cogitant, tunc fibrillæ embryonis circa oculum ita trahunrur, ut post nativitatem etiam strabismo laborent: de ejusmodi materia in *Institutionibus* nostris satis superque docuimus.

Alii putant ipsos infantes ad strabismi causam contribuere, præsertim cum in cunis jacent, & per rimam integumenti ad candelam &c. vident, tuncque musculos elongari: aut si nutrix strabismo laboret, & visum illum infantes imitentur: verum nunquam animadverti, quod si infans cum strabismo non sit natus, postea, nisi à convulsionibus epilepticis, strabismum incurrere.

Remedia ex Chirurgia petenda, alia enim incassum essent adhibita; persona sive larva igitur fit, ita ut supra nasum accommodari possit, atque os pro ingerendis cibis liberum fit: eo fieri possunt modo ferè ac in tabernis gallicis vulgo divenduntur, quæ intus cerâ albâ obduci possunt eadem enim opera faciei cutis & alba reddetur & mollis. Ex loci ubi foramina pro oculis sunt: caliculus fit ex cornu aliave materiâ, ut corium &c. confectus. Etiam ex ligno confici torno possunt, in quorum medio foraminulum est, quod tantum recipit luminis ac pro visu commodo affigitur capiti, idque per aliquot menses; alias enim lumen absque hoc sæpius viderent, parum proficieretur; ideoque continuo gestandum, ut

visus

visus assuescat medium tenere: & licet strabismus planè non abigatur, certum tamen est multum hoc modo procedere. Verum id fieri debet in admodum junioribus, alias frustra adhibebis, adultiori enim ætate fibræ rigidiores factæ, nequeunt à pristinâ consudine desuescere. Absque totali larvâ etiam fieri potest, modo tantum caliculi oculis applicentur.



STEPH.

STEPH. BLANCARDI PRAXIS CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis ſuperſtructæ,

PARS TERTIA.

De Inflammationibus, tumoribus, maculis ac cutis excreſcentiis.

I. CAPUT.

DE TUMORIBUS ET INFLAMMATIONIBUS IN GENERE.

TUMORES ſunt affectus, in quibus noſtri corporis partes in evidenti magnitudine ac craſſitie à debito ſtatu recedunt, unde & motus totaliter aut pro parte abolentur. Tumores quid.

A diverſâ ſuccorum indole eorum veniunt differentiæ: craſſitie nempe quando peccant, tunc enim, quia canaliculos ſuos debitè nequeunt permeare, coguntur ſubſiſtere: atque ſucci illi inſpiſſati ex communi ſanguinis maſſâ proveniunt, uti ſunt præſertim ſucci nervoſi, nutritii, chyloſi &c. ſive ſimplices, aut cum aliis mixti. A loco etiam varia ſibi adſciſcunt nomina, nam *Bubo*, *Panus*, *Parotis* &c. unus idemque affectus plerumque eſt, loco ſolummodo differunt; atque idem dico de *Teſtudine*, *Natta*, *Meliceride*, *Steatomate*, *Atheromate* &c. qui eandem agnoſcunt materiam, aſt loco & vetuſtate differunt. Quidam tumores duriorum partium ſunt, ut *Hernia Inteſtinalis*, *Oſſium Luxatio*, *Calculi*, *Tophi*, *Excreſſentiæ*, *Polypi*, *Ganglia* &c. Porro quoad colorem ſibi diſſimiles ſunt, uti & duritie, mollitie, dolore, extuberantiâ, extenſione, multitudine, materiâ,

causâ, magnitudine, parvitate, figurâ, loco, ætate, cum aut sine inflammatione &c. Quidam triplicem ponunt differentiam, nempe succorum, partium solidarum, & expansionum flatuosarum. Optimum est duplicem tumorum tantum agnoscere differentiam, nempe vel succorum alibi morantium, aut partium solidarum: Omnes enim nostri corporis partes ex succis tantum constant & solidis partibus. Singuli tumores sua quoque habent nomina, quibus Veteres olim superbiebant; ast si res bene inspiciatur plurima sunt inutilia, & è foro Medico eliminanda: sed differentiæ gratia, nonnulla, eaque magis nota reservabimus, de quibus in sequentibus.

Causæ, sunt omnes anomaliæ, quibus aliquid efficitur, quà partes intumescere possint, veluti omnes succi inspissati, partes duræ, inflationes & expansiones, exsudationes, extravasationes, erosiones, luxationes, procidentiæ intestinorum, ani, uteri, &c. adde causas externas ex ictu, morsu, casu, ambustione, à frigore partium congelatione, erosione &c. Hæc & similia ad Inflammationes, seu Phlegmones, Erysipelas, Atheromata, Cancrum, Scabiem, Arthritim, Polypum, Excrescentias, Ganglia, Extuberantias &c. viam præparant.

Ratione erudimur atque experientiâ, tumorum genesin non amplius esse istos quatuor humores imaginarios, qui quasi quatuor elementis, eorumque qualitatibus respondebant: sed quando nos humores, atque diversas vasorum species, aliasque partium texturas curiosi examinamus, multò plures invenimus succos ac causas tumoribus excitandis aptas. Certi sumus, quod sanguis, uti in corpore nostro circumducitur, unicus sit humor, ex farragine omnium ciborum conflatus: & si sanguis in ejusmodi humores putatitios degeneret, illud præter œconomiæ ordinem fit: si enim in sanguine inveniantur, pro sanguine haberi nequeunt, sed materia erat alibi è sanguinis massa eliminanda & secernenda. Et si nonnulli hos velint sanguinem nuncupare, non esset quoque ἀπροσδιόνυσον tartarum, fæcem &c. etiam vinum & cerevisiam nominare, quod tamen unicuique notum, tantum esse eorum excrementa. Rejectis igitur istis putatitiis humoribus, dicimus tumores produci ex sanguine, lymphâ, sero, chylo, succo nervoso, &c. quorum variâ differentiâ variæ incrassationes, obstructiones ac tumores oriuntur.

Hic in genere, idque breviter nobis de tumoribus sermo fuit, ut sensim eos propius intelligamus, sciendum, totum non constare nisi ex suis partibus: quomodo enim nobis in principio de variis rebus esset intellectus debitus, nisi generalia præcedant, & deinde specialia; estque & recta Logicæ Methodus, quamvis alii hanc inutilem censent.

II. Caput

II. Caput.

DE PHLEGMONE, SIVE INFLAMMATIONE.

PHLEGMONE ſive INFLAMMATIO gradibus tantum differt ab *Eryſipelate*, *Panaritio*, *Furunculo*, &c. nihilominus tamen, idque ordinis gratia, quæ de Phlegmone ſolent dici, hic enarrabo.

Phlegmone eſt tumor contra optimam corporis conformationem, cum rubedine calore intenſo, dolore, tenſione, ſplendore, durittie, renitentia, elevatione, pulſatione, & aliquando non ſine febriculâ.

Differt materia, magnitudine, dolore, & loco; in oculis dicitur *Ophthalmia*, in faucibus aut laryngis capite *Angina*, in latere, aut ſecundum meam opinionem in pulmonibus *Pleuritis* aut *Peripneumonia*; ſi ſe latè extendat *Eryſipelas*; ad extrema digitorum *Panaritium* ſive *Paronychia*; ſi inflammatio ſit paulo durior ac minor *Furunculus*; ſi cum corroſine *Anthrax* ſeu *Carbo*. Sub lingua *Ranula* five *Batrachus*; in inguine *Bubo*; ſub Axillis *Panus*, pone aures *Parotis*; ſi parvi perque totum corpus ſparſi *Puſtulæ* & *Exanthema*; in oculi angulo *Ægilops*. Ad palpebræ tarſum *Crithe* ſeu *Hordeolum*. Itaque omnes illæ denominationes ad unam eandemque inflammationem pertinent, loco tantum, aut nomine ab invicem differentes.

Pro loco diverſo habet nomina.

Læſæ partes ſunt, meâ opinione, membranæ & canaliculi fibroſi, atque earum partes circumjacentes.

Cauſa non eſt adeo manifeſta & plurimos adhuc torquet: vulgaris eſt opinio, cauſam eſſe ſanguinem, eumque ſubtiliſſimum, ſed illa ſententia puerilis eſt & riſibilis: unicum adducam ſolummodo exemplum, & ex eo ſatis patebit, ſanguinem non eſſe cauſam: ſemper enim videmus, quod ubi ſanguis eſt extravaſatus, ibidem lividam oriri maculam, aſt raro inflammationem; iſte porro ſanguis coagulatur atque exiccatur: & ſi multum ſanguinis extra vatum ruperit, putreſcit, & partes circumjacentes non raro afficiuntur. Adduntinſuper alii Plethoram inflammationis eſſe cauſam, ſed hoc magis ridiculum, rogo itaque quomodo in macilentis & extenuatis, ubi nihil minus, quam Plethora eſt, producatur; & ſi à plethora, cur non per univerſum corpus? Neque plethoram exiſtere oſtenſum eſt unquam, nam quod pro plethora ſumitur, ut plurimum ſanguinis eſt incraſſatio, quare per vaſcula minima non poteſt meare, hinc in majoribus ferè ſubſiſtit, eorumque latera extendit, dilatat, & difficultatem parit. Sanguis è vaſis eductus, quocunque modo tractatur, in pus nunquam mutatur. Cum itaque ſanguis non ſit inflammationis cauſa, aliæ rationes ſunt inveſtigandæ, ut ex nocte obſcurâ vera lux eluceſcat.

Sanguis inflammationis non eſt cauſa.

Quid Plethora.

Quando ſucci noſtri frigore quodam aliave quavis cauſâ inſpiſſantur, certum eſt, eos difficilius circulum peragere, quam in ſtatu ſanitatis, cum debitam adhuc ſervabant fluiditatem, ideoque ob eorum craſſitiem hinc & inde in

Calor unde.

in canaliculis quædam poſſint oriri obſtructiones : ſuccus hic ſubſiſtens, quoniam in eodem non ſemper remanere poteſt ſtatu, ſenſim incaleſcit & quaſi fervet, hoc eſt, quidquid alcalicum atque acidum à motu ſubtilis materiæ celerrimo continuò ad ſe invicem illiditur: ubi igitur motus particularum celerrimus, ibi & calor & ignis excitatur; qui intenſior vel remiſſior pro majori aut minori globulorum æthereorum preſſione; uti ex tractatu noſtro de fermentatione, & Inſtitutionibus liquet.

Succis iſtis tardigradis ac ſtagnantibus ineſſe alcali & Acidum ex eo patet, quod nemo inficias ibit in ſanguine contineri ſal quoddam volatile alcalicum, quia deſtillationibus abundè illud elicitur. Sed unde acidum? illud generatur ex Chylo ſtagnante, qui lactis inſtar facile acorem contrahit: congreſſus itaque iſtius acidi cum alcali colorem huic tumori inducit.

In quibus vaſis obſtructio oriatur. Antequam iter noſtrum ulterius feſtinatur, inquirendum quibus in vaſis obſtructio illam inflammationem nobis ſiſtat, videtur nobis extremos arteriolarum ſurculos hic eſſe obſtructos, hoc eſt, non eos qui ſanguinem è corde adducunt, nam iſtius inflammationis materia non eſt ſanguis, ſed potius ſuccus nutritius ſive lacteus, qui per ultimas arteriolarum extremitates vehitur, (In arteriis.) poſtquam ſanguis in venularum extremitates eſt ductus, qui per anguſtiſſimos illos canaliculos nequibat pertranſire, nam arteria fert ſanguinem eo uſque quam poteſt; quidquid porro in ſanguine maximè eſt tenuiſſimum ulterius procedit, & ſanguinis reliquum à venis receptum reducitur.

Cur non in venis. Sed cur potius obſtructio oritur in arteriolis, non vero in venulis? reſpondetur, quia arteria à majori capacitate ſenſim ſenſimquè magis ac magis anguſtatur, & quando humor incraſſatus à majori amplitudine ad anguſtiorem devenit, ibi facillimè ſtagnare, obſtructionemque ideo parere. Contrarium habetur in venis, quæ ab anguſtis canaliculis continuò ampliores & capaciores redduntur; & quidquid per anguſtias potuit procedere, etiam per ampliores vias facilius regreditur; itaque conſequenter obſtructio non in venis contingit, ſed in arteriolarum extremitatibus.

Intumeſcentia. Cum ergo obſtructiones in arteriolarum extremitatibus poſuimus, haud difficile eſt intelligere, unde *intumeſcentia* fit. Nam ſi verum ſit, uti oſtenſum eſt, ſuccum nutritium in arteriolis elongatis ſtagnare, atque affluente & premente ſucco magnoperè extendi; & quoniam id in pluribus quam uno canaliculo fit, vel uno obſtructo atque dilatato, etiam proximè adjacentes conſequenter anguſtantur: hinc propter hanc obſtructionem ac meatuum (Tenſio, ſplendor, durities.) anguſtiam coguntur maximè prementes & affluentes ſucci retardare ac moram trahere, quapropter perplurimi canaliculi expanduntur, qui ſimul *intumeſcentiam* inducunt; & quoniam omnes ſunt tenſi, oritur quoque *Tenſio*, *Splendor* & *Diuretics*.

Huic tumori jungitur, ut plurimum *Pulſatio*, cujus origo & cauſa facile (Pulſatio.) concipitur: nempe, quando canaliculi ita à ſuccis diſtenduntur, neceſſariò arterias debent premere & anguſtare quæ has partes percurrunt, quorum compreſſione ſinguli pulſus magis ſentiuntur, quam cum liberè & impeditè pera-

ge-

gebantur: non secus ac pulsus in carpo non sentitur, nisi manu arteria ad manum progrediens prematur: ast admotâ manu statim se prodit.

Sanguis porro arteriolas quia liberè pertransire nequit, ibi etiam, quam par est, diutius moratur, hinc tumor rubescit: ast si locus rubicundus aliquantulum digito prematur, albescit, quia sanguis exprimitur, ast ilico iterum rubescit, quia statim alius insequitur. Rubedo.

Atque hæc sunt circa phlegmonen phænomena maximè communia: cui non raro *febricula* adjungitur, quæ ob succorum restagnantiam in hac inflammatione, continuamque incalescentiam, ac particularum heterogenearum in sanguinem decedentiam, facile generatur. De quibus in *Institutionibus & Praxi nostra.* Febricula.

Interdum, si materia inspissata & coagulata medicamentis penetrantibus ac dissolventibus possit fluiditati restitui, absque suppuratione inflammatio abigitur. Ast si succi nutritii in caseosas desciverint particulas atque nimis crassas, tunc caseus iste liquidus nobis puris materiam repræsentat. Pus enim non est sanguis, ut solebat haberi, sed chylus acescens & lactis instar coagulatus. Per se foras non raro erumpit, quando ob succorum à tergo vehementem pressionem, de qua statim egi, fibræ solvuntur, rumpuntur: secundo, acidum & alcali fermentationem inivere, quâ de causâ canaliculi ad rupturam usque extendebantur. Tertio, alcali & acidi motus tam celerrimè in canaliculorum parietes illidebantur, ut scindendo, pungendo facile perforentur, erodantur. Quare aliquando suppuretur; aliquando non. Pus quid.

Rumpentibus à tensione canaliculis, *dolor* nobis oritur, qui hanc inflammationem plerumque comitatur. Dolor.

Æstate ejusmodi inflammationes citius in pus vertuntur quam hyeme, quia sanguis tempore æstatis citius circumducitur quam hyemali, & per consequens pressio à tergo major est, & eam ob rem canaliculi citius rumpuntur, franguntur: huic etiam magna accedit incalescentia, quæ æstate major quam hyeme. Æstate citius in pus quam hyeme mutantur.

Sed cur post factum pus dolor mitigatur? quia fermentationes & tensiones tunc cessant, & materiæ acredo maximâ ex parte est deperdita; nam si duo liquores pungentes & acres diversæ indolis mutuò effervescunt, post mutuos conflictus acredinem perdunt, & temperatiorem sibi adsciscunt qualitatem. Neque sanguinis circulus tunc inhibetur, quâ antea ingens dolor producebatur. Facto pure, dolor mitigatur.

Supra caput raro suppurantur, quia ibi fibræ musculorum sunt admodum exiguæ saltem perpaucæ; hinc calor ob sanguinis penuriam ibi exiguus & valde imbecillis, & per consequens suppuratio ibi vel tardius fit, vel non apparet. Copia enim undique tarde accurrentis & incalescentis sanguinis non parum suppurationem ac puris eruptionem adjuvat: omni enim calore alcali & acidi mutuus motus citius absolvitur, quam si calor esset remissior. Cur supra caput suppuratio raro fit.

Hæ inflammationes cum sibi incalescentias comites habeant, quatuor quoque percurrunt tempora, nempe *Principium Augmentum*, *Statum* ac *Declinationem*. In *Principio* tumor, dolor & tensio tolerabilis est & non mag- Quatuor inflammationum tempora.

ni momenti : accrescentibus porro symptomatibus & tumore, *Augmentum* esto : in *Statu* symptomata in maximè ferocissimo vigore sunt : ast in *Declinatione*, omnia defervent, atque dolor, tensio aliaque symptomata vel evanescunt, aut materia nunc magis nunc minus incalescit, citius aut tardius finiunt.

Sunt qui Phlegmonen dividunt in notham, ut est *Phlegmone Erysipelatodes*, *OEdematodes*, &c. Sed illæ distinctiones tantum oriuntur à materiâ obstruente, prout fuerit tenuis, tenax aut acris, & canaliculi diversi ordinis sint obstructi; simul enim cum Erysipelate vasa cutis lymphatica latè possunt obstrui, atque sic latè porrigit suos lacertos : & si lympha fuerit viscida, ubique subsistens, tumor est mollior & magis ad œdema vergens. Itaque in hisce differentiis explicandis nulla erit difficultas.

Finiunt quadrupliciter.

Quadrupliciter finiunt, nempe *Resolutione* seu obstructionis *Dissolutione* & *Attenuatione*; *Suppuratione*; *Putrefactione*; *Scirrho* aut *gangræna* vel *sphacelo*. Cur evanescant, aut in pus mutentur supra dixi. Ast putrefactio sæpe originem trahit, quando materia obstruens profundiorem locum occupavit, tumoris apertio neglecta, sanguinis è corrosis vasis admixtio, &c. Induratio ac mortificatio veniunt vel à nimio frigore externo, aut medicamentis astringentibus malè applicatis : atque si insuper, particulæ corrodentes accedant, quibus vasa sanguinem ducentia corroduntur, vel si nimium premantur, ita ut sanguinis cursus inhibeatur, sequitur gangræna & sphacelus. Si mutetur in cancrum, gangrænam aut sphacelum, malum. Inflammationes in interioribus partibus magis periculosæ quan ad exteriotes. Circa oculos, faciem, cor, pulmones, hepar, ventriculum, intestina, vesicam, penem, uterum, cerebrum, articulos periculo non vacant. Æstate atque in juvenibus calidis succis præditis citius quam senibus calidis succis præditis citius quam senibus aut hyemali tempore sanantur, & circulum absolvunt. In succi plenis tardius quoque finiunt quam macilentis : nam in succulentis, quorum tegumenta multa teneriora.

Quid venæ sectio facit.

Indicatio triplex esse potest : primo per interna & externa. *Interna* sunt, ut per acidum obtundentia superfluæ nostrorum succorum fermentationes moderentur, ne ad inflammationem augendam causæ existant. Accedant hisce diuretica ac attenuantia, ut materia coagulata ac incalescens dissolvatur, pristinæque fluiditati restituatur. *Externa* sunt *Phlebotomia*, ne sanguis ob celerrimum cursum partem læsam nimium premat, offendatque, quâ omnis transitus lymphæ & sanguinis in venas, præcluditur, unde suppuratio vel augetur vel gangræna insequitur. Verum Venarum illa apertio, non nisi in summâ necessitate fieri debet, cum dolor est intolerabilis, aut fauces angustantur; tunc enim phlebotomia non instituitur tam ad inflammationem tollendam quam ad symptomata diminuenda. *Secundo*, Remedia sunt adhibenda quibus materia attenuatur ac dissolvatur; ast si hisce non succedat, moliendum ut brevi ad suppurationem, detersionem ac curationem perducatur. *Tertio*, *Victus ratio* accurata est observanda.

Purgandum primo leniter, ut humores quidam acres per alvum è sanguine deponantur, qui etiam inflammationibus focum struebant, succosque coagulabant. Purgantibus enim intestinorum membranis irritatis plus succi à

glandulosis acinis sequestratur quam alias, quibus etiam multum acidi secernitur, quod ex fœtore liquet.

Omnia interna non inutilia sunt, modo constent ex sale fixo aut volatili, uti etiam ea quæ superfluam urinam cum sale muriatico pellunt, nec non quæ omnes visciditates, ut materiam alibi hærentem & stagnantem, dissolvant atque priori fluiditati restituant. Neque *Diaphoretica* à scopo nostro sunt eliminanda, nam sudatio modica eventui optato tandem respondet. Ex eodem etiam constant materiâ, ideoque urinam pellentia sunt summè necessaria, quibus omnis inveterata salsedo expellitur, & recens succus, isque fluidus sanguini communicatur: inter ea sunt potus Coffeæ aut Theæ, qui plurimum urinæ præcipitant & multum sudoris expellunt, imo aliquando alvum movent; hac de causâ sæpe pleuritides, peripneumoniæ, absque phlebotomiâ sanantur. *F. de le Boë*, *Sylvius* sequentem commendat mixturam: ut

Recipe Aquæ Petroselini,
Hyssopi,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Theriacalis simplicis, *unciam semis.*
Spir. Salis Armoniaci, *drachmam semis.*
Laudani opiati, *grana quatuor.*
Syrupi papaveris Erratici, *unciam semis.*
Misce.

Sequens etiam non minoris erit utilitatis, ut:

Recipe Aquæ Fœniculi,
Hyssopi, *ana uncias duas.*
Vitæ, *unciam semis.*
Aceti stillati, *drachmas duas.*
Oculi Cancri,
Antimonii diaphoretici, *ana drachmam unam.*
Spermatis ceti, *scrupulum unum.*
Laudani Opiati, *grana duo.*
Syrupi quinque radicum, *drachmas duodecim.*
Misce.

De hac mixtura æger cochlear unum aut alterum sumat interdum. In priori mixtione spiritus salis armoniaci in tam minima aquæ quantitate nimius est, nam ægri eâ cochleatim uti nequeunt, nisi fuerit admodum debilis.

In alterâ mixturâ acetum destillatum non tantum sanguini venenum est, sed & cum antimonio diaphoretico colluctatur, unde vomitum dabit; vis porro oculorum cancri obtunditur: huic etiam syrupus ingreditur, ut & priori, quo nihil nisi pituita generatur, qua operatio debita præpeditur.

Spiritus salis armoniaci, urinæ, cornu cervi, fuliginis &c. in debitâ quantitate

titate guttatim cum cerevisiâ summè lupulatâ, (vulgo *Jopen-bier*, sed potius *Hoppen-bier*) Vino Hispanico &c. sumi sæpe potest. Ex. gr.

Recipe Spir. Cornu cervi rectificati, *drachmas duas.*
Vini Hispanici (vulgo secq) *uncias sex.*
Laudani nostri volatilis, *drachmam unam.*
Misce.

Sumatur cochleatim; in diversis occasionibus hanc mixturam bono cum fructu propinavi. Spiritus enim cornu cervi bene rectificatus & ab omni foetido oleo depuratus in sanguinem cæterosque succos penetrat; ejusdem quoque sunt pulveres ex ceti spermate croco &c. quia etiam sale volatili oleoso constant: ut

Recipe Spermatis *ceti unciam unam.*
Croci, *unciam semis.*
Misce fiant pulveres duodecim.

Sumatur mane & vesperi cum Vino Hispanico unus, deinde superbibantur aliquot scatulæ lactis dulcis ferventis, aut Coffeæ, aut Theæ.

Porro omnia conveniunt quibus fermenta acria, & acida domantur, ut, *Mandibulæ Lucii, Unicornu piscis Narhval, Sulphura Metallica* & *Mineralia Fixa*; *Antimonium Crudum* & *Diaphoreticum*; *Oculi Cancri*; *Laudanum Opiatum*, *omnes plantæ antiscorbuticæ*, ut *Barbarea*, *Cochlearia*, *Piperitis*, *Nasturtium Aquaticum* & *Hortense*, *Raphanus Silvestris* & *Hortensis*, *Erysimum*, *Sinapi*, *Cichoreum*, *Taraxicum*, &c. Quoniam plerumque illæ inflammationes ex internis oriuntur causis, non tantum insistendum externis mediis, sed & internis.

Repellentia sunt inutilia.

Externa Medicamenta constant ex iis quæ vulgo dicuntur *Repellentia*, *Resolventia* & *suppurantia*. Quoad *Repellentia*, non possum intelligere quomodo repellant, eo quod sanguinis circulatio illud contradicit, & valvulæ circa cor, &c. inhibent. Quidquid regulari modo per vasa ruit, continuo procedit sive in vasis in fibrosis canaliculis; & quoniam humorum circulus ob valvulas inhiberi nequit, hinc est quod repulsio locum non habeat. Repellentibus porro dictis sæpe plus damni quam emolumenti ægris affertur; non enim constant ex volatibus & attenuantibus particulis, sed ex astringentibus, quibus succi stagnantes adhuc magis incrassantur & minus mobiles fiunt: Repellentia enim illa putatitia ex austeris constantur particulis, quibus lac, & per consequens sanguis coagulatur & inspissatur, adeo ut non tantum tumor (præsertim si magnus fuerit) ad dissolvendum aut maturandum retardetur, sed tunc persæpe in scirrhum gangrænam imo & sphacelum immutatur aut cancrum, atque sic ægri non tantum sanitate orbantur, sed insuper manticulantur. Sed quid faciendum quando inflammatio tam vehementer ardet flammas eructare quasi minatur? tunc loco repellentium, usu veniant Resolventia, quæ ex tenuibus particulis constant,

ſtant, quibus materia infarcta & coagulata reſolvitur & in fluorem ducitur, & ſi quædam deſiderantur, ſequentia poſſunt eſſe utila, ut:

Radices *Bardanæ*, *cardui ſilveſtris*, *Cucumeris aſinini*, *graminis*, *aſparagi*, *iridis*, *Raphani*.

Folia *alſines*, *lentis paluſtris*, *fuci paluſtris*, *abſinthii*, *phellandrii*, *ſii aquatici*, *Scordii*, *cochleariæ*, *graminis*, *bellidis*, *taraxici*, *cichorei*, *chærefolii*, *fœniculi*, *petroſelini*, *becabungæ*, *cardui ſilveſtris*.

Flores *camillæ*, *Meliloti*, *Croci*, *Sambuci*.

Caphora, *creta*, *cineres*, *ſulphur*, *ſal armoniacum*, *bolus*, *ceruſſa*, *ſperma ceti*.

Spiritus vini & frumenti, *Unguentum album camphuratum*, *ſtercora animalium*, *fermentum farinaceum*, *cereviſiæ fæx ut & vini*.

Ex hiſce & ſimilibus variæ fiunt formulæ ad materiam diſcutiendam, reſolvendam, attenuandam aut ſaltem penetrandam, ut,

Recipe Sulphuris triti,
Boli Armenæ,
Terræ Vitrioli, *ana unciam unam*.
Caphoræ, *drachmam unam*.
Spir. vini, *quantum ſufficit*,
Miſce fiat Unguentum.

Unguentum illud multum valet in inflammationibus profligandis; caphora enim ac vini ſpiritu cutis pori aperiuntur: quorum ope multum acidi ac particularum incaleſcentium uſque in bolum aliaque alcalia inſinuantur; atque ſic occaſio datur quâ inflammatio à particulis incaleſcentibus atque fermenteſcentibus liberatur. Et præter hoc ipſa caphora ſpiritu vini diſſoluta optimum producunt ſal volatile oleoſum, quo ſucci condenſati valde attenuari poſſunt. vel

Recipe Spir. Vini, *uncias quatuor*.
Camphoræ, *drachmas duas*.
Ceruſſæ, *unciam unam*.
Croci, *grana decem*.
Miſce pro Fotu. vel,

Recipe Stercoris Canini albi, *uncias duas*.
Salis armoniaci, *drachmas duas*.
Caphoræ, *drachmam unam*.
Fœcis cereviſſæ recentis *quantum ſufficit*.
Miſce pro Fotu. vel,

Contunde Fol. Taraxici,
Cochleariæ,
Cardui Sylveſtris, *ana Manipulum ſemis*.
Alſines, *Manipulos duos*.
Lentis Paluſtris, *manipulum unum*.
Sulphuris, *uncias duas*

Omnia contundantur, miſceantur & parti affectæ calidè imponantur.

Conſtant illa, ut ſtatim dixi, ex particulis volatilibus, fixis & oleoſis.

Vel ſumitur arena calida cum ſale marino, & parti affectæ imponitur, eſtque in pleuritide ac anginâ egregium topicum. Calor enim ſolus multum boni ſuccis ad attenuandum affert. Laudo quoque emplaſtrum de ſpermate ceti, quod componitur ex *unciis quatuor* ceræ albæ; *unciis duabus* ſpermatis ceti, & *uncia una* Gummi galbani in ſpiritu vini ſoluti. Huic proximè accedit Emplaſtrum de ſpermate ranarum, aut diapalmæ cum terrâ vitrioli, item Emplaſtrum de minio, &c.

Etiam Cataplaſmata in uſum vocantur. Ex. gr.

Recipe Rad. Cucumeris Aſinini,
Bacc. Lauri, *ana uncias tres.*
Fol. Abſinthii Latifolii,
Tabaci,
Eupatorii,
Phellandrii,
Cherefolii,
Petroſelini, *ana manipulum unum.*
Flor. Sambuci,
Camomillæ Romanæ, *ana manipulum ſemis.*
Sem. Cumini, *uncias duas.*
Caphoræ, *drachmas duas-*
Coquantur ex ſpiritu vini in formam Cataplaſmatis.

Cur nonnulli pinguia non ferant.

Quidam homines pinguia non ferunt aut oleoſa, quia ob cutim à calore relaxatam facile ſeſe per poros inſinuant, quibus calori major alimenti copia ſuppeditatur: item cutim obſtruunt, & hoc modo debita particularum diaphoreſis inhibetur: aſt ſi cutis fuerit durioris texturæ, oleoſa melius ferunt, & in iis adhibere poſſumus. *Unguentum martiatum*, *Althææ compoſitum*, *butyrum majale*, *oleum Laurinum*, *Anethinum*, *Rutaceum*, *terræ*, *de lateribus*, *terebinthinæ*, *petræ*, *ſuccini*, &c.

Si materia porro obſtruens in tantâ fuerit copiâ ut attenuari ac diſſolvi nequeat, ad invicem mediante motu ſuccorum & vaſorum comprimitur, quâ tumor diminuitur ac cum cuſpide elevatâ prominet.

Quæ ſuppurationem procurant.

Ut ſuppuratio porro magis promoveatur, adhibentur, quæ *emollientia* aut *ſuppurantia* dicuntur, atque illa ab antecedentibus gradibus tantum differunt, imo omnia prioribus peragi queunt. Illa etiam ſubtilis materiæ continuo motu inflammationum incaleſcentiam valde diminuunt, & pus citius apparet: huic rei inſerviunt ſequentia:

Radices *Althææ*, *bryoniæ*; *allii*, *cepæ*, *cucumeris aſinini*, *filicis*, *liliorum alborum.*

Folia

Folia *althææ*, *Brassicæ*, *betæ*, *chærefolii*, *Mercurialis*, *Malvæ*, *Parieratiæ*, *violariæ*, *verbasci*, *brancæ urcinæ*. *Atriplicis*, *spinachiæ*.

Fructus *ficuum*, *malorum dulcium*, *dactylorum*, *passularum majorum*.

Farina *fabarum*, *lini*, *fœnugræci*, *althææ*, *hordei*.

Axungia *porci*, *hominis*, *vituli*, *anseris*, *gallinæ*. *Medulla ossium*, *butyrum*, *olea emollientia*.

Gummi *ammoniacum*, *Opopanax*, *galbanum*, *sagapenum*, *bdellium*, *styrax*, *terebinthina*, *resina pini*, *cera*, *mel*, *animalium fimus*; *myrrha*, *aloë*.

Flores *meliloti*, *Camomillæ*, *malvæ*, *sambuci*, *verbasci*, *croci*.

Emplastrum *diachylon simplex* & *cum gummi*, *de meliloto*, *de mucilagine*, *de cumino*, *de baccis lauri*.

Unguentum *agrippæ*, *althææ*, *basilicum*; *pectorale*, &c.

Ex Hisce variæ formulæ præscribi possunt. ut:

Recipe Ceparum sub cineribus coctarum, *unciam unam & semis*.
Fol. Betæ, *Manipulos duos*.
Fermenti farinacei acris, *unciam semis*.
Ficuum pinguium, *Numero duas*.
Flor. Meliloti,
Camomillæ vulgaris, *ana Manipulum unum*.
Coquantur ex cerevisia crassa in cataplasmatis formam; adde
Farinæ Lini,
Unguenti Basilici, *ana uncias duas*.
Misce fiat Cataplasma.

Et si potentiorum virium requiratur cataplasma, admisce nonnihil Saponis nigri. vel

Recipe Emplastri de Meliloto, *partes duas*.
Diachyli cum Gummi, *partem unam*.
Misce fiat Emplastrum.

Hisce addi possunt multò efficaciora remedia, ut *Nicotiana*, *Sinapi*, *Piper Indicum* & *Brasiliense*, *Cinamomum*, *Caryophylli*, *Spiritus Matricalis*, *Spiritus de Cornu Cervino* &c.

Optimè additur Cataplasmatibus nonnihil calcis cum sale armoniaco, aut ejus loco calcis cum cineribus clavellatis aut sale tartari &c. Et erit medicamentum penetrans. Ex. gr.

Recipe Flor. Meliloti,
Camomillæ,
Tabaci, *ana Manipulum unum*.
Coquantur ex cerevisia (vulgo *Jopen-bier*) in cataplasmatis formam.
Contusis adde

Croci,
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Spermatis ceti,
Salis tartari, *ana drachmas duas.*
Armoniaci, *unciam semis.*
Misce fiat Cataplasma.

Facto pure, imminuuntur symptomata, ut est dolor, febris &c. extuberantia fit minor, sed mollities & albedo augentur. Modum abscessum seu apostema aperiendi, in superioribus descripsi. Factâ apertione, pus, ut decet, evacuari debet, & apertura detergeri, cui conducunt ea, quæ ex alcali fixo & volatili oleoso constant, & etiam ex iis nonnihil parietes spurcos abrodunt: per priora procuratur ne succi chylosi exstillantes acorem contrahant ac acidi reddantur, quorum immutatione perversa ulcera diu aperta manent: atque per alia fibræ ab omni parte ruptæ ad sanam usque carnis partem absumuntur, & illud vocatur detergere seu mundificare. Et illa conficiuntur ex sequentibus:

Radices gentianæ, succus chelidoniæ majoris, rorismarini, alchimillæ, Myrrha, sagapenum, balsamum sulphuris, nitrum, vitrum antimonii, mercurius præcipitatus, unguentum basilicum, de apio, Ægyptiacum, Apostolorum. Emplastrum diachyli simplicis, mel rosarum, resina pini, gummi elemni, &c. ex quibus in Tyronum gratiam sequentia fieri possunt: ut

Recipe Axungiæ Porci,
Ovis,
Terebinthinæ, *ana uncias duas.*
Gummi Elemni,
Sagapeni, *ana unciam semis.*
Misce fiat unguentum. vel

Accipe Butyri recentis non saliti, *uncias tres.*
Terebinthinæ,
Ceræ Flavæ,
Olei communis, *ana uncias duas.*
Gummi Elemni, *unciam unam.*
Æruginis,
Myrrhæ,
Unguenti Basilici, *ana unciam semis.*
Misce fiat Unguentum. vel

Recipe Gummi Ammoniaci, *unciam unam & semis.*
Resinæ pini, *unciam unam.*
Lithargyrii, *unciam semis.*
Olei Veteris, *quantum satis est.*
Misce fiat Unguentum. vel

Accipe

Accipe Mellis chelidoniæ Majoris, *uncias tres.*
Farinæ hordei, *unciam unam.*
Succi Apii, *unciam ſemis.*
Croci, *ſcrupulum unum.*
Miſce.

UNGUENTUM SUPPURATIVUM.

Recipe Terebinthinæ, *uncias duas.*
Unguenti baſilici, *uncias quatuor.*
Olei Hyperici, *unciam unam.*
Vitrioli, *ſcrupulum unum.*
Præcipitati rubri,
Maſtichis,
Olibani *ana drachmas duas.*
Miſce fiat Unguentum.

Hiſce unguentis fiunt turundæ pingues, quæ aperturæ intruduntur, aut inditur pilula oblonga ex melle chelidoniæ in conſiſtentiam ſpiſſam cocto, quâ ulcus citò mundatur & ſanatur. Chelidoniæ majoris vires ferè apud nullos authores deſcriptæ, conſtant ex ſale volatili oleoſo efficaciſſimo, quod ulcera & vulnera mundificat & ſanat, quia inhibet, ne ſucci in aperturam emanantes, acorem contrahant, atque hanc ob rem celerrimè ſanantur. Vulnera enim recens ſecta, breviſſimo temporis ſpatio conſolidantur, modo ejus ſuccus inſtilletur: quam ob rem etiam oculis medela eſt, ut & ictero variiſque in corpore obſtructionibus, totam enim ſanguinis maſſam penetrat, & diſſolvit omne viſcidum & pituitoſum. Brevi vires hujus herbæ necdum ſatis notæ, & parcius nimium in uſum medicum vocatur. Chelidoniæ Virtus.

Mundato ulcere, & carne rubente, ſarcotica ſunt adhibenda: ut

Thus, Sarcocolla, Radices conſolidæ majoris. Herba Millefolii, Achimillæ, Saniculæ, Pyrolæ, Hyperici, Virgæ aureæ, Veronicæ, Solidaginis ſaracenicæ. Balſamum ſulphuris. Emplaſtrum diaſulphuris, Balſamum copaibæ, peruvianum, Terebinthina, Reſina pini, oleum hyperici &c.

Inter hæc & priora quandam differentiam volunt, ſed re bene perſpecta, earundem ſunt virium & operationis: hæc enim ſolummodo aciditates temperant non tantum, ſed earum geneſin inhibent: neque ita rodentia ſunt &, temperato acido, ipſa caro per ſe creſcit: & quomodo illud fiat in *Inſtitutionibus noſtris* lege. Porro ſequens balſamum apprime utile.

BALSAMUM ITALICUM VULNERARIUM.

Recipe Olei Hyperici, *uncias quatuor decim.*
Terebinthinæ Venetæ, *uncias quatuor decim.*
Ceræ flavæ, *uncias duas & ſemis.*

 Olei

Olei petræ, *unciam semis.*
Spicæ,
Styracis liquidæ, *ana drachmas tres.*
Colophoniæ, *unciam unam.*
Santali rubti, *unciam unam & semis.*
Misce fiat Balsamum.

Vires hujus balsami potissimum consistunt in Terebinthinâ, oleo petræ spicæ & liquidâ styrace, quæ omnia sale volatili oleoso turgent, acidum summoperè moderantia.

EMPLASTRUM DIASULPHURIS AD ULCERA CITO CONSOLIDANDA.

Recipe Balsami sulphuris, *uncias tres.* (sed si æris usti *unciam semis*, cum totidem cinnabaris ei velis infundere, ad inveterata ulcera melius) myrrhæ,
Croci metallorum optimè loti *ana uncias tres.*
Sacchari Saturni, *unciam semis.*
Coquantur lento igne in consistentiam Emplastri.

Ulcere satis carne impleto cuticula est inducenda, idque etiam fit summè acidum temperantibus, de quibus in Institutionibus nostris: atque interea sunt *Lithargyrium*, *cerussa*, *plumbum ustum*, *tutia*, *lapis calaminaris*, *pompholix*, *ovorum testæ ustæ*, *unguentum album camphuratum*, *desiccativum rubrum*, *de minio*, *de lithargyrio.* *Emplastrum Gryseum*, *Diapompholigos*, *Opodeldoch Felicis Wurts.*

Victus Ratio optima interim non est negligenda: abstineatur à cibis acrioribus & sanguinem accendentibus, quia istis sanguis celerius debitò incedit, atque inflammationi molestiam adferret non exiguam, unde dolor & tensio non parum augentur. Ideoque consultum est cibis quidem uti attenuantibus, sed qui tamen circulationem sanguinis nonnihil moderantur atque refrænant. Potus Theæ salubris admodum, hoc enim & pituita & acidum expellitur. Cerevisia ac vinum oligophorum: fuge iram ac vita laborem nimium, & ab omnibus quæ sanguini anomalias adferunt. Si præ dolore à somno avocamur, Emulsio sumatur ex semine papaverino; aut laudani opiati granulum unum aut alterum.

Caput III.

DE ANGINA, TONSILLIS INFLAMMATIS, UVULÆ PROLAPSU, INFLAMMATIONE ET EXULCERATIONE.

QUoniam faucium plerique affectus ad Chirurgiam pertinent, nonnullos hicin ſcenam producam: & quamvis alibi de ANGINA egi, nihilominus tamen nexus gratia, ejus Hiſtoriam iterum repetam. Is affectus maximè Pharyngem & Laryngem, ſive potius ejus muſculos & nonnunquam glandulas adjacentes ſolet afficere: porro muſculi interni & externi tam laryngis quam pharyngis ſimul magis vel minus hoc tumore intumeſcunt: ex hiſce faciunt inſuper quatuor differentias, ſed eæ magis ſpeculativè quam practicè proponuntur, de quibus antea ſatis ſuperque. Angina.

Præter ſymptomata, quæ in capite de inflammatione ſeu Phlegmone diximus, anginæ alia inſuper adjunguntur, nempe difficilis colli motus, qui cum dolore peragitur: reſpiratio difficilis, deglutiendi tam liquidorum quam ſolidorum difficultas: & dolor non parum in faucibus ardens: atque hæc obſervantur in *incipiente*. Aſt in *completa* reſpiratio ferè eſt abolita, & quaſi ſuffocativa: Deglutitio ita impeditur, ut potulenta iterum per nares regurgitare cogantur: idque propter faucium anguſtiam. Adeſt dolor ultra modum inſignis, vehementer urgens & rodens, præter modum pulſans & pungens Rubet lingua ac tumet; loquela perdifficilis eſt, nam præter anguſtias, etiam ejus motus non parum difficilis eſt: muco etiam valde tenaci obducitur: facies nonnunquam tumet ac livet. Pulſus in carpis eſt tenſione interpolatus & convulſo non abſimilis, ut & magnus & undoſus, ſed quibus ſuffocatio imminet, iis rarus eſt & parvus: Verum in ipſâ ſuffocatione creber fit & inæqualis. Vehemens adeſt febris, ſed in ſpuriâ anginâ minus difficilis. Ex reſpiratione & deglutitione magis vel minus læſâ, judicatur de parte affecta.

In Spuria TONSILLÆ inflammantur & tument, quando earum liquor mucoſus nimium craſſus & acris eſt factus, ita ut ſcerni nequeat, tunc vel una vel ambæ ſimul à retro adfluentibus ſuccis magis extumeſcere coguntur, unde tumor, rubedo &c. ut in vulgari inflammatione fieri ſolet: hinc eſt, quod foramina ex quibus in ſtatu ſano liquor ſalivaris paulo glutinoſior exſtillat, tunc etiam magis tument. Materia hac tenaci effluente faucibus & linguæ pelliculæ in modum adhæret. Atque illarum partium inflammatio nunc eſt *abſoluta* vel *Spuria*. Tonſillarum inflammatio.

Abſoluta Angina aut *Tonſillarum*, venit vel ex ſucco nutritio, ſeu chyloſo ut cæteræ inflammationes, quæ etiam pro variâ acrimoniâ diverſimodè apparent, quod ſymptoma longæ non eſt durationis. In *Spuria* vero obſtructio tantum ortum habet ex ſucco eliminando præter morem incraſſato atque acri, unde partes excoriantur & ad inflammationes ſtimulantur: illudque Symptoma etiam pro diverſâ acrimoniâ magis aut minus afficit: ejuſmodi quoque

Angina

Angina Spuria non raro cum tonsillarum inflammatione apparet ; cui nulla febris vel saltem vix sensibilis adjungitur, prout inflammatio fuerit parva vel magna. De Anginâ cum febribus superius in praxi mentio fuit facta, quæ etiam non raro *Epidemica* & *Maligna* apparuit.

Causæ internæ ut succus nutritius vel lympha stagnans, acris, rodens, præter modum glutinosa &c. atque hujusmodi succis musculi, glandulæ &c. uti in Phlegmones genesi diximus. Sic Hæmorhoides aut Menses suppressi : Dysenteria perversè curata, &c. Docent anginosos affectus fuisse inductos.

Ad *Causas externas* pertinent ea quæ faucibus inhærent, aut afficere alias possunt, ut nimium piperata, usus spiritus salis armoniaci præposterus; potus nimium gelidus, præsertim in corporibus calore fervidis; idem facit aër borealis & frigore injurius; nimia vestimentorum, vel stragulorum detractio. Spiritus nitri, salis, vitrioli, aquæ fortis &c. epotatio &c. à frigidis enim succi glandulas faucium percurrentes condensantur, quibus incrassatis, succorum periodus valde & sæpe subitò sistitur, vel saltem retardatur : & ab acribus liquoribus fauces roduntur. Hisce accedunt aciculæ, spinæ, ossicula, aliaque pungentia, quæ si faucibus inhæreant & facile evelli nequeant, inflammationes inducunt. Inter assumpta quoque pertinent Mercurialia præsertim inter salivandum : Nam Mercurius spiculis acribus & valde rodendibus saturatur, qui cum salivâ ad oris partes & fauces, ad eliminandum ducitur, unde glandulæ circa fauces & os corroduntur & inflammantur. Huc quoque pertinent convulsiones ex Emprosthotono; vertebrarum luxatio ut & colli & cervicis, &c. quidem anginam sæpe lethalem inferunt, sed causa non ex inflamatione ortum trahit.

De *Prognosi*, *curatione* &c. hic nihil, quia in praxi occurrunt, dicam.

Uvulæ inflammatio. UVULA INFLAMMATA, eandem quoque agnoscit causam, quæ medetur gargarismate ex rapis, ficubus, salviâ, floribus sambuci &c. addendo nonnihil mellis albi. Porro cum sit glandula posterius à palato in faucium isthmo propendens laxa quadam membrana tegitur, qua, tanquam in sacculo laxè concluditur : ex illâ glandulâ exeunt per dictum sacculum membranaceum varii tubuli, succum aliquantulum mucosum evomentes, ad palatum, vicinasque partes non tantum lubricandum, sed etiam ad aërem inspirandum, temperandum. Si contingat porro succum illum sequestrandum à frigido potu, frigido aëre &c nimium condensari, per tubulos dictos nequit foras trudi, sed ibi manet, & quoniam alius à tergo continuo accumulatur, cogitur uvula intumescere & præ gravitate propendere, quæ iterum constringitur, si Medicamenta quædam acria spatulâ affricentur : atque illa contractio est species convulsiones : præparantur ergo pulveres ex pipere, Zingibere alumine usto, sale Armoniaco &c. ab inflammatione quidem Uvula exulceratur, tunc gargarismata sunt præscribenda ex Malvâ, floribus rosarum, salviâ, alumine, vino rubro astringenti &c.

Uvulæ relaxatio.

Puer tredecim annorum habebat magnæ molis linguam, ita ut extra dentes incisores & os promineret, unde inter loquendum balbutiebat, & cibos incidere ac manducare nequibat; Manc lingua erit major quam vesperi, color ejus erat lividus.

Quod

Quod ita intumuerit, est à glandulosis acinis fibrosæ linguæ carni interspersis, quibus obstructis & intumefactis, etiam tota lingua intumescit, lividus color oritur, quia plus sanguinis adveniat, quam reduci possit, hinc stagnatio, eodem modo ac patibuli candidatis contingit, quando strangulantur; vel digitus filo firmiter circumvolvatur.

Porro circa vesperam magis detumescit, ex eo, quia nocturno tempore parum salivæ ex dictis acinis secernitur, & lingua minus movetur, quod nobis vigilantibus aliter accidere solet. Illum balbutire mirum non est, quia pronuntianda à linguæ mole quasi suffocantur. Et quia lingua extra os exerebatur, cibos incidere & manducare nequibat.

Quidam linguæ incisionem & diminutionem proponebant; sed Hæmorrhagiam timebant; postea ad me ventum, omnibusque seriò perspectis, incisionem distuli; præscripsi Masticatorium ex *Rad. pyrethri*, pipere, Mastiche, semine staphidis agriæ, &c. Hoc enim multum salivæ ex lingua eliciebatur; interim pilulas ex gummi ammoniaco, chalybe &c. devorandas dedi; & tandem sal volatile nostrum cum vino inter prandendum & cænandum sumpsit. atque is paucis diebus restitutus fuit, & Coloniam Agrippinam iterum rediit.

Similis casus mihi accidit ante multos annos in viro triginta annorum, quem ego & mecum Cl. Dom *Emanuel van Yperen*, eodem modo tractavimus.

CAPUT IV.

DE ERYSIPELATE.

ERYSIPELAS significat nihil aliud quam Tumorem rubrum: *Ignis* quoque *Sacer* dicitur, Belgis *Roos* seu *Rosa*, quia istius tumoris mutatio cum rosis convenire videtur, nam in principio quando se explicat subrubra apparet, postea magis pallescit, deinde gilva est, & ultimò flavescit & albescit: idem etiam Erysipelati contingit. Vulgus omnes affectus ferè Rosam vocitant, quibus tantum adest incalescentia (vulgo *broeying*) sed impropriè. Erysipelas.

Igitur nihil aliud est *Erysipelas* quam inflammatio in minori gradu quam Phlegmone, omnibus nostri corporis partibus mollibus adveniens, sed præsertim cuti, cum tumore in latitudinem sparso non admodum elevato, absque notabili pulsatione, cum rubore, calore, dolore pungente &c. Quid.

Tumor hic non tantum in altum elevatur ac in Phlegmone. 2. Calor est remissior. 3. Dolor est instar acuum ac acicularum puncturæ, sed tolerabilior, quam in phlegmone. 4. Color est coccineus seu cramœsinus, ast in Phlegmone intensior aut obscurè rubicundus. 5. Tumore digitis presso, color rubicundus redit. 6. Intumescentia mollis est. 7. Tensio modica. 8. Locum non raro mutat, 9. Non raro cum corporis infrigidatione se sistit. Erysipeas Vesicarium.

10. Sæpe adest febris, præsertim si Erysipelas magni sit momenti. 11. Iterdum in vesiculas seu bullulas elevatur, tuncque nostratibus *Bel-roos* appellatur, sive *Erysipelas Vesicarium.*

Causæ à Phlegmone quoque ut magis & minus differunt, ast Erysipelas plerumque, est in cute mollioris ac laxioris texturæ, cujus succi lymphatici ac nutritii ab externo frigore facile coagulantur. Et illa coagulatio eodem modo fieri potest ac in carnium coctarum jure, quod etiam à frigore in gluten quasi condensatur. Nam hic simplex non est aqua aut serum, sed tamen chylo, ex quo Phlegmone producitur, tenuior: & quod hic tanta caseosarum particularum copia non adsit, exinde liquet, quoniam rarissimè suppurantur: ideoque quando lympha illa sive succus nutritius in cute coagulatur, sive à frigore aut alias, facile calore attenuantur & priorem fluiditatem recuperat, ceu videmus carnium juri, igni admoto, evenire; quod non contingeret, quando materia coagulata multum casei contineret, uti in Phlegmone dictum.

In quibus canaliculis Erysipelatis causa fit. Nunc inquirendum restat, quibus in canaliculis obstructio illa fit: & respondetur, canaliculos illos capillares multò esse angustiores quam in Phlegmone, & consequenter tenuiorem succum continere; & proinde videtur lymphaticus succus in lymphaticis cutis canaliculis contentus, esse; qui etiam à tergo ab affluente lymphâ premuntur, hinc cutis intumescit, ut antea de Phlegmone dictum. Eodem quoque modo tumor hic rubescit, ob intumescentiam enim vasa sanguinea comprimuntur, quà sanguis justo modo pertransire nequit: sed tamen non tam intensè rubet, quia hic longè minora atque exigua tantum vascula sanguinea premuntur; eadem de causâ pulsatio enim in majoribus arteriarum ramis manifestior est, quam in capillaribus surculis, uti nostrâ opinione hic loci fit.

Calor. Calor istius inflammationis etiam consistit in particulis incalescentibus, ut in Phlegmone diximus: nam particulæ acidæ & alcalicæ etiam à subtilis materiæ influxu facilè inter se moveri possunt, idque eodem modo ac in aliis inflammationibus.

Dolor pungens. Quoniam lympha ista non adeo est coagulata & inspissata, quin adhuc aliqualem fluiditatis statum servaverit, hinc ob motum tardiorem & ferè denegatum particulæ magis magisque acriores fiunt, quæ si minimos canaliculos permeant, atque nervosas partes prætereunt, pungunt & lancinant, doloremque, quasi ab aciculis pungentibus, inferunt; atque hoc in innumeris canaliculis non potest non fieri, qui tumori circumjacent.

Erysipelas vesicularis. Liquor iste sæpe acris & corrosivus evadit, & canaliculi, qui hunc continent, non raro corroduntur; vel succi à tergo promanantes, obstructos ita dilatant, ut rumpantur, atque tunc liquor contentus intra cutim & cuticulam destillat, congregatur, quare cuticula in bullas aquosas elevatur, nobis *de belroos* seu *Erysipelas vesicularis.*

Cur loco mutatur. Evanescit aliquando Erysipelas, & postea in alio loco se manifestat, quia Inflammatio illa primo medicamentis fuit soluta, & sanguinem ingressa; & quoniam iste sanguis ab isto statu necdum est liberatus, facile continget, eandem se in alio loco spectandam exhibere. Etiam materia in ma-

jusculis vasculis soluta in multo minora protruditur, atque sic etiam locum mutat. Item priori dissipata, & alter tumor oboriri potest, non quidem à priori dissoluto, sed de novo ex iisdem succis facile concrescentibus.

Atque hic plura quidem phænomena erant explicanda, sed qui præcedens caput perlegit, facile cætera explicabit.

Differentia nullam aliam agnoscit originem, quam quod materia obstruens sit magis aut minus salsa, acida, viscida, pinguis &c. Hinc inutilia finxerunt olim nomina ut sunt *Erysipelas Phlegmonodes*, *Oedematodes*, & *Scirrhodes*, de quibus superiori capite. Porro à particulis pinguibus, oleosis aut sulphureis inflammatio & calor intensior est; ab aciditate effervescentia est major; à pituita minor; acres & salsæ particulæ dolorem inferunt &c.

Circa caput, cor, aliaque viscera non sine periculo est. 2. Si citò evanescat, vel ut vulgo introrsum trahatur, non bonum. 3. Circa vulnera aut ulcera nihil boni afferunt. 4. Non est longæ durationis; finitur quando succi obstruentes attenuantur, suppurantur, indurantur aut in gangrænam vertuntur. 5. Mulieres & viri lympha acri pleni hunc affectum sæpe incurrunt. 6. Erysipelas vesicularis plerumque faciem, rarissimè alias partes occupat.

Materia obstruens est dissolvenda & attenuanda, & si hoc fieri nequeat, suppuranda, deinde ulcus consolidandum. Hic ergo conveniunt interna & externa.

Necessitate exigente leviter purgandum, tunc enim plurimi acres humores elutriantur. Sed melius est sudationes instituere ex *Antimonio Diaphoretico*, *Croco*, *Rob Sambuci*, *Diascordio*, *Sale Absinthii*, *Cardui Benedicti*, *Bezoar Minerali*, &c. hisce sanguis attenuatur & fluori restituitur, & quidquid inspissatum loco movetur: omne enim Erypsipelas ferè semper à frigore ortum trahit: si ergo tarde incedentes & currentes particulæ denuo fluidæ reddantur, tunc curatio est finita.

Sumitur quoque decoctio ex sambuci floribus, lacte cum aut sine croco vel rob sambuci, & quidquid magmatis reliquum parti læsæ applicatur. Imponuntur quoque lintea aquâ in quâ sapo fuit dissolutus, madida, aut urina, vel sanguis leporinus &c. linteum ad suis cutim fricatum etiam quidam applicare solent. Vel siccam cretam, aut farinam triticeam aut hordeaceam, omniaque ea quibus acidum domatur. Alii ovorum albumen sumunt cum alumine. vel

Fiat fotus. vel

Misce Aquæ Spermatis Ranarum, *uncias quatuor*.
Spir. Salis Armoniaci, *unciam semis*.
Caphoræ, *drachmam semis*.
Misce. vel,

Sume Trochisci Albi Rhazis, *drachmas duas*.
Caphoræ, *drachmam unam*.
Sulphuris Vivi, *unciam semis*.

Spir. Vini, *uncias quatuor*
Aquæ Sambuci, *uncias duas.*
Misce fiat fotus.

Viscidæ si adsint particulæ, sequens valebit.

Recipe Spir. Matricalis, *uncias duas.*
Armoniaci, *drachmas duas.*
Misce.

Linteis calidè imponantur. Aqua ex baccis sambuci destillata tam internè, quam externè multum juvat. Quidam spiritus vini & aquæ sambuci ana partes æquales sumunt, & linteis imponunt; alii parant decocta ex corticibus mediis sambuci, aut virginis lacte utuntur. Sit ut sit, quidquid applicatur acidum debet temperare, qua incalescentia tollitur: aut activis suis particulis succi moram trahentes etiam in actum duci debent.

In Erysipelate vesiculari, vesiculæ seu bullulæ sunt aperiendæ, ut liquor exeat, deinde locus unguento ex cerussâ & spiritu vini est illinendus.

Si vulneris aut ulceris circumferentiæ accedat, locus unguento albo camphorato est inungendus, quo omnis inflammatio evanescit.

Astringentia & pinguia non sunt adhibenda, plus enim nocent quam prosunt.

Si suppuretur, tractandum ut in phlegmone dictum, quod evenisse memini, quando primâ instantiâ fuit neglecta.

CAPUT. V.

DE OEDEMATE.

OEdma. OEDEMA est tumor præter sanitatem & contra bonam partium conformationem, albus, mollis & indolens, gradibusque à Phlegmone differens.

Pro variâ particularum admixtione, magis aut minus inflammatur, intumescit aut latè se extendit. Nam pro majori aut minori fluiditate aut coagulatione, acidum & alcali magis aut minus inter se movetur, & per consequens incalescentia intensior aut remissior. OEdema *Hippocrati* pro omni Tumore sumitur, ast *Galeno* pro tumore tantum pituitoso.

Causa est sanguis summè pituitosus, hoc est liquor in quo parum sanguinis est, & multum chyli viscidi: si porro accidat ab ejusmodi chylo, hos vel illos canaliculos obstrui *OEdema* vocatur seu tumor pituitosus: estque pallidioris quoque coloris, quia vasa sanguinea ab omni parte non adeo pre-

premuntur; ideo quoque nullam arteriarum experimur pulsationem. Quando digitis premitur, cavitas aliquantulum permanet; quia premendo pituita ab eo loco premitur, & quia tam cito cavitatem rursus implere nequit, nonnihil temporis requiritur, ut iterum repleatur ut ante. Et quoniam tenaces illæ particulæ difficulter inter se moventur, ideo isti tumores lentissimè vel dissipantur vel suppurantur.

Affectus hic multum non habet periculi; finitur attenuatione, ulceratione, aut mutatur in scirrhum difficile curabilem. Æstate citius solvuntur quam hyeme: sic etiam evanescit citius in calidis quam frigidis & viscidis corporibus.

Interna dantur quæ in Phlegmone & erysipelate dicta sunt; externè dissolventia conveniunt, & si necessitas exigat suppurantia & sanantia.

Primo dissolventia & attenuantia sunt usurpanda, quæ in duobus præcedentibus capitibus sunt descripta: ast si suppuratio instat, emollientia sunt applicanda.

VI. Caput.

DE MELICERIDE, ATHEROMATE, STEATOMATE, BOCIO, NATTA, TALPA, TESTUDINE, &c.

Tumores illi propriâ tunicâ clauduntur, quorum materia est instar mellis, pultis aut adipis, interdum ut ova piscium: sine dolore aut immutato colore: cum duritie, & tactu difficile cedentes. Meliceris, Atheroma, Steatoma.

Maximè ab invicem ætate differunt; in principio sunt instar mellis, deinde crassior fit materia & pultem refert; sed ultimò caseo vel adipi non est absimilis. Quidam sunt parvi, alii magni. In capite TESTUDO nomen est, quia testudinis ferè formam habet; circa collum BOCIUM appellatur: Si referat talpam, vocatur TALPA, vel TALPARIA. Nomina ad rem nihil faciunt; omnes enim isti tumores ex eadem constant materia. Accedunt hisce EPINYCTIDES quæ maximè faciem defœdant, aliquando quoque partes genitales, sed alias partes raro; sunt parva tubercula, primo rubri, deinde suppurantur; qui si exprimantur caseosum quid evomunt, sæpe instar vermiculi albi, hinc belgis *een Worm*; hujus indolis quoque sunt labiorum nodi, vulgo *Lip-knoopen*. Testudo, Bocium, Talpa. Epinyctides.

Causa horum necdum adeo manifesta; Veteres illam à pituitâ derivant; verum salvâ eorum sententiâ oriuntur à particularum chylosarum ab invicem secessione; & hoc non sine ratione fieri æstimo; materia enim tumoribus hisce contenta, nihil aliud est, quam quid caseosum & novimus, nullam in corpore nostro esse materiam, ex quâ caseus fieri potest, quam ex chylo aut lacte; ergo TUMORES illi potius CASERII sunt nominandi. Quoniam igitur illa materia ex caseo constat, etiam illi tumores in vasculis chylosis seu lactiferis, quæ per totum corpus sine numero inveniuntur, fieri debent. Variis itaque occasionibus contingit, quibus particulæ Casearii tumores.

lacteæ

lacteæ in quopiam vasculo subsistere possent, sive ab aliquo acido aut alias, unde obstructio, nam quidquid caseosum est, vasculum tunc obstruit. Cum porro à tergo continuus est ejusmodi lactis aut chyli affluxus, tumor iste sensim augetur, atque vasculum illud obstructum magis ac magis dilatatur: atque sic sensim in magnam molem excrescit. Dilatatum porro vasculum est ipsa membrana, cui materia includitur, & ex quâ inter curandum eximitur. Si porro in illis vasculis plurimæ valvulæ reperiuntur, non malè assimilatur piscium ovis.

Sed præter vascula illa chylosa, ipsæ glandulæ cutaneæ atque etiam quæ profundius locantur ejusmodi sæpe materia sensim infarciuntur, idque à pluribus occasionibus, quarum textura sæpe cellulosa est, quibus à caseosa materia impletis quasi piscis ova repræsentantur: & quia glandulæ istæ propriâ circumvolvuntur membrana, hinc etiam ejusmodi tumores eadem investiuntur.

Tumores Pilosi. Ad hoc tumores etiam pertinent in quibus pili continentur, quos ipsis oculis vidi: Testantur & illud etiam *Guarinonius*, *Horstius*, *Ruischius* aliique: vidi & illos, capitis capillos referentes, sed absque radicibus. Ex qua porro constant materia, & quomodo generantur, necdum planè explicatum & hæreo num curiosis satis facturus sim. Filamenta illa sive pili videntnr esse canaliculi; qui ob materiam glutinosam sunt obstructi, & consequens usum verum deperdiderunt, tandem coaluerunt: nam liquor glutinosus in auram sublatis particulis aquosis, magis ac magis incrassescit, & tandem indurescit. Itaque fieri potuit gluten hoc tandem induruisse, & nobis formam pilorum dedisse. Neque glutinosus iste liquor simplex erat gluten, sed quia multum acidi ac salsi admixtum erat, ita concretum in duritiem capillis non absimilem: ab hisce parum etiam differunt tumores, qui carbones aut cespites continere videntur, qui tantum ex putrefacto sanguine sæpe oriuntur, & tandem in non dissimilem materiem indurantur.

Quia sensim & tardissimè accrescunt diu absque noxa manent, sed tandem cum materia instar casei veterrimi acris fiat, & vascula succum emanantes rumpantur, vel exulcerentur, in scirrhum aut cancrum mutantur. Si una cum integrâ membranâ non extrahantur non raro ulcus remanet vel eadem quoque materia impletur.

Si externis medicamentis non cedit, nempe Emollientibus & suppurantibus, nam materia attenuari nequit, cutis in modum crucis, si opus sit, est aperienda, & materia extrahenda. Alias sequens emplastrum super imponatur, ut emolliatur, vel suppuretur, ut:

Recipe Gummi Ammoniaci, *uncias duas*.
Sulphuris, *unciam semis*.
Caphoræ, *drachmas duas*.
Euphorbii, *drachmam unam*.
Olei Petræ, *quantum sufficit*.
Misce fiat Emplastrum. vel.

Sume

Sume Picis navalis, *uncias duas.*
Pyrethri.
Galbani, *ana unciam semis.*
Terebinthinæ,
Ceræ, *ana unciam unam.*
Misce.

Si in ulcus mutetur, medicamentis rodentibus, præcipitato præcipuè rubro, à membranâ materiam continente est absumenda: deinde cavitas relicta mundanda ac carne implenda est: si hisce non audiat ad sectionem crucialem est deveniendum. Sectio itaque fit usque ad materiam peccantem, cutis elevatur, & spatulâ tenui materia à vicinis partibus separatur; & si interim vasa quædam majora appareant, ea sunt liganda, inurenda aut styptico pulvere claudenda. Materiâ exemptâ, cavitas *unguento Ægyptiaco* & *Chelidoniæ majoris melle* est mundanda; vel si quid reliquum manserit, absumendum *aquâ sublimatâ*, *aquâ Mercuriali Fallopii*, *præcipitato rubro*, *alumine usto*, &c. post mundificationem incedendum, uti cum aliis ulceribus incarnandis solet fieri.

Goudanus civis super umbilicum pulsu vehementi, ac si esset ab arteriâ quadam aut corde, laborat; imo tam fortiter pulsabat, ut manus applicata elevaretur: pulsus quoque cum carpo harmoniam habebat; systole quippe & diastole conveniebant. Ignotus erat morbus; nemo Medicorum causam divinabat.

Dissecto cadavere, vena cava descendens materia adiposa & medullæ instar repleta erat; arteria aörta duplo quam solet amplior. Cor duplo majus & flaccidius. Sanguis tam in arteriis quam corde niger. Justo majus hepar fuit: imo vesicula fellis magnitudinem ordinariam non tantum bis superabat sed bilem continebat ex obscurè viridem, viscidam ac planè pultaceam. Cadaveris anatome pulsione circa umbilicum laborantis.

Non dubito quin steatoma quoddam ductui istius venæ obsesserit, quod arteriam magnam ita compresserit, ut sanguis descendens liberè ad partes inferiores meare non potuerit. Atque hæc *causa* istius *palpitationis* erat: novimus omnes arterias, si comprimantur exterius vel interius extendantur, sensibiliorem pulsum excitare, quam alias cum liberæ sint, & sanguis liberrimè pertranseat. Idem exemplum in cordis palpitationibus habemus, ubi si polypus aut vasorum concretio, aut aliud quodvis impedimentum adfuerit, statim solitò magis palpitat.

Intellectu jam difficile non erit, quomodo arteria supra compressionem ita fuerit dilatata: sanguis enim ibidem à compressione subsistens, & à corde acceleratus, rectâ viâ incedere impotens, latera adeo dilatavit, ut arteriæ fistula duplo aut triplo major evaserit. Ob eandem rationem etiam cor fuit dilatatum

tum & justo majus ac flaccidius; quia sanguis in arteria subsistens, cordis cavitates quoque ita replevit, ut latera justo magis dilatarentur, fibræque invicem rumperentur, ideoque fuit tam flaccidum & spongiosum.

Porro cum lien, hepar, ventriculus & intestina arterias supra obstructionem accipiebant, majori sanguinis copiâ gaudebant, ideoque hepar communem mensuram fermè duplo excedebat: & quia bilis deficiebat, cui sanguinis fluiditas pro parte debetur, viscíditatibus Vesicula fellis repleta fuit: quæ ob lentissimum motum & particularum firmam connexionem, ita coadunatæ sint, ut tandem materiam pultaceam syrupi spissioris instar repræsentaverint. Color obscurè viridis ab acido ortum habuit. Omne enim fel, si acidis admisceatur, statim tincturam viridem obtinebit.

Sed quare inferiores partes gangrænâ aut sphacelo tactæ non fuerunt, quispiam rogabit? respondeo hoc non opus fuisse; cum sanguis, licet haud magnâ copiâ, exiguâ tamen illas partes irrigabat, qui redux aliquomodo venam obstructam pertransibat. Imo vascula lymphatica nihil commune cum istis obstructionibus habebant, cum ex cruribus ad glandulas inguinales, & deinceps ab illis ad chyli cisternam vehantur. Ast si obstructionibus obnoxia fuissent, ilico Hydropicorum more intumuissent, & paulo post gangrænam & Sphacelum incurrissent.

Sanguis in Arteriis & Venis niger erat, non mirum, quia omnis sanguis, à motu celerrimo impeditus, aliquatenus coagulatur, & quo sanguis magis fuerit coagulatus, eo nigrioris coloris apparet.

Quoad *Steatomata*, illud eodem modo ac Melicerides & Atheromata gignuntur, atque hæc in qualibet molli ferè corporis parte produci possunt. Idem tumor est, vocabulis & materiæ consistentia ab invicem duntaxat diversus. Steatomata igitur à parvulo incipiunt, & diu paulatimque increscunt, quæ tunicâ suâ includuntur; Quædam ex his dura ac renitentia, quædam mollia magisque cedentia ac ferè sine dolore sunt: hinc quid intus habeant, facile conjecturâ præsagiri potest, si in partibus externis creverint, ast in cadavere nostro intus latuit malum, adeo ut medicâ manu tangi haud licuerit. Omnes hujusmodi tumores ex toto nunquam cognoscuntur, nisi cum aperti sint. Maximè tamen in his quæ renituntur, aut Lapillis quædam similia, aut concreti confertique pili reperiuntur. In his vero, quæ cedunt, aut melli simile aliquid, aut tenui pulticulæ, aut quasi rasæ cartilagini, aut carni hebeti & cruentæ, quibus alii aliique esse consueverunt. Atheromati subest quasi tenuis pulticula: Meliceridi liquidior humor; ideoque pressu circumfluit: Steatomati, ut in hoc cadavere, pingue quiddam, idque latissime latere consuevit.

Quoad causam, puto hanc oriri ex materiâ chylosâ ab acido concretâ, quæ ductus lymphaticos vel chyliferos (qui per totum corpus inveniuntur) primo obstruit, & deinde à continuo hujus liquoris affluxu sensim sensimque auget. Concretum istud lac tandem extendendo vascula hæc adeo dilatat, ut membrana concludi videatur: nam membrana ista nihil aliud erit, quam ipsum vas dilatatum. Si huic adsint vascula & cellulæ adiposæ, adeps etiam ibi retinetur, & aliquando in ingentem molem accrescit: & hæc fuit causa, cur

arter

arteria descendens ita premeretur, ut manu super umbilicum aut circiter admota, pulsus vehementissimo motu sentiri non tantum, sed & elevari & subsideri oculis videri potuerit.

Hunc pulsum fuisse cum corde, cæterisque in carpis arteriis æqualem, mirum nemini videri debet, quia circa pulsationem nihil alieni, quam tempore sanitatis solet, accidit, nisi quod pulsus fuerit motu vehementior, qui apud nos *Palpitatio* vocatur.

CAPUT VII.

DE CARBUNCULO SEU ANTHRACE.

ANTHRAX, CARBUNCULUS, CARBO, PRUNA, IGNIS PERSICUS, &c. sunt synonima & ejusdem significationis: ob intolerabilem enim calorem ita nominantur: Belgis sæpe *Negen-oog*, sive *novem oculi*, quia circum se plerumque octo, novem aut decem pustulas habet. Anthrax.

Estque tumor igneus, rodens cum pustulis circum se acerrimis, & ardentissimis, cum dolore intolerabili, diversis in locis indiscriminatim adveniens & absque suppuratione in ambitum, carnem exurendo, proserpens, ejusque inustæ tandem frusta excutit, ulcusque cavum, tanquam escharotico inustum, post se relinquit.

Quidam carbunculi soli sunt, & propriè *Anthraces* seu *Carbones* dicuntur; alii cum variis pustulis igneis circum se stipantur. Quidam absque peste sunt, alii cum eâ.

Causa, meâ opinione, ferè eadem est ac de Phlegmone dictum, præter quod in Anthrace materia admodum acris & summè corrosiva adjungatur, qua circumjacentes partes corroduntur & sphacelo corripiuntur. Cætera porro phænomena, quoad calorem, dolorem &c. nonnisi gradibus intensioribus à Phlegmonis tumore differunt.

Sed materia multo acrior est, nam aër tempore pestis particulis acerrimis, corrosivis & summè acidis plenus est, quas continuo inspiramus, unde sanguis non tantum incrassatur, sed & ipsi succi nutrientes & nervosi tam corrosivi evadunt, ut, si alibi subsistant, statim rodant, atque carnem circum se inurant, sphaceloque corripi curent. Quando enim tales succi corrosivi minusculos arteriolarum ramulos percurrere nequeunt, ulterius procedendi gradum sistere coguntur, & ab influxu subtilis materiæ longè aliter quam antea moventur, atque sic particulæ acidæ & acerrimæ in fibrillas nervosas & membranaceas adiguntur, illasque scindunt, rodunt & inurunt, atque hoc modo facile mortificatio ejus partis percipitur; & quoniam infra cutim variis circum Anthracis punctum locis sese prodit, etiam variæ visuntur pustulæ; sed infra cutim omnes in unam Anthracem sese concidunt.

Signa sunt primo pustulæ, albæ, flavæ, lividæ aut nigræ; Quamvis omnes postea nigredine inficiuntur. Non diu tales pustulæ manent, sed in cir-

cumferentiâ ſtatim in durum tumorem mutantur, in cujus centro ulcus venit; quod ſi non contra eatur, partes vicinæ mirè corroduntur, & poſtea fœdam cicatricem relinquunt. Cruſtâ inducuntur, atque eà ablatâ, caro ſpongioſa offenditur; adeſt porro calor, dolor, vigilia, febris &c.

Si principalibus accedat partibus, non ſine periculo eſt: Anthraces magnæ & plures non ſine diſcrimine ſunt: cruſta nigra, maligna; ſi cito evaneſcant, (vel ut vulgus loquitur introvocentur *binnen-ſlaat*) θανάσιμον.

Corroſivis progreſſus primo eſt prohibendus, deinde cavitas eſt mundanda atque conſolidanda: ſi peſtis adſit aut febris maligna ſudandum & acidum obtundentia ſunt uſurpanda.

Ne itaque latius ſerpat, lacertoſque in ambitum ac profunditatem ulterius moveat, nihil melius, quam *Butyro Antimonii* ambitus ungatur: aut *Emplaſtrum* cum *Magnete Arcenicali* imponatur: *Butyrum* hoc non tantum progreſſum inhibet, ſed & corruptum ſeparat; optima interim ſudorifera continuò ſunt aſſumenda quæ ex volatilibus conſtant, omnia enim alcalia acidum domant.

Ad ſeparandam eſcharam, ſequens emplaſtrum conducit.

Cape Fermenti acidi,
Æruginis,
Unguenti baſilici, *ana unciam unam.*
Mellis citrini,
Butyri recentis, *ana uncias duas.*
Saponis nigri, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ,
Reſinæ pini, *ana uncias duas.*
Croci, *unciam ſemis.*
Miſce fiat Emplaſtrum. aut

Sume Calcis vivæ,
Cantharidum,
Æruginis,
Vitrioli Romani uſti, *ana unciam unam.*
Mellis,
Saponis nigri, *ana quantum ſufficit.*
Miſce fiat Emplaſtrum.

Si cruſta ſeparari nequeat, ad carnem uſque ſanam eſt exſecanda, & cavitas *lixivio* aut *muriâ*; aut *Unguento ægyptiaco* & *ſpiritu vini* eſt eluenda. Convenit quoque *Unguentum fuſcum Felicis Wurtz*, ut & *Baſilicum* & *Apoſtolorum*, *balſamum ſulphuris* &c.

CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

DE FURUNCULO SIVE DOTHIEN.

FURUNCULUS, Arabibus DOTHIEN, tumor est columbini ovi magnitudine, acuminatus, durus, dolorosus, calidus & colore sanguineus, in medio pustulam habens; finiuntur ut plurimum cum suppuratione, cujus materia glutinosa est, frustulatim & instar coaguli excidens. Furunculus quid.

Oriuntur in omnibus partibus mollibus; sæpe profundi, aliquando non. A peste etiam oriuntur, aliisque malignis ulceribus.

Causa, meâ opinione est chylus tardigradus & viscidus, crassas atque heterogeneas plurimas particulas continens; quod exinde apparere videtur, quia materia post suppurationem decedens glutinosa sit & tenax atque in frusta conglobata, coagulata; quæ conglobatio nihil aliud est quam caseus sive chylus in partes coagulatus: deinde quod tumores illi tardè ad suppurationem ducantur: nam si materia ex activioribus, tenuioribus ac volatilioribus constaret particulis, suppuratio citius ad maturitatem duceretur: atque tumor iste à Phlegmone tantum gradibus differt.

Signa ex definitione constant. Nullum habet periculum; facile sanantur, sed raro nisi suppuratione;

Ad sanguinem à particulis acrioribus liberandum, leniter purgandum; sed acidum temperantia summoperè prosunt. Sequentia ad maturandum imponantur, ut *Emplastrum de Meliloto*, *de Mucilaginibus*, *Diachylon cum gummi*, *Basilicon*. vel

Accipe Picis navalis,
Gummi ammoniaci,
Emplastri diachyli cum gummi, *ana partes æquales*.
Misce fiat Emplastrum.

Dolor si fuerit intolerabilis: cataplasma sequens applica, ut:

Recipe Ceparum sub cineribus coctarum,
Ficuum pinguium, *ana uncias duas*.
Fuliginis è camino, *unciam semis*.
Vitellorum ovorum, *Numero quatuor*.
Cerevisiæ veteris, *quantum sufficit*.
Misce fiat Cataplasma.

Facto pure, mundandum, detergendum, & sanandum, ut pluries dictum.

Ut nos à furunculis præservemus, quotidie cum lacte sumitur nonnihil sulphuris, aut ei incoquitur uncia dimidia Albi græci, seu *stercoris canini albi*.

Mediocris sit *Victus ratio* : cibus & potus sit temperatus non acris aut succos accendens; corpus sit modicè quietum; caveatur ab irâ &c. cavendum ab acidis & salsis; cerevisiæ quotidie liquor salis tartari admisceatur.

CAPUT. XI.

DE PANARITIO SIVE PARONYCHIA.

Paronychia. PARONYCHIA sive PANARITIUM est inflammatio in digitorum extremitate, circa ungues, parva, ignea, & cum magno dolore.

Est infra, ad latera vel pone unguem, imo nonnunquam in medio digiti articulo : in principio differt à perfecta.

Causa videtur consistere in corrosivo quodam acido acri, rodente in tenuissimis arteriolarum extremitatibus, ibidemque subsistente, quod sensim sensimque acrius fit, hinc non tantum membranæ, sive periosteum corroduntur, sed & ipsum os; & quoniam tendines non raro quoque afficiuntur ut & nervi, hinc sæpè totum brachium intumescit, dolore afficitur, inflammatur. Cum itaque plurimæ fibræ corroduntur, facile Gangræna imo Sphacelus inducitur: porro si vascula quædam lymphatica rodendo aperiantur, lympha emanat, & vesicula nascitur, aquosa.

Quoad *causam remotam*, videmus ancillas nostras, rusticos, rusticasque magis hoc tumore affici, quam alii homines delicatuli : fortè quia rustici &c. continuo ab aquâ gelida, & aëre frigido manus habent præfrigidas: quas si nimis cito calefaciant, liquores contenti non æqualiter solvuntur, sed quidam circulo obediunt & sed alii ibi subsistunt, hinc illæ lachrymæ. Ideo melius est, manus lentè calefieri.

Signa sunt dolores intolerabiles circa ungues aut digitorum extremitates, ita ut æger noctu dieque somnum capere nequeat. Interdum vesicula flava, livida aut nigra apparet. Dolore sæpe totum brachium incenditur, imo usque ad axillas proserpit, quod ob tendinum ac membranarum tensionem evenit, circa cubitum terminantes, & ab hisce per alios ad axillas : præsertim hoc accidit propter periostei communionem : accedunt Febricula, Lipothymiæ, Torpor, Fastidium, &c.

Quo humor fuerit acrior, eo symptomata majora; & quo diutius tumor iste procrastinetur, eo pejus, tunc non tantum istius articuli amputatio, sed & totius digiti, manus & brachii est expectanda, imo & ipsa mors; sed in principio facilius sanatur. Si tendines quidam fuerint læsi, membrum manet non raro mutilum.

Quamprimum Paronychia circa digitos animadvertitur, secundum longitudinem sectio fieri solet ad ipsum os usque, ubi nonnihil sanguinis reperitur, qui ibi colligitur ab acido liquore, partibus enim sanguine turgidis erosis, necessariò nonnihil sanguinis extravasari debet. Factâ sectione, vulnus sequenti lavamento lavandum :

Re-

Recipe Spiritus vini optimi, *uncias duas.*
Theriacæ veteris, *drachmas duas,*
Mellis chelidoniæ, *unciam unam.*
Misce.

Hac mixturâ digitus lavandus, & turundæ applicantur, eodem liquore saturatæ, interim tota manus cataplasmate, aut emplastro quodam defensivo defenditur.

Ut quidam sectionem evitent, talpæ sanguinem imponunt, quod tamen parum æstimo. Alii digitum *oleo sulphuris per campanam* inungunt: aut in oleum fervidum digitum intrudunt, aut in aquam ferventem: vel auri felis per horam unam aut alteram imponunt, quod narrat *Riverius* alibi. Quidam vermes viventes applicant, quibus fervens calor evanescit: item ranæ, musculi &c. *Fungi arborei*, aut Chinensium *Moxa* usta, ilico sanat. Vel ex *asa fætida*, *allio*, & *ovi albumine* fit unguentum, quod mire sanat.

In principio absque sectione fieri potest, si articuli cutis callosa auferatur: & jubeatur, æger digitum denudatum aliquandiu sugat, & deinde Cataplasma emolliens imponatur; & sequenti die puri evacuando incisio levis fiat: quo evacuato, digitus ut in aliis ulceribus tractandus.

Si inflammatio altius radices egerit, curatio non est nimium acceleranda, sed sæpissimè pilula oblonga ex *chelidoniæ majoris melle* in duritiem cocta intrudatur, ad expectandum, num os decorticetur, nam squammulæ aliquando decidunt: tunc enim os plerumque corruptum est, vel si pars fuerit corrupta, exscindenda est.

Ut porro sanetur, sequenti utere mixturâ.

Recipe Unguenti Apostolorum,
Basilici, *ana unciam unam & semis.*
Mellis,
Terebinthinæ,
Myrrhæ,
Aloës,
Thuris, *ana drachmam semis.*
Misce.

CAPUT X.

DE ÆGYLOPE, ANCHYLOPE, AUT ABSCESSU OCULARI.

ÆGYLOPS est inflammatio glandulæ lachrymalis in interno oculi angulo. Ægylops.

ANCHYLOPS & ÆGYLOPS à nonnullis pro eodem accipitur affectu.

Anchylops & Ægylops quid.

Sed *Anchylops* eſt inflammatio inter canthum majorem oculi & naſum, necdum aperturam habens. Aſt *Ægylops* eſt inflammatio parva inter naſum & oculi angulum, quæ ſi tempore non aperiatur, ſubjectum os ſæpe corrumpitur; *Ægylops* eſt quoque fiſtula ex eadem inflammatione orta.

Cauſa eadem eſt ac in præcedentibus inflammationibus diximus; nempe ex lymphâ acri & ſalſo, quæ pro variâ tumorum conſtitutione variis ſtipatur particulis. Sæpe ibidem oriuntur Meliceriďes aut Atheromata, quæ ex materiâ caſeoſâ fit, quâ glandulæ infarciuntur, & tunc propriê *Anchylops* dicitur.

In Fiſtulam ſæpe lachrymalem degenerat, alias nulla difficultas eſt expectanda.

In principio apertura eſt facienda, cum pauxillo ruptorii, eſchara cum deciderit ſumuntur duæ *præcipitati rubri* partes, & unam *aluminis uſti*, & *unguento aureo* admiſcentur: mixtum illud ſingulis diebus applicatur, donec de novo eſchara excitetur; hac iterum ſeparata, nudum apparet os: ſi illud fuerit illæſum, carne implenda cavitas, & deligatio bis quotidie fiat; aſt ſi *carne* ſit infertum, os cauterio candido inurendum. Sed ſi materia Meliceridis aut Steatomatis in modum membranula concludſtur, tunc curatio inſtituenda ut in ſuperioribus dictum. De *Fiſtula lachrymali* poſtea dicemus.

Quamvis hic non ago de corneæ Hypopyo, caſum tamen adjungam. Caſus Epiſtolaris contractus, Groningâ miſſus.

Utriuſque corneæ ulcus, cum ſiniſtræ Phlyctæna.

Filius meus agens annum, decimum nonum à teneris ſæpiſſimè in Ophthalmiam incidit, nunc vero utriuſque corneæ tunicæ ulcus adeſt, cum veſicula ſeu puſtula in ſiniſtra, idque ſine dolore, adeſt viſus hebetudo ſeu ἀμβλυζις.

Hæc fiebant omnia ἀναλγῶς ſine dolore, quia ex præcedentibus inflammationibus quædam corneæ tunicæ fibrillæ fuerunt ruptæ, contortæ vel dilatatæ, hinc ſucci perfluentis mora & in pus mutatio ſeu coagulatio. Phlyctæna excitata eſt, ob fibrillas corneæ magis exteriores, cujus membranula exterior ob teneritudinem (ut cuticula à cute) & humoris collectionem facile extuberet, veſiſiculamque conſtituat. Oculi nigrum ſeu corneæ pellucidum non planè occupatum eſſe, liquet, quod radii ſolares adhuc aliquo modo intrent, objectaque, licet debiliter repræſentent.

Curatio hic non erat procraſtinanda, ſed quam primum acceleranda. Exhibitis quotidie acidum temperantibus, ut & laxantibus, juſſi ut cornea, acutiſſimo & ancipiti cultello, incideretur, puſque educeretur, deinde phlyctæna acu aperiretur, hiſce cum ſucceſſu peractis, oculi cum albumine ovi, alumine & camphora deligati quotidie fuerunt, atque ſic, remanente viſu, reſtitutus.

CAPUT XI.

DE RANULA SIVE BATRACHO.

RANULA five BATRACHOS tumor eſt infra linguam, interdum cum inflammatione aut cum materiâ calculosâ, viſcida materia, aut melli ſimilis. Ranula.

Tumor ficu eſt maturandus, & ſi hoc non ſuccedat, aperiendus: ſi adſit mellis aut caſei materia, cum membranulâ continente eſt eximenda; ſi pus, evacuandum; ſi calculus, forcipula eximendus, & cavitas *melle roſaceo* & *unguento ægyptiaco* eſt detergenda: tunc per ſe carne implebitur, non raro hic tumor redit, & tunc lapis infernalis, (qui ſummè cauſticus) eſt admovendus, vel cauterium actuale, quod omnium optimum, & tutiſſimum.

CAPUT XII.

DE CRITHE SIVE HORDEOLO AUT GRANDINE.

HORDEOLUM denominationem habet ob hordei ſimilitudinem, nam tuberculum iſtud parvum eſt, & oblongum, fixum & immobile, ad tarſum plerumque palpebræ. Hordeolum.

Tumores iſti per ſe in pus mutantur, quandoquidem quidam illud renuunt. *Cauſæ* ſunt aliquando, quod palpebrarum pili decidant, & *Madaroſis* appellatur: aut introrſum curvantur, & tunc oculus ſemper pungitur & lachrymas fundit, aut ex ulcuſculis pediculi producuntur, & tunc PHTHIRIASIS appellatur, imo & vermiculi. Madaroſis. Phthiriaſis.

Oculo ſequens imponatur cataplaſma, ut:

Recipe Panis albi, *unciam unam.*
Vitellorum ovi, *numero duo.*
Croci, *ſcrupulum ſemis.*
Lactis vaccini, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat cataplaſma.

Aſt ſi per ſe ſuppuretur, ut ſæpe fit, melius eſt nihil applicare; & tunc ejus cuſpis acu aperitur, ut pus exeat, deinde à cane vel alio quovis lingitur, atque ſic ſanatur.

Si ob acrem ſalſedinem tarſi cartilago corroſa ſit, ſcalpello corruptum abradendum, imponendo ovi albumen cum nonnihil mellis roſacei.

Caput XIII.

DE PALPEBRARUM INFLAMMATIONE.

Palpebrarum Inflammatio est intumescentia cum rubore, calore & palpebrarum clausura.

Inflammatio est profligenda, imponendo sequens cataplasma.

Recipe Panis albi, *unciam unam & semis.*
Vitelli ovorum, *numero tria.*
Cherefolii, *manipulum unum.*
Croci, *scrupulum semis.*
Lactis vaccini. *quantum sufficit.*
Misce fiat cataplasma.

Illud intra duo linteamenta tenuia oculo imponitur. Si suppuratio imminet, acu aperitur, ut puri exitus paretur, & ulcusculum mundificetur; à canicula lingi potest, quod diachylo cum gummi consolidatur.

XIV. Caput.

DE BUBONE, PHYMATE, PHYGETHLO, PANO, ET PAROTIDIBUS.

Bubo. Bubo, Phyma & Phygethlon, significant tumorem in inguinibus glandulosum, qui absque malignite venit, vel cum peste, aut ab exercitio Venereo præpostero. Panus. Panus est *Bubo axillaris.* Sic Parotis. Parotis est in glandulis pone aures, estque *Bubo auricularis*: omnia illa nomina sunt synomina & ejusdem significationis, sed loco solummodo differunt

Bubo, sive quà de causâ oriatur, aut quo loco sese prodeat, glandularis est tumor, non in conglomeratis sed conglobatis glandulis in inguinibus, sub axillis aut pone aures.

Sed rogatur cur conglobatæ glandulæ magis afficiuntur quam conglomeratæ? respondetur, si ambæ illarum species conferantur, invenies conglobatas esse mollioris ac tenerioris texturæ. Earum enim substantia est fibrosa & muscosa è contra conglomeratæ constant ex vasculis tenellis, & per consequens duriores ac firmiores, plures habentes fibras, quibus materiam sequestratam foras vehunt. Sed præter hoc nonnulli succi aptiores sunt ad coagulandum & glandulas obstruendum, ex quibus incalescentiæ, durities, & quia materia est chylosa, facile suppuratur, hinc à Phlegmone parum tantum differunt. Tardè ad suppurationem ducuntur, quia eorum acido adhuc nonnihil viscidi accedit.

Phymata. In Peste tardissimè suppurantur, forte ob nimiam viscid itatem; si sint absque

que malignitate, facile pus evomunt, & PHYMATA dicuntur; sed si Erysipelatodes fuerit, PHYGETHLON appellatur. Si tumor citò evanescat, malum, nam si non expellatur materia maligna in sanguine manet, atque una cum lymphâ cæterisque succis in totum corpus pellitur. Cum peste periculo non vacat: Quia lympha continuo emanat, & non raro Fistula remanet. Phygetlon.

Si non adsit pestis, pro re natâ purgatio blanda est instituenda. Si tumor nullam habeat malignitatem, imponantur Emollientia, quæ simul Anodyna sunt, ut

Recipe Emplastrri de mucagine, *uncias duas.*
Vitelli ovorum, *numero quatuor.*
Butyri recentis, *unciam unam.*
Misce. vel.

Recipe Foliorum althææ, *manipulum unum.*
Florum meliloti, *manipulum unum & semis.*
Farinæ lini, *uncias quatuor.*
Butyri recentis, *unciam unam.*
Lactis Vaccini, *quantum sufficit.*
Misce fiat cataplasma.

Sed antequam aperitur, columba, gallina aut rana per medium est dissecanda & buboni applicanda, quibus calor inflammans, omnisque malignitas extrahitur: aut sequens emplastrum imponitur, ut:

Recipe Emplastri de Mucagine,
Diachyli cum gummi, *ana uncias quatuor*
Resinæ pini, *uncias sex.*
Unguenti Basilici, *uncias quatuor.*
Seminis sinapi, *uncias duas.*
Misce fiat Emplastrum.

Ast si malignitas quædam adsit, tamdiu expectandum, & sequentia multò fortiora applicantur, quibus vesica excitatur, ut:

Recipe Fermenti acidi, *unciam unam.*
Cantharidum, *drachmas duas.*
Saponis vulgaris, *unciam duas.*
Aceti vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat Vesicatorium.

Post septem aut octo horas vesica aperitur, & *Emplastrum Magneticum* imponitur; vel etiam ruptoria in usum vocantur: Escharâ separatâ, cavitas

tas diu aperta servatur, & *Unguento* quodam *suppurativo*, ut *Basilico*, *Aureo*, *Apostolorum* &c. mundificatur, vel

Recipe Balsami Sulphuris, *uncias duas*.
Fuliginis Camini, *unciam unam & semis*.
Terebinthinæ Venetæ, *uncias duas*.
Gummi Ammoniaci, *unciam unam*.
Misce.

Vel, si Bubones fuerint pervicaces, scarificatione aperiuntur, & cucurbitulæ imponuntur. Bubonis quoque circumferentia, ne malum latius proserpat butyro Antimonii inungitur. Quoad Bubonem Venereum, de eo agemus; cum de Lue Venereâ sim acturus.

XV. Caput.

DE HERPETE MILIARI ET EXEDENTE.

Herpes. HERPES duplex dicitur, nempe MILIARIS seu κεγχρίας ἕρπης, nobis *Hair-worm*; vel exedens seu ἐσθιόμενος ἕρπης sive rodens, Belgis *Dauw-worm* & *Wolf*. Hisce adjungitur tertia species, *Herpes siccus*, sive *Drooge Hair-worm*, dicta; atque is cutim solummodo siccis furfuribus tegit: proximè accedunt Scabiei & Achoribus aut Tineæ capitis: Indis *Courap* est. Courap, Indorum.

Signa, ut plurimum, sunt pustulæ magnitudine milii in quovis cutis loco apparentes, quibus accedit calor, pruritus & deinde unguibus scalptura, ulscula humida, quæ postea crusta obducantur.

Herpes exedens, est scabies quædam cutis, primo cum pustulis miliaribus adveniens, cutimque indiscriminatim occupans; accedit & calor incalescens, unde continuus pruritus; postque pustulas si scalpseris, cuticula exuuntur, ex quibus humor emanat, qui tandem in crustam exsiccatur.

Causa quædam est obstructio in cutis glandulis, quibus hinc & inde intumescentibus ac inflammantibus miliari figurâ in cute erumpunt pustulæ. Obstructio illa iterum dependet ab acido quodam viscido, à scabie gradibus solummodo differente; nam humorum incrassatio hic est, ut in priori ad proportionem variorum canaliculorum accommodata. Quando itaque viscidum illud ab humoribus à tergo adventantibus ulterius propellitur, succi illi moram ibi trahere coguntur, atque glandulosi illi acini tunc elevantur ac intumescunt, & milii seminis magnitudinem nobis exhibent. Unde pustulæ miliares

Pruritus. Et quoniam obstruens ille humor non perpetuò in eodem statu manet, & semper ab influxu subtilis materiæ movetur, oritur *Pruritus*, & quia is non facile fertur, hinc ad scalpendum, tanquam ad medelam confugitur; atque

atque sic diu scalpendo tandem cuticula abraditur & vascula aperta continuo humidum quid, roris instar, exstillant, ideo nobis *Dauw-worm* seu *Herpes Roscidus*: porro quoniam humor iste emanans, ob acrimoniam suam cutis etiam vicinas partes afficit, dicitur *Herpes exedens*, quia vermis in modum rodit & ulterius serpit, atque sic pustulæ, quæ primo erant solitariæ, nunc in unum conveniunt, quibus cutis non parum defœdatur, præsertim, si ob colorem, quidquid aquosum in auras evaporaverit, à crassioribus particulis *crusta* enascatur.

Si Humores illi non fiant acriores, affectus iste in eodem statu manet; ast si acrimonia augeatur, non tantum corrodendo malum proserpit, sed & subjectæ partes eroduntur, ita profunda ulcera relinquuntur, & nobis *Etende Dauw-worm* vocatur.

Causa illius acidi & viscidi, ex quibus dico Herpetem oriri, infantes vel ex se habent, vel ex matribus ipsis. Matres inter gestandum summopere delectantur non raro acidis, aceto, limoniis, citriis, aurantiis &c. quod & inter lactandum quoque faciunt, tunc infantium corpora ab ejusmodi succis & viscidis infarciuntur, & hinc, præsertim diaphoresi debitâ denegatâ, illæ lachrymæ. Et matres putant insuper se bene facere si inter gestandum vena, ad evitandum quasi ejusmodi malum, aperiatur: ast melius vident, qui oculos habent.

Ipsi quoque pueri paulo adultiores facti in causâ sunt, quando fructibus horariis aliisque acidis immaturis & venenosis impensius sunt dediti, tunc incurrunt Herpetis species, quibus cutis glandulæ earumque vascula lymphatica obstruuntur.

Tardè sanatur, ast corpora manent, ut vulgo fertur, sana, quia multum humoris acris, alias in sanguine remanentis, quotidie emanat. Melius externis quam internis remediis curatur, quia malum tantum residet in cutis obstructione. Particulæ emanantes intro non sunt vocandæ, nam tunc magni sæpe oriuntur morbi, quia materia peccans tunc in sanguine manet.

Quoad interna, eligerem attenuantia, diuretica & sudorifera: & interea præsertim convenit sulphur tusum quotidie assumptum, sive cum lacte aut aliis cibis: neque balnea sulphurea sunt spernenda. Conveniunt quoque decocta ex *radicibus chinæ*, *salsæ parillæ*, *ligno sassafras* & *ligno guajaco* &c. Externè convenit litus ex salivâ jejunâ, lictus caninus. Item *Aqua Mercurialis Fallopii* & *Oleum Fuliginis*. Internè & externè *liquor salis tartari* convenit. Lixivium ex cineribus foliorum tabaci valet ad lavandum, ut & pulvis pyrius &c. sequentes formulæ huic malo medela esse possunt, ut.

Recipe Unguenti Rosacei, *uncias duas*.
Præcipitati rubri, *scrupulos duos*.
Misce. vel

Recipe Aceti vini, *uncias duas & ſemis.*
Minii, *uncias duas.*

Infunde per aliquot dies, deinde cola, adde tunc aquæ communis *uncias-duas*, ſalis communis, *drachmas tres.* Miſce fiat inſtar unguenti. vel

Recipe Unguenti Roſarum, *unciam unam.*
Coloris Pariſienſis (vulgo *kozel-lak*)
Mercurii præcipitati albi, *ana drachmam ſemis.*
Salis Saturni, *ſcrupulos duos.*
Antimonii Diaphoretici, *drachmam unam.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Recipe Sulphuris triti, *unciam unam & ſemis.*
Nitri,
Salis Saturni, *ana drachmas duas.*
Lapidis Sciſſilis (vulgo *Blauwe Leijen*) *drachmas tres.*
Olei raparum veteris, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Linimentum. vel

Recipe Sevi ovilli, *uncias duas.*
Fellis bovini, *uncias tres.*
Coquantur ad conſumptionem húmiditatis.
Miſce fiat unguentum. vel

Recipe Cretæ albæ, *unciam ſemis.*
Butyri Veteris, *unciam unam.*
Miſce. vel
Sume Aquæ chalybeatæ fabrorum, *uncias quatuor.*
Ceruſſæ,
Lithargyrii auri, *ana unciam ſemis.*
Miſce fiat fomentum.

Quidam ex farinâ ſecaliceâ & butyro cataplaſma imponunt; aut ex ſtercore anſerino, aut ex ſecaliceâ farinâ, aceto, vitriolo, bolo rubro pultem componunt, quam viginti quatuor horas imponunt, deinde ſequentem applicant ex eadem farina, apio, Myrrha & lacte ebutyrato recenti. vel.

Recipe Fuliginis Camini, *uncias tres.*
Aluminis,
Vitrioli albi, *ana unciam unam.*
Butyri,
Sulphuris,

Axun-

Axungiæ porci, *ana uncias quatuor.*
Baccæ Lauri,
Ariſtolochiæ fabaceæ, *ana unciam unam.*
Spiritus vini, *uncias duas.*
Miſce fiat unguentum. vel

Recipe Fuliginis Camini,
Terebinthinæ,
Thuris, *ana drachmas tres.*
Scoriæ Veneris, *drachmam unam.*
Lithargyrii, *unciam unam.*
Aluminis, *drachmas duas.*
Miſce. vel

Sume Unguenti Roſacei, *uncias tres.*
Enulati cùm Mercurio: *unciam ſemis.*
Præcipitati albi, *drachmas tres.*
Miſce. vel

Accipe Cretæ albæ, *unciam ſemis.*
Lactis vaccini, *uncias duas.*
Miſce. vel

Cape Ferruginis, *unciam unam.*
Sulphuris, *drachmas duas.*
Succi Braſſicarum Rubrarum, *quantum ſufficit.*

Maſſæ exiccatæ adde aceti vini, *quantum ſufficit* &
Fiat unguentum. vel

Recipe Opii, *drachmam ſemis.*
Calcis vulgaris, *ſcrupulos duos.*
Succi Pomorum amoris, *quantum ſufficit.*
Miſce. vel

Accipe Tutiæ præparatæ,
Ceruſſæ, *ana unciam ſemis.*
Succi limonum, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat unguentum.

Totum in hoc conſiſtit, ut glandulæ cutis deobſtruantur, & ſucci emanantes ne aceſcant aut acrimoniam contrahant, præſerventur.

CAPUT XVI.

DE PRURITU, SCABIE, SIVE PSORA.

Scabies QUamvis SCABIES, nobis *krawagie* vel *schurft* tam junioribus quam adultis familiaris sit, tamen juniores maximè eâ laborant: ut plurimum occupat digitorum tam manus quam pedum articulos, primo in formâ pustularum rubrarum, quæ continuo scalpendo atque fricando, à cuticula denudantur, unde ulcuscula parva humorem emanantia, quæ tandem crustâ incrustantur, fœdumque aspectum relinquunt. Maximè & præsertim vesperi, pruriunt.

Pruritus, *Prurigo* & *scalpurigo* sunt synonyma, uti & *scabies* & *psora*.

Gradibus differunt, nam scabies est *Humida* vel *Sicca*. Sicca constat tantum ex pustulis per cutim sparsis absque pruritu aut ulcusculis: ast altera venit cum furfurea inæqualitate, aut cum apertionibus. Interdum pustulæ magnæ sunt, aliquando parvæ; sparsæ, aut in unum concurrentes.

Primo manibus adveniunt, deinde pedibus, sed postea cæteris membris, atque cutim exasperant, denudantque. Primo apparent parvæ, duræ, prurientes ac rubentes, quæ tunc furfuribus obducuntur, sed tandem cum ulcusculis parvis erumpunt. Qui hoc malo afficiuntur à scalpendo se continere nequeunt, præsertim circa vesperam, nam aër frigidior harum particularum effluxum inhibet; quibus in cute remanentibus, pruritus major fit.

Harum pustularum *causa* nihil aliud videtur, quàm obstructio ex incrassatis & tenacibus in cute humoribus, quæ nullam aliam agnoscit originem, quam acidum subtile, ita proportionatum, ut canaliculos cutis circa manuum ac pedum articulationes, humores tardè percurrere faciat; nam quemadmodum totius nostri corporis canaliculi innumeris modis variantur, ita etiam multifariam obstruuntur, prout, dico, acidum diversimodam incrassandis succis, habeat proportionem: *Scabies* itaque, ut me breviter exponam, ut cæteri morbi, obstructio est. Sunt, & non sine ratione, qui causam in vermiculis ponunt, qui mercurio enectantur. Sed quare Extremitates hoc malo afficiuntur, rogabitur? Quia in extremitatibus sanguinis circulus multò tardior est, quod lenti humores ex succis ibi facilius, quam alibi, subsistunt: Manus enim & pedes magis frigori exponuntur, quam carnosiores partes.

Autumno potissimum advenit postquam juventus sese æstate fructibus horariis largiter fuerit satiata, præsertim si crudis & necdum maturis vescantur; unde succi nostri, adhuc viscidi tatibus pleni, necessariò incrassari coguntur; & quoniam æstate succi in optimo adhuc servabantur motu & cursu ac decedente, aëreque frigidiore appropinquante, succi illi non tam valide moventur ac agitantur, ideo, in modum carnis juris inspissantur, quod tamdiu fluidum manet, quam calidum est; ast postquam refriguit, statim coagulatur: ita quoque res in nostro corpore habet, nam appropinquante Autumno fri-

frigore, etiam in cute ſucci evaporandi atque ulterius circulandi incraſſantur.

Pruritus progignitur, quamprimum illi ſucci incaleſcunt, quâ de cauſa acidum & alcali inter ſe magnoperè moventur, ita tamen ut partes ſolidæ illæſæ maneant & plane non diſſecentur, rodantur, ſed titillationem tantum adferant, hoc eſt, particulæ illæ blandè in nervoſarum fibrarum latera impelluntur, unde non quidem dolor, ſed blandiorem & gratiorem inducit, qui *Pruritus* dicitur. Pruritus.

Sed cur *pruritus maximè veſperi moleſtat*, in lecto, vel quando incaleſcunt? hoc fit, quia à calore in canaliculis obſtructis major incaleſcentia, quam antea oritur, cum corpus erat frigidioris conſtitutionis. Hoc ſi verum, certum eſt uti ſtatim innuimus, alcali & acidum, cum conſtent ex particulis rigidis in fibras nervoſas & membranoſas plus adigi quam prius. Atque incaleſcentia illa oritur, quam primum ſe lecto componunt, ſtragulisque operiunt: nam particulæ, quæ ex noſtra cute decedunt, liberum aërem intrare nequeunt, ideoque intra ſtragula & noſtrum corpus manent, atque calorem intenſiorem producunt.

Difficile ſæpe curatur, præſertim inveterata. Humida citius quoque ſanatur quam ſicca, quia materiæ pruritum producenti major conceditur exitus. Facile per contagium in alios tranſit.

Curatio itaque in hoc ſolum conſiſtit, ut ſuperfluum acidum ac viſcidum ex ſuccis removeatur, & tunc inſerviunt ſalia volatilia oleoſa aliaque ſalia volatilia, ut & alcalia fixa: decocta ex guajaco, ſalſâ parillâ, chinâ. Potus Theæ aut coffeæ, alcalia ſudorem moventia, & ſic porro: ut

Recipe Radicum Lapathi acuti
Rhabarbari monachorum, *ana uncias duas.*
Oxalidis, *uncias duas.*
Enulæ campanæ, *unciam unam & ſemis.*
Foliorum Fumariæ, *manipulos quatuor.*
Cardui enedicti
Centaurii minoris; *ana manipulum unum.*
Sulphuris triti, *uncias duas.*
Coquantur ad uncias quadraginta, colaturæ infunde
Foliorum ſenæ, *uncias duas.*
Baccarum lauri, *unciam unam & ſemis.*
Fiat Apozema.

Hoc medicamento purgante, non parum aciditatis corpore educitur. Sulphur tritum quotidie ſumptum magnarum eſt virium.

Externa etiam ſunt alcalia, præſertim, quæ motum aliquem adferunt, & inter ea *Mercurialia* principem locum tenent, nam ea talem habent figuram, quâ facile cutis poros permeare poſſint, atque ſeſe acido ſaturare: atque hæc fiunt ex Mercurio præcipitato albo pinguedini admixto: interea quaſdam formulas recenſeam, quas novi eſſe optimas, ut:

Re-

Recipe Aceti Vini, *uncias viginti.*
Olei raparum, *uncias decem.*

Coquantur ad aceti consumptionem, adde

Florum Sulphuris, *uncias quatuor.*
Pulveris Piperis, *uncias duas.*
Misce. vel

Sume Foliorum Tabaci, *libram unam.*
Vini Gallici, *uncias quadraginta.*
Fiat Tinctura.

Quidam sumunt pulverem pyrium ex sulphure nitro & carbonibus constantem, qui pinguedini aut spiritui vini admiscetur, & exinde fit litus parti læsæ inungendæ utilis, vel:

Recipe Sulphuris Triti, *uncias duas.*
Nitri, *unciam unam.*
Aceti, *uncias sex.*
Misce. vel

Accipe Sulphuris *uncias duas.*
Hellebori albi, *unciam unam.*
Mercurii sublimati, *scrupulum semis.*
Butyri veteris, *uncias quatuor.*
Misce. vel

Recipe Nucum Juglandium rancidarum,
Sulphuris, *ana uncidm unam.*
Succi apii, *quantum sufficit.*
Fiat unguentum. vel

Recipe Hellebori utriusque, *drachmam unam.*
Lithargyrii auri *drachmas duas.*
Olei nucum, *uncias duas.*
Farinæ Lupinorum, *drachmas sex.*
Misce fiat linimentum. vel

Recipe Unguenti Enulati cum Mercurio, *uncias duas.*
Sulphuris triti, *unciam semis.*
Nitri, *drachmas duas.*
Olei nucum, *quantum sufficit.*
Misce. vel

Recipe

Recipe Florum ſulphuris, *drachmas tres.*
Butyri non ſaliti, *uncias tres.*
Zingiberis, *drachmam unam.*
Mercurii præcipitati albi, *drachmam ſemis.*
Miſce. vel

Recipe Unguenti Roſacei, *uncias duas.*
Sulphuris Triti, *drachmas duas.*
Olei Tartari per deliquium, *quantum ſufficit,*
Ligni Rhodii, *guttas viginti.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Sume Unguenti Albi Caphorati, *uncias duas.*
Sulphuris Triti, *drachmas duas.*
Saponis Veneti, *drachmam unam & ſemis.*
Lithargyrii, *drachmas duas.*
Nitri, *drachmam unam.*
Mercurii, *drachmas duas.*
Calcis Vivæ, *drachmas tres.*
Miſce. vel

Accipe Axungiæ porcinæ, *uncias quatuor.*
Olei Laurini,
Hellebori, *anâ unciam unam.*
Mercurii Crudi, *unciam ſemis.*
Miſce.

Porro ſcabies muriâ, lixivio aut urinâ eſt lavanda. Hinc quoque pertinent *Aqua Mercurialis Fallopii*, ac *Balnea ſulphurea.* Sumatur quotidie bis ſulphur tritum cum vel ſine lacte ex unguentis mercurialibus etiam cingula geſtentur. Induſium coquitur in aqua, cui ſulphur eſt incoctum, & ſupra ignem ſiccatum cui fuit ſulphur injectum, quod ita calidè indui debet. Cum Mercurialia adhibentur, de iis abſtinendum ſi quid difficultatis aut fœtoris, antea non apparentis, in ore perſentitur, alias enim ſalivationem incurrerent.

Erat Nicopii fabri quindecim annorum Juvenis *ſcabie ferâ* à capite ad calcem laborans, cum cruſtis aſpectu horrendis, non fere ſine intolerabili pruritu, & continuâ flavi, acris, & non parum fœtentis humoris emanatione. Hæc plaga à teneris unguiculis (cum erat ſexdecim hebdomadarum) ſe primâ vice manifeſtavit: eo propter à variis Chirurgis ſanatus nonnunquam, ſed ut plurimum cum morbi alicujus ſequelâ. Poſtea Chirurgus non in fine praxeos vocatus, eum primo ab uſu fructuum horariorum, lardi &c. prohibuit: deinde juſſit ei dare doſin Theriacæ ut ſudaret, Scabie feræ curatio.

 daret,

daret, unde & ſpes curationis apprimè accidebat, veſperâ inſequenti repetebat additione ſcrupuli ſemis Mercurii dulcis, idque ſex inſequentibus veſperis repetitum: deinde poſt bidui intermiſſionem laxans cum totidem Mercurii dulcis granis aſſumpſit. Potui quotidiano interim liquorem ſalis fixi admiſcuit: deinde uſus fuit remedio externo quod deſcribit *Bartholinus Cent. 6.* Hiſt. 73. conſtans ex cineribus detritorum calceorum & oleo roſaceo, & patiens planè convaluit.

XVI. CAPUT.

DE IMPETIGINE SIVE LEPRA GRÆCORUM.

Impetigo. IMPETIGO, Græcis LEPRA, Arabibus ALBARAS NIGRA, quibuſdam LICHEN aut VITILIGO. *Lepræ* nomen venit à ſqamis à cute decedentibus, ac ſi diceres *Scabies ſquamoſa*, λεπίδες enim ſqamas ſignificat. Huc accedunt alia nomina, ut *Leuca*, *Alphus*, *Morphæa* &c. verum quoniam omnes ejuſdem affectus eſſe videntur, & pro variâ regione & victus ratione variare, atque veteres in hiſce nominibus multum erraſſe, rectè ex eorum mente deſcribi nequit, ideoque magis conſultum duxi, eam ſolummodo, leproſam ſcabiem, quæ in noſtris regionibus aliquando graſſatur, delineare.

Lepra itaque eſt ſpecies ſcabiei, qua cutis ſummè exaſperata, ac ſqamis cruſtiſque defœdatur.

Apparent primo puſtulæ rubræ, ſolitariæ, vel plures in unum currentes, in variis corporis partibus venientes, præſertim circa brachia & crura: accreſcente hac ſcabie, plures adjunguntur puſtulæ, quæ uvarum in modum invicem accumulantur, & quotidie à ſuo principio ulterius in latitudinem & circumferentiam proſerpunt, quarum ſuperficies aſpera eſt & inæqualis, imo aliquantulum alba cum ſquamulis, quibus ſcalpendo abraſis atque humore emanante, cruſta teguntur. Scabies illæ ſenſim ſeſe latius expandunt, primo inſtar oboli ſunt, deinde ſolidi aut Taleri argentei circumferentiam &c. occupant, ac poſtea in unum coaleſcunt.

Alia ſpecies malignior, alia benignior: quædam proximè ſcabiei accedunt, quædam ab eâ longè diſcrepant; interdum integrum membrum occupant, interdum quaſdam areas. Sunt quæ hyeme adveniunt, & vere appropinquante abeunt; è contra aliæ æſtate prorumpunt, & adventante hyeme abeunt. In Scabie omnes ſunt, aſt in leprâ denſè in unum & conglobatim coëunt, & quaſi per racemos magnis intervallis ſejunctos erumpunt. Scabies per contagium facillimè propagatur, aſt lepra non item; nam à viro in uxorem & vice verſa ſi noctu aſſiduè decumbant contagium non proſerpit. Lepræ ἐξάνθησις multo ſcabie immanior atque horrenda, nempe cruſtacea & ſquamoſa, ubique continua & per univerſum corpus diſperſa.

Cauſa videtur conſiſtere in glandulis cutaneis, quarum ſucci materiam ex acido ſalſam, inſtar tartari vini continere videntur; quæ cum circulationi inepta

inepta evaſit, ibi hæret, unde primo quædam excitantur puſtulæ ; quando porro ibi major copia colligitur, vaſcula, ſacculi ac glanduloſi acini proximè adjacentes eadem infarciuntur, atque hoc modo puſtularum conglomeratio apparet, quibus ſcalpendo, fricando, &c. denudatis, humor exſtillat, qui in ſquamulas & cruſtas exiccatur,

Huic producendæ multum diæta perverſa contribuit (& ut quidam opinantur) continuus ſuillæ carnis eſus, item ſcorbutus & procul omni dubio, venerea lues. Porro ab omnibus ſalſamentis, ſalgamatiſve, ut carne, piſcibus, cæteriſque ſalſuris ac randicis, pinguibus, &c. etiam non raro originem ſumit.

Affectus non eſt Lethifer : aſt ſi inveteratus ſit, altaſque egerit radices, curatu difficilis, imo deſperatus aliquando. In principio facilius curatur quam inveteratus : parva remedia parum efficiunt, præſertim ſi totum corpus ſit lepra obductum. Si omne remedium reſpuat, melius eſt nihil agere, quam æthiopem fruſtra lavare.

Internis materia accreſcens eſt detrahenda, alias externa incaſſum adhibentur. Deletâ itaque ex ſuccis materiâ, malum externum per ſe evaneſcet: *cauſæ*, ex quibus ſit producta, reſpiciendæ ſunt, ſive ex nimiâ ſalſedine, ſcorbuto, aut lue venereâ veniat.

Primo optima eſt obſervanda *diæta*, ſeſeque ab acidis & præſertim ſalſis cavendum, & ante omnia à carnibus porcinis grandinoſis, aliiſque carnibus ægrotis; cereviſia ſit bene fermentata non acida : Potus Theæ & Coffeæ, quia diureticus eſt, cutimque ob calorem aperiens ſummè prodeſt. Sequens quoque bibatur decoctio, quâ ſudor continuo provocatur non tantum, ſed & alvum reddit laxam. ut

Recipe Radicum oxalidis.
Polypodii
Lapathi acuti, *ana uncias duas.*
Ligni Guajaci, *uncias quatuor.*
Corticum ejuſdem, *unciam unam & ſemis.*
Spicæ celticæ, *drachmas duas.*
Foliorum ſennæ,
Sulphuris, *ana uncias duas,*
Mechoacannæ, *unciam unam.*

Coquantur ex aquâ ad uncias quadraginta, colatura detur uſui.

Doſis ad uncias duas vel tres.

Decocta ex chinâ & ſalſâ parillâ etiam ſunt uſurpanda. Sulphuris quotidianus uſus magnarum eſſe virium in hoc affectu novi. Si illa remedia non curant ad ſalivationem eſt deveniendum, eo modo ut in Lue venerea fieri ſolet, atque tunc certa affulget ſpes, niſi altius radices emiſerit.

Si ex ſcorbuto aut Lue Venereâ veniat, curatio ad eorum normam eſt inſtituenda. Balnea ſulphurea, ferrea, nitroſa, &c. conveniunt; imo & e-

jusmodi aquarum potus sæpe juvat : vel eorum loco remedia ex nitro parantur, ut

Recipe Nitri purificati, *unciam unam.*
Florum salis armoniaci, *drachmam unam.*
Misce fiat pulvis.

Dosis drachmæ unius, ter intra viginti quatuor horas sumenda.

In cerevisiâ *Antimonium crudum* & pulverisatum cum *stanni scobe* infundatur. Salia omnia volatilia, præsertim ex viperis summoperè conducunt: ut & spolia seu exuviæ quas viperæ singulis annis deponunt. Sed omnia volatilia ope ignis producta, nihil auxilii adferunt, ideoque illa, quæ simpliciter ex animalibus veniunt, optima. Sublimatum sale tartari præcipitatum hic quoque magnarum virium esse dico.

Præter interna etiam externa non sunt negligenda, quamvis eorum usu solo nihil efficitur: sequentia possunt adhiberi:

Recipe Picis liquidæ, *libras duas.*
Fiat massa cum cineribus albis crassiuscula, coque ex sufficiente quantitate aquæ, cui adde

Foliorum Marrubii albi,
Hederæ terrestris,
Fumariæ,
Radicum Lapathi acuti,
Enulæ campanæ, *ana manipulos quatuor.*
M. Fiat Balneum.

Qui odorem picis liquidæ ferre nequeunt, illam omittant: aut si balnea ex mineralibus haberi queunt, ut supra dictum, melius est. Quando affectus iste primo incipit, optimum est linimentum ex salivâ jejunâ, aut linctus caninus: ut & liquor, qui ex accensis lignis exstillat. vel

Recipe Liquoris salis tartari,
Olei nucum, aut
Amygdalarum amararum, *ana partes æquales.*
Misce fiat linimentum. vel

Recipe Unguenti rosacei, *libram unam.*
Picis liquidæ, *uncias duas & semis.*
Misce.

Aut carnem sume vervecinam frustulis radicum lapathi transfixam; torreatur veru, atque ab omni parte pice liquidâ ungatur, & quidquid inter torren-

torrendum destillat collige, & affectum eo inunge. Alii totum corpus sanguine leporino inungunt. vel

Recipe Olei Juniperini,
Nucum,
Liquoris salis tartari, *ana uncias duas.*
Vitrioli cærulei,
Salis communis,
Sulphuris triti; *ana uncias tres.*
Lithargyrii auri, *uncias quatuor.*
Ceræ, *quantum sufficit.*
Misce fiat Unguentum. vel

Recipe Unguenti rosacei,
Liquoris salis tartari, *ana uncias duas.*
Balsami peruviani,
Florum sulphuris, *ana drachmas duas.*
Olei ligni Rhodii, *drachmam unam.*
Misce fiat unguentum.

Potentiora fiunt ex Mercurio: ut

Recipe Unguenti rosacei, *uncias tres.*
Præcipitati albi, *drachmas tres.*
Misce.

Mercurialia sunt prudenter tractanda, nam si ex sanguine deveniant ad fauces & glandulas salivares, sæpe suffocationis periculum immineret.

CAPUT XVIII.

DE ACHORE, FAVO, PORRIGINE & TINEA.

ACHOR, FAVUS, PORRIGO & TINEA, non discrepant ab Herpete, de quâ antea dictum, in eo tantum differunt, quod tantum caput occupant, sed Herpes omnibus partibus est communis. Achores.

Achor est Arabibus *Saphati.* Item infantibus *crusta lactea* & *Lactuminea* seu capitis incipiens. *Favus* sive *Cerea* eadem est scabies, in eo tantum differens, quod *Achor* per foraminula quædam humorem instar roris exudet: ast *Favus* est, quando aperturæ ampliores evaserunt, & tunc nomen *Porriginis* & *Tineæ* sortitur: Belgis *quaad-zeer*: in modum Tineæ animalculi capilli depascuntur. Favus. Porrigo.

Itaque, ut dictum, gradibus solummodo inter se differunt.

Tinea itaque est conglomerata quædam in capitis cute scabies, cum cinereis crustis & squamulis, aliquando ad flavedinem vergentibus, non sine magno fœtore, & horribili aspectu. Tinea.

 In

In hujus affectus origine caput incipit prurire, & exanthematis obduci, atque quoniam se à scalptu continere nequeunt, cuticula tandem abraditur, & humor roris in modum emanat: vocabaturque græcis *Achor*: Cum porro ab acri hoc humore ulcusculorum ora sensim magis ac magis depascebantur, foraminula ampliora & visibiliora evadebant atque apum *favos* referebant. Ast quando aperturæ illæ, ut de Herpete dictum, albent, *Tinea* aut *Porrigo* appellabatur: atque hic evadit Herpes capillos planè corrumpens atque depascens.

Achor. Favi. Porrigo. Tinea.

Quando itaque continuâ scalpturâ atque de pastione ulcuscula illa coeunt, atque conjunguntur, ab effusis succis exsiccatis, crusta nascitur, hinc & inde cum squamis, si pruritus atque humorum sudatio modici sint: ast contra ubi scalptum cum crustis cineritiis aut flavis non parum fœtentibus, & aspectui fastidiosissimis.

Aspertui. Tres gradus hujus affectus plerumque fiunt: nam in priori, sive facillimo inter scalpendum, furfures aut sqammulæ de capite decidunt, quia tunc tanta humidi copia pro excitandâ crustâ non effluit.

Alter gradus est, qui crustam habet, sed eâ ablatâ granula quædam sive parvæ extuberantiæ, milii instar visuntur, quæ communiter rubescunt atque interdum nonnihil sanguinis eructant. Hæ nihil aliud sunt quam glandulosi cutis acini, nudi, atque ob intumescentiam granulorum in modum apparentes, ex quarum tenellis vasculis ruptis nonnihil sanguinis effunditur; atque illud phænomenon, maximam cum Herpete miliari similitudinem habet.

Sed in ultimo gradu materia effluens & obstruens adeo est corrosiva, ut subjectæ etiam partes erodantur, quemadmodum etiam de Herpete Exedente dictum; nam glandulæ, ex quibus capilli crescunt, planè scirrsosæ evadunt atque hinc capilli à nutrimento orbati, corrumpuntur, deciduntque, & rarum non est, si post curationem, nunquam amplius pili iis in locis succrescant: atque ob scirrhositatem hanc cutis sæpe apparet livida & plumbea cum exudantibus humoribus fœtidis.

Causa itaque eadem ferè est ac de Herpete dictum, nempe obstructio in glandulis cutaneis ex viscidis & salsis humoribus, qui ob tenacitatem à circulari fluxu inhibentur.

Remedia ferè eadem esse debent, ac in Herpetis curatione præscripsimus, nempe alcalica: sed hic capilli sunt detondendi. In achore & Favo sequentia conveniunt: ut

Recipe Butyri veteris, *uncias duas.*
Cretæ albæ, *unciam semis.*
Misce. vel

Recipe Olei nucum, *uncias duas.*
Sulphuris,
Cinnabaris, *ana unciam semis.*
Misce. vel

Recipe

Recipe Olei Hyperici,
De lateribus, *ana uncias tres.*
Nucum rancidarum, *numero octo.*
Seminis Nicotianæ,
Myrrhæ,
Sulphuris,
Fuliginis camini, *ana uncias semis.*
Argenti vivi, *drachmas duas.*
Lithargyrii auri, *unciam unam.*
Æruginis, *drachmas tres.*
Misce.

Si à nativitate scabies sit inducta, aut per hæreditatem, difficile curatur.
Tinea si non admodum fuerit pertinax, sequentibus utere.

Recipe Capitum liliorum alborum,
Radicum althææ, *ana uncias duas.*
Spiritus vini,
Lixivii, *ana quantum sufficit.*

Coquantur ad uncias viginti, & colatura detur usui, pro fotu.
Hoc foveri debet caput, & tunc tonditur vel abraditur omnis capillus: deinde sequenti mixturâ caput inunge.

Recipe Olei ex semine staphidis agriæ, *uncias duas.*
Fuliginis, *drachmas duas,*
Saponis vulgaris, *unciam semis.*
Misce. vel

Recipe Seminis urticæ,
Allii, *ana uncias duas.*
Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Coquantur ad uncias duodecim, colaturæ adde
Fellis bubuli, *uncias duas.*
Misce pro fotu.

Hisce Tinea sæpe profligatur: quidam singulis diebus oleum recens olivarum cum linteis puris imponunt. vel

Recipe Foliorum Nicotianæ, *manipulos duos.*
Fuliginis, *uncias duas.*
Coquantur ex aqua ad uncias viginti, colatura fiat Fotus. vel

Recipe Hellebori Albi,

Tabaci,
Auripigmenti,
Lithargyrii auri,
Calcis vivæ,
Aluminis,
Gallarum,
Fuliginis camini, *ana unciam semis.*
Æruginis, *drachmas duas.*
Olei tabaci,
Ceræ, ana *quantum sufficit.*
Misce *fiat unguentum.* vel

Recipe Lixivii fortis, *libram unam.*
Foliorum absinthii, *manipulos duos.*
Sulphuris, *uncias duas.*
Fuliginis, *uncias tres.*
Vini albi, *libras duas.*
Misce fiat fomentum. vel

Recipe Cerussæ, *uncias sex.*
Auripigmenti, *unciam semis.*
Terræ cimoliæ (*volders aarde*) *unciam unam.*

Coquantur ex aquâ postea cum quicquid grave subsederit, clarum effunde, & materia crassa radiis solaribus ad exsiccandum expone, deinde de novo aquam affunde, idque tertio repete: ex materiâ residuâ, tunc Trochiscos finge, quibus adde

Mastiches,
Olei tabaci, *ana unciam unam.*
Succi tabaci, *uncias tres.*
Ceræ,
Terebinthinæ, *ana drachmas duas.*
Misce fiat unguentum.

Hoc unguento quotidie inungatur caput, cum antea lixivio ex tabaci cineribus laveris. Huc pertinet etiam *liquor salis tartari.*

In crustosâ *Ficosa* dicta, etiam fovetur, ut crusta separetur; vel huic etiam rei medela esse potest sequens.

Recipe Casei veteris
Axungiæ porcinæ, *ana partes æquales.*

Frigantur in sartagine, atque interdum pars læsa eo inungatur & si *curatio* necdum absolvatur, capilli sunt evellendi, quod emplastris picatis fieri solet. vel

Recipe

Recipe Picis nigræ, *uncias sex.*
Resinæ pini, *uncias duas.*
Æruginis,
Vitrioli cærulei, *ana drachmam unam.*
Sulphuris triti, *unciam semis.*

Coquantur ex aceto in formam emplastri. Illo lintea sunt inungenda, postea illud contra pilorum ductum attrahendum, ut hoc modo sensim pili eradicentur. Alii, quod etiam laudabile, lini farinam cum aceto coquunt in pultem spissam, atque eodem imponitur capiti modo idque tam sæpe repetendum ac necessarium judicabitur.

Sed altera Tineæ species, corrosiva dicta, post ablationem est mundificationibus mundanda, quod sequentibus fieri potest.

Recipe Unguenti enulati cum Mercurio duplo
Ægyptiaci, *ana uncias tres.*
Vitrioli albi pulverisati, *drachmam unam.*
Misce fiat unguentum.

Succus ex ovillis scybalis, remedium est præstantissimum.

CAPUT XIX.

DE GUTTA ROSACEA.

GUTTA ROSACEA sive *Facies rubra.* Arabibus *Albedsamen*, *Alguasen* & *Albuttizaga*, Belgis *Karbunkel neus*, *Kalkoense-neus*, *Rood-bakkes.* Gutta rosacea. Estque Faciei rubedo, maximè nasi, interdum cum inæqualitate nodosa, ac si novi nasi expullulent, non raro cum pustulis, vesiculis aut ulcusculis.

Minorem agnoscit causam quam Herpes, nam videtur esse Herpes quæ non aperitur aut humiditatem exsudat.

Causa externa sæpe est ex vino acido largiter ingesto, hinc etiam dicuntur *Wyn-puisten.* Etiam ex aliis acidis nascitur, ut à lacte ebutyraro. aceto aut cerevisiâ acidâ: Sic enim glandulæ cutaneæ faciei ac nasi obstruuntur & intumescunt, unde pustulæ. Menstruis etiam non bene fluentibus, rubedine etiam facies obducitur. Sed quare facies magis rubet, quam aliæ patres? quia ibi cutis tenera est, & sanguine calidiori recens è corde veniente irrigatur, qui, quia aëri frigidiori exponitur, facile succi ibi restagnant: manus enim & pedes qui etiam frigoris injurias patiuntur, cutim habent crassiorem, ac sanguinem frigidiorem.

Fœminarum sexus non raro rubedine faciei defædatur; novi plurimas, quæ nunquam vinum gustant, & inter illas unam. quæ nunquam vinum potuit nec olfacere, imo quam maximè aversatur. Unde hæc? quia juvenili ætate sese aliquando menstruis fluentibus, frigoris injuriis exponebat: hinc obstructio,

tio, faciei incalescentiæ, vasculorum sanguineorum intumescentia & per consequens rubedines, vasculas semel dilatata vix coarctantur, ut dixi.

Est quidem affectus absque omni periculo sed difficile curatur, præsertim si ulcuscula adsint: nam vascula sanguinea semel extensa, & dilatata, difficile iterum coarctantur.

Primò & ante omnia optima diæta est observanda, cavendo ab irâ, cibo & potu sanguinem accendente. Loco vini adusti sorbeatur potus Theæ aut coffeæ: multa sudatio præstat: & lenis purgatio interdum bona. Externa sint sequentia, quibus facies lavari vel inungi debet:

Recipe Boli albæ, *unciam unam.*
Cerussæ, *unciam semis.*
Sulphuris triti, *drachmas duas.*
Sublimati, *scrupulum semis.*
Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat unguentum. vel

Recipe Lithargyrii auri, *uncias duas.*
Aceti, *uncias quinque.*
Simul coquantur, adde
Salis,
Aluminis, *ana drachmam semis.*
Thuris, *drachmas duas*
Aquæ rosarum, *uncias sex.*
Colatura detur usui vel

Recipe aquæ calcis, *quantum vis.*
Detur ad usum. vel

Recipe Spiritus salis armoniaci, *quantum vis.*
Detur usui. vel

Recipe Albuminis ovorum, *uncias duas.*
Aluminis, *drachmas duas.*
Misce.

Lavatio quotidiana cum spiritu vini, multum prodest.

Casus Nobilis Coloniensis.

Cl. Domine,

Casus de faciei rubedine

AB omni terrarum parte audeo V. D. Multos feliciter curasse &c. Nunquam internis ferè per vitam laboravi morbis, sed externum aliquod me vexat

vexat ſymptoma : per quatuor annos facies mea admodum defœdata fuit puſtulis rubris, ardentibus. Non à vino &c. mihi hoc malum accidit, ſed è contra Bacchum abhorreo, & Theæ coffeæque potum amo; imo ab acidis & ſalſis abſtineo. Corpore ſum macilentus admodum, & ætas mihi annorum viginti tres.

Hiſce carbunculis tota mea familia ſubjecta eſt, hinc nemo ab illâ fœditate excuſatur. Multa quidem ſed incaſſum adhibui : ut Lac virginis, vinum aduſtum cum camphorâ, aqua fœniculi cum tartari liquore, aqua ſalſa &c. ſed ne minimum quidem ſolaminis ſenſi. Ideoque ad te confugio &c. &c.

Coloniæ Agrippinæ S. R. F.
1690. 20. Aprilis.

Conſiſtit ſæpe illa fœditas in glandulis cutaneis præter modum magnis, qua vaſcula arteriolarum ita premuntur, ut ſanguis majori copiâ affluat, quam refluat, hinc cutis à ſanguine diſtenditur, & rubicundo colore inficitur. Porro ſi ſanguis ob moram incaleſcat, oritur ardor; imo, quia lympha quoque ſubſiſtit, ſæpe in pus vertitur, hinc puſtulæ minimæ.

Præſcripſi ſpiritum matricalem, ut eo faciem lavaret tempore veſpertino, ut nempe calor ille ardens fugam peteret. Sed tempore matutino, imo ſæpe de die lavaret lavamento acidum temperante; nimirum ex aqua plantaginis ceruſſa, minio, Lithargyrio, ſulphure, præcipitato albo. Deinde ſumeret ſulphuris florum ſingulis diebus drachmam unam, cum ſex granis æthiopis mineralis. Hiſce ſeſe ſemper melius habuit, licet malum hæreditarium radicitus evelli nequeat.

CAPUT XX.

DE HÆMORRHOIDIBUS.

HÆMORRHOIDES ſanguinis fluxum ſignificat; ſed ſtrictè ſumitur pro tumoribus, nobis *Ambeyen*, *Spenen*, & *Takken*. Sunt tumores circa rugas ani aut vaginæ uteri, varicibus ſimiles cum duritie, colore immutato & dolore aliquando vehementi præſertim ſi alvus ſit deponenda. Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides internæ ſunt vel *externæ*, *cæcæ*, quæ nullam materiem effundunt, vel *apertæ* : quædam ſunt inſtar veſicæ uſtæ ideoque *Veſicales* dictæ, aliæ morum referunt vel verrucam, unde *Morales* & *Verrucales* appellantur. Multæ ſunt, vel paucæ, inveteratæ aut juniores : interdum redeuntes, &c. eſt itaque inteſtini recti effluxus ſanguinis ſive ſint internæ ſive externæ, agnoſcunt arteriam & venam comitem. Internarum *arteria* venit à meſentericâ inferiori, & *venâ* à venæ portæ ramo ſplenico. Arteria externarum originem ſumit ab arteriæ iliacæ internæ trunco Hypogaſtrico; at vena ex ramo hy-

 po-

pogastrico, ex quo etiam vena pudenda : & quoniam ex hypogastricis etiam ad uteri collum eunt, fit nonnunquam, ut menstruus fluxus, per hæmorrhoidum fluxus compensetur. Si porro sint cæcæ & clausæ aliquando valde dolent, quia tument & non aperiuntur. Sunt viri qui singulis mensibus menstruorum in modum sanguinem fundunt, & dicuntur *Periodicæ*. Sed alii certo tempore non redeunt, & *Erraticæ* appellantur. Materia effluens ordinario quidem est sanguis ruber, vel obscurioris coloris; sed interdum colore est albidus, aquosus, mucosus, ichorosus &c. Cæcæ sunt incipiens ani inflammatio, quam plerumque comitatur tumor, dolor, fluxus. Et remeare sanguis ob vasa compressa nequit, hinc dolor adeo quandoque intolerabilis evadit, ut præ dolore in excernendis alvinis fæcibus ægri deliquium, & convulsiones patiantur. Ambulantibus, præsertim inter sedendum magnam pariunt molestiam; non tantum minores, sed maximè majores, quas memini ad nucis juglandis magnitudinem vidisse.

Causæ eædem sunt ac in Varicibus dictum. Externæ sunt magni conatus inter deponendum à fæcibus induratis; tunc enim podicis & intestini recti vasa sanguinea nimium premuntur, atque cum sanguine intumescunt, unde non raro hæmorrhagiæ immanes excitantur. Et qui huic affectui obnoxii sunt, sæpe singulis mensibus sanguineo fluxu afficiuntur; minima enim pressione, sanguis in vasis stagnat, quare aliquando rumpuntur præsertim si fæces alvinæ sint induratæ. Afficiuntur illi inprimis, qui sanguinem crassum habent, & multo acido, laborant; quæ menstruorum defectu laborant, aut quibus stricta est alvus.

Causæ externæ esse possunt cathartica, equitatio, piperatorum & acidorum usus : partus laboriosior conatus, quâ de causa sanguis circulum absolvere nequit, hinc vasa sanguinea varicum in modum distenduntur : hinc ultimis gestationis mensibus sæpe hisce vexantur, præsertim si sæpius parturiverint. Aloës assumptio rejicitur, quare non video, cum sit benignum purgans : & ex Aloë malum vel fieri vel exasperari non video; & si hoc catharticum malum sit, de cæteris quoque idem erit expectandum.

Quia podicem obstruunt, fæces descendere nequeunt. Quando parum sanguinis fundunt, sanitati nonnullis conducit, ast multum, inutile, nam patientes à viribus orbantur, & Hydropem, tabem, cahexiam &c. incurrunt. Si nimis maturè obstruuntur, in alios sæpe morbos transeunt. Etiam in fistulas quidem & ulcera maligna mutantur. Si sistantur, metus est omnia illa symptomata evenire, quæ in mensium obstructione accidere solet.

Diæta ante omnia mediocris est servanda, atque potus sit ex theâ aut coffeâ. Laxa servanda alvus. Sanguinem si non nimium fundant, non est astrictio maturanda : ast necdum fluentibus, sequentia applicentur.

Recipe Albuminis ovorum, *uncias duas.*
Olei rosacei, *unciam unam.*
Unguenti populei, *unciam unam & semis.*
Misce. vel

Sume

Sume Ceparum ſub cineribus coctarum, *uncias duas.*
Vitellorum ovorum, *numero quatuor.*
Axungiæ anatis, *unciam unam & ſemis.*
Miſce. vel

Recipe Olei roſarum, *uncias duas.*
Croci, *ſcrupulum unum.*
Ceruſſæ, *unciam unam.*
Lithargyrii, *unciam ſemis.*
Ceræ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Recipe Albuminis ovi, *uncias duas.*
Aluminis, *drachmas duas.*
Miſce.

Axungia Anguillæ, Hæmorrhoidibus emolliendis multum confert. Cum hæc & ſimilia remedia applicantur, ſequens decoctio bibatur.

Recipe Ligni Guajaci, *uncias quatuor.*
Radicum Salſæ Parillæ, *uncias duas.*
Sulphuris, *unciam unam & ſemis.*

Coquantur ex aquâ ad uncias quadraginta, colaturæ adde ſpiritus ſalis armoniaci, *drachmam unam.*
Miſce fiat decoctio.

Ad dolorem mitigandum, ficus applicantur, qui in ſpiritu vini fuerunt uſti. Aut recens ſume butyrum, ei admiſce pulverem ex lapide ſciſſili, (*dak-leijen*) aut ex muſculorum uſtorum conchis, & fiat litus. Etiam cum oleo aut quintâ eſſentiâ roriſmarini ſæpe lavantur: Si intolerabilis ſit dolor, ſequenti utere.

Recipe Unguenti populei, *unciam unam.*
Opii, *drachmam.*
Miſce.

Recipe Thuris,
Myrrhæ,
Croci, *ana drachmam unam.*
Opii, *drachmam unam & ſemis.*
Olei Roſarum, *uncias duas.*
Vitelli ovi, *numero duo.*
Mucilaginis ſeminis cydoniorum, *unciam ſemis.*
Miſce.

Nonnulli cardui sylvestris gallas sive nuces (*distel nootjes*) adversus Hæmorrhoides in loculis gestant: sed debent tantum esse unius anni, alias vermiculus contentus in muscam est versus, in quo vis dicitur constare: vulgo sumuntur septem. Alii radices chelidoniæ minoris, aut scrophulariæ aut nucem moschatam oblongam, marem dictam in saccis servant.

Internæ sæpe multum molestiæ pariunt, & Medicamenta vix admittunt. Tunc ego soleo præscribere quædam suppositoria, quæ post alvi exonerationem ano intruduntur. Ex. gr.

Recipe Ung. Rosacei,
Populei, *ana unciam unciam unam.*
Opii, *drachmam unam.*
Balsami Peruviani, *drachmam semis.*
Ceræ albæ, *quantum sufficit.*
Liquefiant, & ex massa condensata fiant suppositoria.

A purgantibus acribus abstinendum, & tamen est alvus aperta & lubrica servanda, quod cichorei radicibus, passulis corinthiacis, ficubus, prunis, tartari cryssallis &c. obtinetur. Si exulceratæ sint, *melle rosaceo* inungant aut aliis remediis, quibus ulcera mundantur. In fluxu diuturno, omnes, exceptâ unâ, constringuntur, Si hæc omnia non curant ad cauteria deveniendum actualia; vel si promineant filis constringuntur, ut emoriantur, sunt qui illas mediante cannula ferrea exsiccant, cui candens ferrum intrudunt. Verbi divini pastorem, qui diu erat hæmorrhoidibus vexatus, solâ ligaturâ curavi, & postea ab hoc malo liberatus, aliquot annos sanus vixit. Quidam hirudinibus sanguinem extrahunt, & deinde astringentia applicant.

Quod laudandum est, nam in maximis doloribus apertura opus est. Suasi aliquando pluribus, & liberati sunt, sine recidivis.

1684. Veniebat ad me Gelrus Nobilis Juvenis 25 quinque, is miserrimos dolores ab Hæmorrhoidibus internis patiebatur, suasi Hirudines applicaret, & non tantum liberatus, sed postea nunquam amplius habuit. 1698. vocatus hic apud puerperam, quæ Hæmorrhoides habebat instar nucis juglandis minoris, vel nucis moschatæ majoris, eaque ab hirudinum suctu liberata est.

LESNA POLONORUM SEQUENS CONSULTATIO MISSA.

Nobilissime Domine,

Circa Novembrim 1689. incepi de inani fœcum alvinarum depositione & conatu conqueri, quæ quotidie augebatur, ita ut nihil vel parum, nisi viscosam & pituitosam materiam, poteram excernere; imo singulis mo-

momentis ad egerendum sollicitabar, eo tempore, sed frustra, injectionibus anodynis usus, ut & unguentis ad Hœmorrhoides. 1690, mense Aprilis memet Cracoviam contuli: ibi digito malum inquirebant, dicentes altitudine unciarum duarum invenisse carnositatem, præscribentes Enemata anodyna, quibus bis singulis diebus usus fui: & cum dolor erat vehemens, constabant ex oleis & mediis Anodynis.

Casus de Hæmorrhoidibus.

Cataplasmata etiam attrahentia applicabant, ut malum foras attrahatur. Tunc anus multis, duris nodositatibus obsidebatur, ita ut intra & extra podicem excrementa non sine magno dolore potuerim egerere. Quædam nodi etiam exulcerabantur, quibus multum puris evacuatum; sed cæteræ in eodem statu manserunt. Cum hoc modo incassum tribus integris mensibus Medicorum operâ usus fueram, iterum Lesnam redii, quamvis me in eodem statu esse animadverti; continuabam tamen eorum præscripta per longum bene tempus, sed inani spe lactabar. Invalescente morbo, plurimum sanguinis coagulati deposui; nunc ingens acrium humorum copia affluit, quos involuntarie excerno, ita ut spatio 24 horarum mihi octo vel decem mantilibus opus sint. Tertioque die sumo syrupum laxantem, quo lubricam alvum servo, nam aliquando intra duos dies vix, nisi cum magnâ difficultate, alvo potui satisfacere.

Nodi illi duri, antea in plures divisi, nunc unus major, & multo durior evasit quam antea, & externè penè totum anum obducit. Plurima cataplasmata ac cerata apposui, verum quia tam ingens acrium humorum fluxus ex ano mihi profluunt, effectum debitum sortiri nequeunt.

Longo etiam tempore decoctum radicum salsæ parillæ chinæ, ast pauco cum solamine.

Postea cum aliis duobus Medicis coryphæis mense Jannuarii 1691. consului, qui examinatis omnibus respondebant, malum tantum palliativè posse curari, donec æstas veniat, & suadebant salivationem, illamque omnium remediorum esse primam & unicam; ast sine certitudine.

Ante hoc malum sæpe arthritide magnoperè vexatus fui, sed durante hoc malo, parum. Alias sanus, & cibi mediocriter appetens. Ætas mihi est 48 annorum, aliquantulum sanguineus & biliosus, sed vires quodammodo, quam ante, debiliores: ideoque timeo me salivationem non posse sustinere: alterum natium & ani latus integrum adhuc est, sine durie. Quæso vestram consultationem in scriptis habere, una cum formulis, (vulgo *Recepten*) & de Salivatione vestram mentem, &c.

Responsio:

Ex omnibus circumstantiis non aliter divinare queo, quin exulceratis, sed primo induratis, hæmorrhoidibus tam internis quam externis nobilissimum virum laborare materiamque Arthritim fixam inducentem per has quoque excerni.

Quoad interna, suasi lubricam servaret alvum: deinde quotidie bis sumeret pulveres ex Æthiope minerali & oculis cancri, quibus omnis acrimonia

nia summoperè temperatur, absque ullâ salivatione. Externè adhiberet Cauterium actuale jussi, remotis enim externis Hæmorrhoidibus, facilior esset ad internas aditus, ablatâ crustâ, & sanatâ, internè suppositorium intrudere jussi ex melle & vitriolo albo compositum. Et ante tertium mensem restitutus fuit.

Caput XXI.

DE PERNIONIBUS, SIVE INTUMESCENTIIS HYEMALIBUS.

Pernio. PERNIO sive CHIMETLON, nobis *schyt-hiel*, *kak-hiel*, *winter-hiel*, quia tumor est maximè calcibus hyemali tempore adveniens sed tamen manibus, digitis, carpis, genis &c. familiaris est. Tempore hyemali prodeunt, quando à nimio frigore succi venientes in cutim tardè incedunt, & quasi coagulantur, hinc affluxus major fit quam transfluxus; atque sic nascitur tumor. Qui si incalescat, pruritum in parte læsa excitat intolerabilem, quia materia peccans tunc magis à subtili materiâ movetur, quam antea, & omne quidquid rigidi continent, in partes nervosas & membranosas illiditur, & titillantem pruriginem producit, hinc partis incalescentia.

Si porro motus istius succi planè gradum sistat, gangræna oritur & sphacelus; quod primo in Epidermide conspicitur, quæ facile tunc à cute separatur; & si frigoris injuriæ adhuc magis accedant, etiam cutis moritur, & exulceratur.

Inter fibras demortuas & congelatas, continuò humor emanat, quia in debita vascula, nunc abrupta transire nequit, & quia sensim aquosis & tenuioribus particulis orbatur, ex crassioribus crusta nascitur.

Interna hic non conveniunt: quidam cucurbitulis aut venesectione utuntur, ut malum evitent, sed nihil juvat: si Calx necdum est aperta, frustum fungi orbicularis alligetur, quo frigoris accessus arceatur. Porro in juventute experientiâ edoctus, malum illud fugatur, si læsa pars proximè igni aliquoties exponatur, ita tamen ne aduratur, sed ut calor sit tolerabilis: & illud remedium plurimis cum optimo eventu suasi: vel pedes imponantur decocto calido raparum aut ex floribus camomillæ, & absinthio parato cum sale antequam tamen foco admoveantur, prius spiritu terebinthinæ inungantur. Sequens Emplastrum, optimum est.

Recipe Terebinthinæ, *uncias duas.*
Boli armenæ, *unciam semis.*
Coquantur in Emplastri consistentiam.

Quod supra alutam extenditur. Resina pini eam valet, uti & Rapæ tostæ & calidè applicatæ, ut & cæpæ tostæ.

Si

Si exulceratæ sunt, tunc semper calor est adhibendus, & procedendum, uti cum ulceribus fieri solet.

Caput XXII.

DE MAMMIS INDURATIS, INFLAMMATIS AC EXULCERATIS VULGO DROP.

QUando Lactis materia aut colostrum in mammis coagulatur & in caseum facessit, atque glandulæ indurantur & deinde mammæ expanduntur, vulgo dicitur *drop in de borsten*. Hoc contingit quando lac non exsugitur atque in glandulis mammariis remanet, quod tunc sensim acescit; deinde particulæ in caseum concretæ in glandulosis vasculis, ac vesiculis remanent, & duritiem nodosam adferunt: materia porro acrior facta inflammationes producit, ulcerationes & interdum ipsum cancrum: in principio æque ac in fine plerumque dolor adest in febricula. **Mammæ induratæ.** **Inflammatæ, Ulceratæ. Cancrosæ**

Lactis coagulationi non parum sæpe contribuunt frigus externum, usus acidi nimius: impositiones rerum acidarum, astringentium, &c.

Omne acidum & frigidum est declinandum, & è contra, in usum ducenda, quæ constant ex salibus volatilibus, quibus acida domantur: Evitando omnem tristitiam atque horrorem & pavorem, (ex simplici enim horrore cancer cognatam meam corripuit, cui mamma meo consilio, est ablata) præsertim febriles invasiones sunt contra eundæ, non tantum volatilibus, sed etiam iis quæ aromaticas ac spirituosas habent particulas, ut est *spiritus vini*, *aqua vitæ Mathioli*, *Theriacalis simplex*, *oleum Caryophyllorum*, atque hæc sunt inter ea quibus frigoris insultus repelluntur præsertim si in spiritu vini aromata quædam sint infusa.

Ante omnia curandum, ut mammæ exugantur, ut sensim particulæ caseosæ una cum recens affluente lacte exugantur, quod à catulis fieri potest. Præter hoc mammæ linteis calidis blandè sunt fricandæ, ut caseosi grumi dissolvantur. Si papillæ nimis sint breves, cacæ cucurbitulæ sunt apponendæ, ut extrahantur papillæ. Item habentur vitra, figura galeæ destillatoriæ, quibus ipsæ matres ad sugendum utuntur, aut cornua imponuntur, aut papillæ ovillæ.

Internè sumunt Iovis scobem aut saturni, aut lucii piscis mandibulæ rasuram, quibus putant lac coagulatum dissolvi: interdum intra dies duos tresve malum restituitur ope *Unguenti Althææ compositi*, cum *ceti spermate*.

Externè fiunt Fotus, Litus, Cataplasmata, Unguenta, atque Emplastra ex mediis sale volatili turgentibus, ast etiam ex spirituosis & aromaticis; ut sunt *Mentha*, *Majorana*, *Ruta*, *Absinthium*, *Phellandrium*, *Chærefolium*, *Fœniculum*, *Nicotiana*, *Petroselinum*, *Vinum*, *Spiritus Matricalis*, *gummi Ammoniacum*, *Sagapenum*, *Galbanum*, *Bdellium*, *Myrrha*, *Sperma ceti &c.* Sequentia possunt applicari:

Recipe Spiritus Vini, *uncias decem.*
Salis Armoniaci, *unciam unam.*
Spermatis ceti, *drachmas duas.*
Miſce fiat fotus. vel

Recipe Foliorum Rutæ,
Abſinthii,
Majoranæ, *ana manipulum unum.*
Florum camomillæ, *manipulum unum & ſemis.*

Coquantur ex vino in formam cataplaſmatis, adde
Farinæ Lupinorum, *uncias duas.*
Miſce fiat cataplaſma. vel

Recipe Gummi Ammoniaci in ſpiritu vini diſſoluti, *quantum ſufficit.*
Fiat ſupra alutam Emplaſtrum.
Convenit quoque Emplaſtrum de ſpermate ranarum.

Hiſce nihil ſolaminis adferentibus, mammæ inflammari incipiunt, augetur & febris, mammæ diſtenduntur: tunc Emollientia applicantur, ut:

Recipe Florum Camomillæ,
Foliorum althææ, *ana manipulum unum.*
Ficuum Pinguium, *numero octo.*
Raparum, *numero duo.*
Coquantur ex cereviſia veteri & bonæ notæ, cui inſperge

Myrrhæ, *uncias duas.*
Croci, *drachmam unam.*
Miſce fiat Cataplaſma. vel

Recipe Ceparum ſub cineribus coctarum, *numero ſex.*
Capitum Liliorum alborum, *uncias duas,*
Foliorum Betæ,
Malvæ, *ana manipulum unum.*
Florum Camomillæ, *manipulum ſemis.*
Coquantur ex lacte dulci, adde

Farinæ Lini,
Fænugræci, *ana unciam unam.*
Unguenti Althææ compoſiti, *uncias duas.*
Miſce fiat Cataplaſma. vel

Re-

Recipe Florum sambuci,
Meliloti, *ana manipulum unum.*
Micæ Panis albi, *uncias tres.*
Croci *drachmam unam.*
Caphoræ, *drachmas duas.*

Coquantur ex cerevisia optima, adde

Farinæ Fænugræci,
Althææ, *ana unciam unam.*
Misce, fiat Cataplasma.

Cessantibus doloribus, tumore emollito, calore & febri defervescentibus, signum est, pus esse factum. Tunc quidam mammas ferro aperiunt, sed ut Hæmorrhagia declinetur; melius est imponere unguentum basilicum, ficus assatos vel simile quid; aut si materia nimis profundè lateat, corrosivum est imponendum, ut puri exitus concedatur, deinde ulcus mundatur, cui inservit Balsamum sulphuris, quod linteo carpto applicatur, & imponendum est Emplastrum Diapalmæ, Diapompholigos, de cerussâ, &c.

CAPUT XXIII.

DE SCIRRHO.

SCIRRHUS, nostris *Knoets geswel*, est tumor induratus absque dolore aut sensu, cum renitentiâ. Scirrhus.

Estque duplex, vel per se, aut cum cancro.

Adest magna renitentia absque dolore aut coloris mutatione, nisi in cancrum degeneret, tunc esset colore lividus & plumbeus. Tumor in principio plerumque est parvus, ast postea quotidie accrescens.

Causa, meâ opinione, duplex est, prima ab aliâ inflammatione originem habet; atque altera per se. Quoad primam, illa oritur quando supra phlegmonem aut Erysipelas, vel cujuscunque fuerit nominis frigida, aut astringentia imponuntur, quorum particulis materia peccans magis coagulatur, in læsâ parte altè infigitur, præsertim in glandulis: hisce nimium infarctis, facile *scirrhus* inducitur. Altera occasio ex corporibus nimio acido succo abundantibus, originem habere videtur (& illi quondam *Melancholici* dicebantur, hinc olim somniabant causam venire à succo melancholico) cujus particulæ si chylo accedant, particulæ caseosæ secedunt quæ si in quapiam parte, quam pertransire nequeunt, hæreant fixamque sedem obtineant (quibus multum salis fixi adjungitur) efficiunt, ut tumor durus tophaceam induat faciem, quod sæpe glandulis mesentericis evenit, præsertim pueris bimulis, trimulis, quadrimis, quinquennibus, sexen-

 nibus

nibus, & paulo ultra illam ætatem. Illorum enim chylus à lymphâ acidâ, è jecore aliisve partibus veniens, facile in caseum vertitur, nam ambo ad easdem glandulas fluunt. Atque de hoc affectu in *Praxi nostrâ* egimus. Scirrho si adveniat sal ex acido salsum, acre & rodens, dolor augetur & in cancrum degenerat.

Si indolens sit cum pilis in superficie crescentibus, incurabilis æstimatur. *Curatio* difficilis est in communi scirrho, sed difficilior ac molestior si plumbeus color accedat, atque cancer immineat. Raro suppurantur.

Præter optimam victus rationem, quæ in attenuantibus ac præcipitantibus consistit, optima sudorifera, ex sale volatili ac spirituoso constantia, in usum sunt ducenda. Externa etiam sint volatilia, evaporationem excitantia & Emollientia; interna in *Praxi nostra* invenies, ubi de Melancholia seu lienosis & obstructionibus agitur. Omnia ex chalybe præparata hic summoperè conveniunt, humoribus enim acidis inducunt quandam fermentationem, quibus in meliorem tenuitatis statum reductis, cæteræ infarctæ, ob particularum chalybearum rigiditatem, è loco moventur. Sequenti solummodo pulvere plurimos restitui:

Recipe Oculorum Cancri, *unciam unam.*
Tartari Vitriolati, *semunciam.*
Magisterii Chalybis, *drachmam unam & semis.*
Misce fiant pulvereres numero quatuordecim.

Quotidiana potus theæ sorbitio convenit, eo enim omnis materia peccans eluitur. Externa Remedia sequentia sunto, ex quibus variæ formulæ parari possunt. ut

Spiritus Vini, Matricalis, Salis Armoniaci.
Aqua Vitæ, Calcis.
Stercus Ovinum, Caprinum, Vaccinum, Humanum.
Caphora, Sulphur, Ammoniacum, sagapenum, Galbanum, Oppopanax, Myrrha, Bdellium, Styrax liquida.
Oleum Terræ, Juniperinum, Laterum, Caphoræ, Laurinum, Vulpinum, Absinthii, &c.
Axungia Humana, Porcina, Anatis, Anseris, Gallinæ, Vulpis.
Emplastrum Diachylum cum Gummi, de Meliloto, de Ranis cum Mercurio, Oxycroceum, de Mucilagine &c.
Unguentum Althææ, Agrippæ.
Crocus, Malva, Absinthium, Camomilla, Melilotus, Bryonia, Scrophularia, Cucumer Asininus, Beta, Atriplex, Cicuta, Phellandrium, Lilia alba, Mercurialis, Tabacum, &c.

Recipe Seminis Sinapi, *drachmas tres.*
Sulphuris triti, *unciam semis.*
Caphoræ *drachmas duas.*
Misce. vel.

Recipe Stercoris ovini, *uncias tres.*
Ceparum Coctarum, *uncias duas.*
Seminis Sinapi, *unciam semis.*
Spiritus Vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat Cataplasma.

Spiritus Matricalis hic summoperè convenit. Fæces post coctam cerevisiam relictæ, aut caput mortuum post extractum spiritum frumenti mirè præstat ad fovendum. Convenit quoque fotus ex urinâ; aut litus ex salivâ; applicatio cum spiritu vini & spiritu cornu cervi, admodum valet.

CAPUT XXIV.

DE SCROFULIS SEU STRUMIS.

QUia dicuntur scrofæ seu sues sæpe SCROFULIS affici, atque homines etiam easdem quoque pati, dicitur SCROFULA, græcis χοιράς; etiam appellatur STRUMA: Belgis *Krop-sweeren*, *Klieren*, & *Konings seer*, quia Galliæ Reges (Teste *Andr. Laurentio*, Regis *Henrici* IV Medico) illud malum sanabant. Scrofulæ.

Scrophulæ itaque nihil aliud sunt, quam scirrhi in glandulis colli aliisve in locis indurati, tunicâ propriâ contenti, doloris ut plurimum expertes, & sine decoloratione.

Interdum ferè omnes glandulæ sunt affectæ, præsertim colli, cervicis, axillares, inguinales, mammariæ, ut & pulmonum, Thymi & Mesenterii. Aliquando mobiles sunt; sæpe solitariæ; aut plures in uno loco. Sub mento *Bronchocele* appellantur & *Hernia Gutturalis*. Atque hæ altius radices egerunt, quam vulgares glandularum tumores, & uvarum in modum racematim sibi invicem adhærent.

Causas esse easdem puto, ac in scirrho; nempe glandulas, sive ab aliquo viscido & acido aut alias, caseosis particulis infarciri; quæ, ob continuum affluxum, sensim accrescunt atque in majorem molem elevantur. Materia hæc salivalium ductuum ope proximas quoque glandulas intrat, quæ ductibus uvarum in modum adhærent. Si porro hisce particulis viscosæ atque salinæ particulæ accedant, interdum materia gypsea nascitur. Earum ortus subitus non est, sed sensim crescunt. Pueri ac virgines, quibus menstrua instant, hoc malo maximè afficiuntur.

Quando materia illa in vesiculis ac sacculis glandulosis infarcitur, piscium quidem ova referunt, uti narrat *Tulpius* in Orphanotrophio Amstelredamensi vidisse: Consuluit aliquoties mecum Vir quidam nobilis *Gorcomii* nomine *Theodorus Vink*, is habebat œsophagum summè coarctatum, liquida difficulculter assumebat, intruso instrumento tumor durus & renitens sentiebatur. In fine ipsius vitæ, quoniam amplius deglutire nequivit præ fame obiit.

 Aperto

Aperto cadavere ſtruma in œſophago excreverat inſtar piſcis ovorum. Idem affectus omnibus corporis partibus advenire poteſt; vidi Brachia ſtrumoſa, ut & pedes; manus; genua &c. ſtrumoſis nodis & inæqualitatibus præter modum obſeſſa.

Difficillimè curantur, præſertim adveniente dolore ac cancro; vel ſi plures adſint, atque magni tendines ac nervi percurrant. Si, menſtruis advenientibus, non evaneſcant, raro ſanantur.

Si ſtrumoſis tuberculis pulmones obſideantur, oritur tuſſis ſicca, deinde purulenta, tandem aliquando ſanguinolenta, phtihſis, febris, mors. Dixi ſuperius, ut plurimum eſſe doloris expertes; ſed materia impacta, ſi acris fiat, tunc dolores producit, (ob membranas & nervos intercurrentes) & ex hiſce doloribus nihil boni ominandum.

Fiant ſæpe *ſudationes* ex decoctis ſalſæ parillæ & chinæ: externa & interna remedia debent eſſe, quibus acidum obtunditur, moderatur. Sublimatum præcipitatum dulce alibi deſcriptum, non infimarum virium exiſtimo. vel

Recipe Succi radicum iridis
Euphorbii, *ana quantum ſufficit.*
Evaporando fiant cicerum magnitudine pilulæ Numero triginta.

Per menſem integrum matutino tempore quotidiè ſumatur una. *Robbertus Boyle* narrat quendam fuiſſe ſanatum uſu *Paronychiæ II Dodonæi*, quæ à *Lobelio* vocatur *Paronychia folio rutaceo* à *Bauhino Sedum Tridactylides* aut *Alſine petræa*. Hanc herbam in cerevifia ſuſpendebat, & ei pro quotidiano potu erat. Internè & externè conveniunt *Spiritus ſalis armoniaci*. Potus ſit ſorbillum ex Theâ aut Coffeâ, ut & aqua chalybeata, aliaque ex chalybe parata.

Externè aquis tenuibus ſunt attenuandæ & expellendæ; interque ejuſmodi eſt *ſpiritus matricalis*. Confrictus cum ſalivâ jejunâ convenit, ut & oleo bufonum. Fotus cum aquâ calcis optimus. vel

Recipe Olei Laurini,
Aquæ vitæ,
Ceruſſæ, *ana unciam unam.*
Salis armoniaci, *unciam ſemis.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Miſce fiat unguentum. vel

Recipe Gummi Ammoniaci diſſoluti, *uncias duas.*
Bdellii,
Olei terræ, *unciam ſemis.*
Medullæ Oſſium, *ana uncias tres.*
Croci,
Spermatis ceti, *ana drachmas duas.*
Miſce. vel,

Recipe

Recipe Unguenti Martiati, *uncias duas.*
Sinapi, *unciam semis.*
Euphorbii, *drachmas duas.*
Sulphuris Vivi, *unciam unam.*
Olei Busonum, *unciam unam & semis.*
Misce vel

Applicatur *Emplastrum de spermate ceti*, *Vigonis cum Mercurio*, *de Ranis cum Mercurio.* Alii scrofulas curant cochleis, quæ in vitibus inveniuntur, contusis, & cum petroselino in formam emplastri redactis

Si dissolvi nequeant, tentandum num emolliri & in pus verti possint; & si curatio sit acceleranda, eximenda est eodem modo ac de Steatomate, Meliceride, &c. dictum est: si exulceratæ sint, agendum ut in ulceribus solet. Menstrua non apparentia sunt excitanda, quia huic affectui sæpe causa existunt.

XXV. CAPUT.

DE CANCRO.

CANCER, Belgis *Kreeft-geswel*, est glandularum induratio in modum scirrhi, sed postea in majorem molem aucta, corrodendo proserpit, cum dolore, calore, lividitate plumbeâ cum nodosis tuberculis, & interdum circum se venis livescentibus. Cancer.

Venas livescentes addunt, quasi signum Cancri pathognomonicum, sed teste *Gabr. Fallopio*, hoc non fit, nam loquitur his verbis: *quod licet venæ hæ ab omnibus pro signo ponantur, non sunt tamen signum certum, quin ex centum cancris quatuor non habent illas, & si reperiantur hæ, maxime patent, quando potissimum sunt in mamillis hi tumores.* Huc usque *Fallopius*: mammæ enim sanissimæ & turgidæ semper venas habent tumentes, quæ is mammis flaccidis, quamvis sanis, vix conspici solent.

Non exulceratus *cancer*, Græcis καρκίνωμα & καρκίνος; ast exulceratus φαγέδαινα, nobis *de Wolf.* Quidam unum habent tuberculum nodosum, sed alii plures. Suntque mobiles aut fixi Et quemadmodum Grangræna & Sphacelus carnosas partes invadit, ita Caries ossa, & Cancer glandulas.

Signa satis ex definitione apparent. In principio sæpe pisi magnitudinem æquant, sed sensim circumferentiam majorem acquirunt: & tunc dolores comitantur pungentes.

Causæ proximæ sunt tantum glandularum indurationes, sive veniant in modum scrofularum aut scirrhorum, aut ab externis veniant, contusione, lapsu, &c. imo ex terrore venire novi, ex consanguineis enim mammam cancro ob hanc causam corruptam abscindere jussi. Item quando induratis

his

his glandulis acres & acidi ſucci adveniunt, tunc tumor roditur & non ſine dolore proſerpit; atque eos eſſe in cauſâ ex doloribus apparet pungentibus, qui ab aliis humoribus non producuntur, & præter hoc, animadvertimus, quod omnia medicamina cancrum oppugnantia ex particulis acidum domantibus conſtent. Ex hac aciditate fit, ſanguinem ſemper prætercurrentem infici ac nigreſcere, atque ſic non tantum ſanguis in ipſo tumore, ſed & ipſæ venæ eundem revehentes atro implentur cruore, atque tunc ferè cancri animalis in modum, pedes repræſentant. Corroſis porro, ab acribus his ſuccis, membranis nervoſisque partibus, intolerabilem pariunt dolorem. Si acrimoniæ iſti plurimæ particulæ chyli adveniant, interdum ſuppuratio expectatur, & ſæpe per ſe ceſſat. Quoniam in mammis non raro ex lacte in caſeum degenerante, alterationes in pejus fiunt, etiam in iis frequentius, quam in aliis partibus cancer generatur.

Quo cancer major eo pejor; rariſſimè medicamentis, ſed frequentiſſimè ferro ſanatur; qui fixè coſtis adhærent, aut alibi occultantur, non curandi nam adhibitâ curâ, citius moriuntur. In genere ſunt cancri curabiles, ſed difficile curantur. Si occupat partem facile extirpatione removendam, omni ferè periculo vacat, quando in tempore inſtituitur.

Optimâ ſervatâ diætâ, internè quam externè ea ſunt adhibenda quibus omnis acrimonia obtunditur, ut:

Plumbum uſtum & crudum, Minium, Chalybs, ſal ſaturni, Pompholix, Amalgama Mercurii, Thus, Balſamum ſulphuris, Nicotiana, Sperma ranarum & ceti, oculi cancri, Sulphur, Bolus, Caphora, Ærugo, Æs Uſtum, Arſenicum, Auripigmentum, Sublimatum, calx, Butyrum Antimonii, Spiritus Matricalis, Quinta eſſentia arſenici, Lithargyrium, ceruſſa, creta, ſal armoniacum, olea deſtillata, Opium; Emplaſtrum de tabaco, diaſulphuris, Diapompholigos, de ranis cum Mercurio. Fel Animalium, Stercus Humanum, Pilulæ Tartari Quercetani, Oleum Saturni, ſal Jovis, Sublimatum præcipitatum, Cryſtalli Jovis, Mercurius ſolaris, Mercurius ſublimatus rubeus, Oleum Mercurii dulce & Diaphoreticum, ſal fuliginis, Oleum Antimonii Saccharinum, Unicornu ſolare, &c.

Quia potus Theæ totum ſanguinem eluit, hic ſummoperè præſtat. Sublatâ cauſâ interna ſtatim affectus externus tolletur. Hic conducunt aquæ chalybeatæ, nam acidum temperant. Mercurialia intus prudenter ſumpta, ſæpe curant. In principio tutius cultro auferuntur, quam plurimis topicis, ſero enim poſtea ſæpe adhibetur remedium: quoad externa, ſequuntur quædam formulæ: ut

Recipe Ceruſſæ, *drachmam unam & ſemis.*
Plumbi uſti, *drachmas tres.*
Antimonii Crudi, *drachmas duas.*
Pompholigos,
Caphoræ,
Salis Saturni, *ana drachmam unam.*

Salis

Salis Saturni, *drachmam unam.*
Olei Nicotianæ, *unciam unam.*
Succi Nicotianæ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat linimentum in mortario plumbeo.

Recipe Mellis deſpumati, *uncias ſex.*
Lithargyrii, *ſemunciam.*
Auripigmenti, *drachmas duas.*
Vitrioli Albi, *drachmas tres.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Recipe Arſenici, *uncias duas.*
Radicum ari, *unciam unam.*
Fuliginis, *unciam unam & ſemis.*
Miſce fiat pulvis inſpergendus. vel

Recipe Lithargyrii Auri, *uncias duas.*
Minii, *unciam unam.*
Mumiæ, *drachmas ſex.*
Salis Saturni, *unciam ſemiſſem.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Olei Roſacei, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Sume Arſenici Cryſtallini,
Auripigmenti, *ana drachmam ſemis.*
Ariſtolochiæ rotundæ,
Viridis Æris, *ana drachmas tres.*
Minii, *unciam ſemis.*
Caphoræ,
Opii, *ana ſcrupulos duos.*
Axungiæ Porcinæ, *uncias duas.*
Miſce fiat Unguentum. vel

Recipe Aquæ Calcis *uncias decem.*
Salis Armoniaci, *uncias duas.*
Caphoræ,
Salis Saturni, *ana drachmas duas.*
Miſce fiat fotus.

Spiritu matricali, ut & *oleis deſtillatis* ſæpe inhibetur, ne ulterius ſerpat. Idem facit *butyrum antimonii.* Hiſce & ſimilibus ſæpe aliquot annos cancer palliativâ curâ quietus manet, imo & prorſus non raro extirpatur ideo maximâ ex parte conſtant ex acidum temperantibus, quibus corroſio ſuſpenditur, alias enim chylus continuo effluens acorem contrahit, qui tandem acrimo-

niam induit & rodens fit : deinde medicamenta ita ſunt compoſita, ut ſecando & incidendo cancroſæ glandulæ diſſolvi poſſint, atque ſic ſanum ab infecto ſeparatur.

Si corroſivi humores magis ac magis verſus interiora proſerpant atque rodant, (nam Medicamenta ſæpe tam profundè penetrare nequeunt) certiſſimè ad extirpationem eſt conſentiendum. Quoniam de extirpatione nobis alibi fuit ſermo, nos hic tantum de mammarum extirpatione agemus.

Mammarum extirpatio.

Ponatur ægra luci oppoſita, & locum incidendum atramento nota; apprehende tunc mammam manu ſiniſtrâ & ad te firmiter attrahe deinde cultello inciſorio cutim cum pinguedine perſeca, idque ſecundum lineæ ductum, ſed non profundius; ſume tunc duas acus oblongas & curvatas (alii tamen eas non adhibent, & minorem dolorem, adferunt) cum fortibus filis, illæ pone mammam cruciatim intruduntur, intra mammam nempe & muſculum pectoralem : deinde fila trajecta etiam cruciatim nectuntur. Intra fila illa digiti mittuntur, & mamma ad ſe trahitur, illam ita tenendo : tunc cultello eburneo quidquid glanduloſum ſeparatur, & vaſa ſanguinem fundere minantia, filis conſtringuntur, porro cultro falcato integra mamma aufertur : tunc applicant cauterium, vel ejus loco pulverem ſtypticum applicant, de quo alibi dictum. Si tota mamma non fuerit cancro obſeſſa, exſcindendum tantum, quidquid inconveniens erat, deinde ut in aliis vulneribus procedendum.

Temerè mammarum cancer non eſt auferendus.

Veſtalis quædam virgo, mihi, Doctoribuſque *Mahui & van Tongeren* 1682 ſiſtebatur; conſulebat nos de mammâ, in ingentem molem auctâ & cancro ſcirrhoſo obſeſſâ, auferendâ, contrèctavimus mammam digitis, atque invenimus cancrum axillam occupaſſe, ideoque ablationem diſſuaſimus. Poſt aliquot hebdomadas, in manus incidit alicujus circumforanei, qui aureos montes pollicebat, ut illud hominum facere ſolet; quid factum, ablatâ mammâ, ob venam axillarem & arteriam diſſectam in lethale ſomnum incidit. Exinde ſatis liquet, cancrum non temere, & non niſi cum bono Judicio eſſe tollendum.

De *Noma* & *Lupo* poſtea agemus, cum de ulceribus nobis erit ſermo.

CAPUT XXVI.

DE PENIS EXTIRPATIONE.

Penis extirpatio.

OB ingentem contuſionem, cancrum, ſphacelum &c. aliquando penem amputare convenit.

Primo Catheter per Urethram veſicæ immittatur; deinde ſupra gangrænam aut ſphacelum penis chordis luſoriis, aut filis ſericis fortiſſime circumligetur. Factâ ligaturâ catheter vel cannula immiſſa ita accommodetur, ne excidat. Poſtero die, ſi opus ſit, aliam de novo adhibe ligaturam, ut penis eo citius emoriatur.

Porro, quia fœtor nares ferit, & urina deſtillans ſit excipienda, penis veſica ſpiritu vini madefacta eſt involvendus. Quarto, quinto, aut ſexto die

penis

penis emortuus cultello eſt abſcindendus: Poſt hæc cannula per duos aut tres dies in urethra manet, & ligatura per ſe decidit.

Aperturâ conſolidatâ, per inſtrumentum ſtanneum, aut eburneum, quod ventri infimo accommodatur, lotium eſt reddendum.

Caput XXVII.

DE UTERI AMPUTATIONE; UT ET DE VAGINÆ EXCRESCENTIARUM EXTIRPATIONE.

Uterum poſſe exſcindere alii ajunt, alii negant: idem tamen poſſe inſtitui variis exemplis ratum fecit *Cl. Fr. Ruiſch* in ſuis obſervationibus Anatomico-Chirurgicis. Aufertur itaque quando propendet, nimiaque mole moleſtat; fuitque ſcirrhoſus, cancroſus &c. An uterus amputari poſſit.

Propendenti itaque utero ligatura ſatis fortis injicitur. Deinde acu tricipiti filo duplicato munitâ, infra ligaturam transfoditur; attrahendo filis uterum, deinde fit, uti in mammis ejus cultro falcato ablatio, Ablata matrice, apertura pulvere aſtringenti aliiſque eſt deliganda.

Sed, urethra evitetur, memor ſit Operator.

Excreſcentiæ aut polypi ex vulva propendentes, ſequenti modo auferuntur. Inſtrumenta neceſſaria ſint primo in promptu; ut cultellus falcatus acutus, faſcia, medicamentum ſtypticum, ligamenta circa extremitates diviſa, ex linteo molli & veteri parata, ſimilia iis, quibus Lithotomus uti ſolet. Vulvæ excreſcentiarum &c ablatio.

Ægrotanti menſæ incumbenti ligamentum hoc primo omnium applicetur, facto circa ventris anteriora nodo, hinc faſcia injiciatur collo corporis prolapſi & fiat conſtrictio arctiſſima, loco vaginæ proximo; hoc facto, ſiniſtrâ manu, quo fieri poterit robore, corpus prolapſum extrahatur, dextra cultro dicto armata loco inter collum conſtrictum & partem reliquam prolapſam intermedio, auferatur.

Extirpatione hoc modo peractâ, loco vulnerato, ad quem facile manum Chirurgi ducet faſcia eidem adhuc nexa, pulvis ſtypticus cum albumine ovorum applicetur, ſpleniiſque debitis impoſitis, deligatio conveniens inſtituatur, ad quam ligamenti primo loco ventri ægrotantis applicati extremitates conveniunt.

Caput XXVIII.

DE GANGRÆNA ET SPHACELO.

Gangræna, Nobis *Heet-vuur*, eſt alicujus partis incipiens mortificatio, cum pauco ſenſu, & obſcuro colore rubicundo. Gangræna.

Sphacelus. SPHACELUS, *Syderatio*, *Mortificatio*, seu *Necrosis*, synonyma sunt, Belgis *Koud-vuur*, Est mortificatio absoluta partium, absque ullo sensu, cum fœtore, colore plumbeo, & postea nigro.

à Frigore. *Causæ* hujus mortificationis variæ esse queunt. 1. à *Frigoris* congelatione. 2. *Medicamenta*, *dicta Repellentia*. 3. *Ustio*. 4. *Corrodentia*. 5. *Alimenti defectus*. 6. *Morsus venenatorum animalium*. 7. *Tumores Pestilentiales*. 8. *Scorbutus Malignus & inveteratus*. 9. *Contusio*. 10. *Vasorum dissectio* &c.

Quid *Frigus* efficit, omnibus notum: si partem aliquam invadat, quidam succi coagulantur, præsertim lympha: sed ulterius progrediendo sanguinem ipsum aggreditur, quo sensim corrumpente, tota pars corrumpitur, putrescit, & fætorem exhalat: atque ejusmodi exempla sæpe sentiunt ad Grönlandiam navigantes, qui cum frigoris hostilitatem ferre nequeunt, Mercurii adeunt, sed Vulcani redeunt.

Quando succi à frigore stagnant in eo statu semper remanere nequeunt, ast particulæ acidæ & alcalicæ assiduo à subtili materiâ motæ, continuo leniter rumpunt, frangunt, discerpunt, & primo externè quidem rubedinem inferunt, quia adhuc perpaucissimi succi transeunt, & tunc *Gangræna* apparet, & certè est vitæ istius partis incipiens suffocatio, succis enim stagnantibus debitum perdunt calorem, & sensim inducitur mors. Porro si humorum circulus magis ac magis stagnat, pars quoque magis ac magis lividior ac nigrior fit, & tunc *Sphacelus* appellatur.

Ab astringentibus. Si tumoribus admodum inflammatis & calentibus, *Astringentia* imponas (ut calor quasi extinguatur, temperetur) tunc propter astrictionem succi in parte inflammatâ contenti, coagulantur & in partes secedunt, quorum particulæ concretæ in canaliculis fibrosis remanentes, novum affluxum inhibent, sive sanguinis, lymphæ aut succi nervosi, quibus partes vivunt & vegetantur: viis itaque ejusmodi clausis, pars ita emoritur, nisi in tempore adhuc penetrantia adhibeatur; ut est *alcohol vini*, *spiritus matricalis*, aliaque olea tenuia.

Per ustionem, & corrodentia. Emori partes *ustione* omnibus patet, nam nervi, vasa sanguinea & lymphatica, ut & cæteræ partes ab igne corrumpuntur, consumuntur; hinc succorum affluxus denegatur, & pars vitam amittit. Idem faciunt *Corrodentia*, ex arsenico, sublimato corrosivo, ruptoriis, aqua fortis &c.

A pressione & obstructione. Quando in articulorum luxatione vasa *premuntur*, aut à polypo aut alias *obstruuntur*, succi etiam, ut decet, fluere nequeunt, hinc illorum stagnatio, & per consequens corruptio, ni moveantur.

A morsu, peste, scorbuto. *Morsus* viperarum, aliorumque animalium venenatorum, quando veneno succi corroduntur & coagulantur pars illa etiam facile emoritur. Idem fit tempore pestis, & à scorbuto maligno

Contusione, abscissione. Ex *contusione* & *vasorum abscissione*, facile est judicatu, exinde posse mortificationem induci.

Gangræna itaque & *Sphacelus* in eo tantum consistunt, quod canaliculi & meatus sunt obstructi, infarcti, abscissi, aut angustati, qua pars nullum

lum accipit alimentum aut perpaucum, & quemadmodum hoc fit in partibus carnosis, ita cancer in glandulosis, & caries in osseis.

Contingit interdum, mortificationem illam citissimè proserpere, ut non tantum brevi temporis spatio totum membrum emoriatur, sed & totum corpus: *Causa* exinde est deducenda, nempe, exempli gratia, si digitus meus sit sphacelo correptus, non potest arteria, à brachiali ramo veniens, sanguinem suum contentum ulterius propellere; itaque sanguis, quem arteria supra sphacelum continet, stagnare cogitur, hinc coagulatur, & quoniam coagulatio ista continuò augetur, etiam sphacelus ulterius, idque subitò proserpit, ascendit. Quare sphacelus cito ascendit

Pure albo apparente, indicat gangrænam separare à sano, atque partes subjectæ novi succi affluxum persentire, quia chylus intra partem sanam & demortuam fuit effusus, qui *Pus* vocatur. Pus quid. Si gangræna subitò non resistatur, statim in sphacelum vertitur, quia succi sensim magis coagulantur. In Junioribus & succis calidioribus melius est, quam senioribus ac frigidioribus, quia propter calorem succi in parte affectâ diutius fluiditatem servant; è contra in frigidioribus, per se sanguis coagulatur. Gangræna magna, majus habet periculum quam parva. Intus in corpore; in oculis, ore, naso, &c. Curatio est difficillima. Hydropi superveniens circa crura aut internas partes, incurabilis est. Facillimè proserpunt, quia sanguine cæterisque succis stagnantibus, sensim magis magisque, in partibus cordi proximis, gradum circulationis sistunt.

Gangræna quam primum est sistenda, deinde demortuum à sano separandum, & ultimò consolidandum &c. ast si omnia in contrarium ruant, pars demortua est extirpatione auferenda. Internè sudorifera sunt danda, ut & sanguinem roborantia & diuretica: sudoriferis adjungi possunt quædam mercurialia, ut *sublimatum præcipitatum dulce.* Sanguis roboratur vulgaribus roborentibus & acidum temperantibus cum oculis cancri, ceti spermate &c.

Porro pars gangrænâ affecta, est usque ad carnem sanam scarificanda ut, medicamenta eo citius & commodius penetrent, separationemque promptius procurent. Pars scarificata sequenti lavamento lavetur:

Recipe Spiritus Vini, *uncias quatuor.*
Myrrhæ,
Aloes, *ana drachmas duas.*
Vitrioli Cærulei,
Salis Saturni, *ana drachmam unam.*
Succi Chelidonii majoris, *uncias duas.*
Misce. vel

Recipe Spiritus Vini, *uncias duas.*
Unguenti Ægyptiaci, *unciam semis.*
Spiritus vitrioli, *guttas sex.*
Misce.

Variæ formulæ ex ſequentibus parari poſſunt. ut ſunt

Radices Angelicæ, Ariſtolochiæ, Biſtortæ, Valerianæ, Angelicæ.

Cortices Quercus, Granatorum, Caſtanearum.

Herbæ Abſinthii, Cardui Benedicti, Lauri, Naſturtii, Nicotianæ, Cicutæ, Alliariæ, Phellandrii, Quercus, Rutæ, Salviæ, Scordii.

Flores Balauſtiorum, Camomillæ, Croci, Meliloti, Sambuci, Hyperici.

Semen Dauci, Naſturtii, Cumini, Coriandri, Lupini, Sinapi, Phellandrii.

Fructus Colocynthidos, Juniperi, Lauri, Cupreſſi, Juglandes.

Vinum, Aloes, Caphura, Myrrha, Lixivium, Urina, Sal Armoniacum, Nitrum, Alumen, Vitriolum, Ærugo, Calx Viva, Aqua Calcis, Acetum Miniatum & Caphuratum, Sulphur, Spiritus Vini, Armoniaci, Matricalis. Olea deſtillata Aromatica, Theriaca, unguentum fuſcum Felicis Wurtz, Ægyptiacum, fimus columbinus, Caballinus, Sal Saturni &c.

ut Gangræna contra eatur, præſtantiſſimus eſt *Spiritus Matricalis*, porro ad ſeparandum ſequentibus utere:

Sume Lixivii Fortiſſimi,
Spiritus Vini optimi, *ana libras tres.*
Scordii,
Abſinthii,
Rutæ,
Phellandrii, *ana manipulum ſemis.*
Ariſtolochiæ rotundæ, *unciam unam.*
Salis Armoniaci, *uncias quatuor.*
Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, adde
Myrrhæ,
Aloes, *ana unciam ſemis.*
Aquæ vitæ, *uncias duas.*
Miſce fiat Lavamentum.

Ad citiſſimè ſeparandum quidam fortiſſimum ſumunt lixivium, aut cereviſiæ fæcem recentem. Sequens etiam cum emolumento ſummo vidi in uſum duci ad gangrænam ſiſtendam.

Recipe Baccarum Lauri,
Juniperi, *ana unciam unam & ſemis.*
Nucum Galli, *uncias duas & ſemis.*
Aluminis crudi, *uncias duas.*
Ceruſſæ, *unciam unam & ſemis.*
Viridis Æris, *ſemunciam.*
Salis Communis, *manipulum unam & ſemis.*
Armoniaci, *unciam unam & ſemis.*

Lithar-

Lithargyrii Auri, *uncias tres.*
Tartari, *uncias quatuor.*
Foliorum Querci,
Rutæ,
Sabinæ,
Abſinthii,
Scordii,
Salviæ,
Florum Camomillæ,
Meliloti,
Sambuci,
Roſarum Rubrarum, *ana manipulum unum & ſemis.*
Aceti Vini,
Lixivii, *ana uncias octo.*
Vini Gallici,
Aquæ Communis, *ana quantum ſufficit.*

Exponatur mixtum aliquot dies radiis ſolaribus, cola, & ad uſum ſerva. Magnarum quidem eſt virium, ſed multa continet ſuperflua. vel

Accipe Corticum Viridium nucum juglandium, *uncias ſex.*
Herbarum Scordii,
Abſinthii, *ana manipulos duos.*
Rutæ, *manipulum unum.*
Salis Armoniaci, *uncias quatuor.*
Fimi Columbini, *uncias ſex.*
Cerevifiæ Bonæ Notæ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Cataplaſma. vel

Recipe Seminis ſinapi,
Radicum Raphani Silveſtris Recens Raſpati, *ana uncias quatuor.*
Caphoræ, *unciam unam.*
Saponis Nigri, *uncias duas.*
Olei Lini,
Juglandium, *ana quantum ſufficit.*
Miſce fiat Cataplaſma. vel

Sume Calcis Vivæ,
Cretæ, *ana partes æquales.*
Aquæ *quantum ſufficit.*
Fiat coquendo lixivium, adde
Caphoræ, *quantum ſufficit.*

Lini farina in cerevifia cocta, optimè ſeparat. Ut & fæx vini cum cerevifia, fermento acido, &c.

Facta

Facta ſeparatione, ad *Suppurantia* & *digeſtiva* deveniendum, ut ſunt *Unguentum Apoſtolorum*, *Baſilicum*, *Aureum*, *de Apio*, &c. ſeparatione inducta, eſcharaque ablatâ, Sarcotica adhibentur & conſolidantia. Muſculis marinis recentibus gangrænæ impoſitis, inſtantem mortificationem abigere, vidi.

Si pes aliave corporis pars frigore conſtricta fuit, tunc nive primo fricatur, aut gelidæ aquæ imponitur, ut ob prohibitam diaphoreſin calor ſenſim intus recolligatur; deinde in lectum necdum calefactum ponatur; ſed intus hauſtum pectoralem ſpiritus vini ſumatur: hoc modo incedunt illi, qui boreales regiones inhabitant. Idem mulierculæ noſtræ hiemali tempore faciunt, quæ rapas congelatas, mala, radicum genera non igne diſſolvunt, ſed aquæ frigidæ injiciunt, atque ſic diſſolvuntur, cum alias ab igne fierent flaccida, ſpongioſa atque fungoſa.

Quando Gangræna in ſphacelum degenerat cum fœtore, nigredine ac aſcenſione, membrum eſt detruncandum, eo, ut in ſuperioribus diximus, modo. Et, ſi fuerit in loco, ubi extirpatio locum habere non poteſt, tunc quod emortuum, eſt exſcindendum: atque hic ſæpe conveniunt cauteria, ut progreſſus ſeu, ut dicunt, *Ambulatio* præcaveatur.

Si lumbi, os ſacrum aut coccygis à longo ægrotantium decubitu, primo cutis detritione afficiantur, & deinde gangrænâ, partes affectæ ſpiritu vini continuò ſunt fovendæ: deinde nates, &c. locandæ ſupra pulvinar, cui in medio foramen eſt, eodem modo, ut in ſellis infantium cacatoriis locari ſolent.

CAPUT XXIX.

DE ANEURISMATE.

Aneuriſma.

ANEURISMA duplex eſt, vel eſt arteriæ tunicarum dilatatio, cum pulſu continuo, tactui facile cedens, aſt ſtatim rediens. In principio tumor parvus eſt, qui ſenſim ſenſimque augetur, & ſacciformen tandem induit figuram: cutis non eſt decolor &c. arteriæ ſanguis inter muſculos & arteriam emanat, unde tumor, ut plurimum ſatis durus, cum pulſu vel obſcuro, vel planè non raro deficiente. Cutis interdum livida, & intumeſcentia eſt magis plana, & tactui ægrè cedens.

Dixi in definitione, quod adſit continuus pulſus; ſed hoc ſignum non eſt pathognomonicum: nam in magno Aneuriſmate aliquando coagulatus ſanguis pulſationem impedit.

Cauſæ poſſunt eſſe tunicarum muſculoſarum paralyſes; ulcerationes; corroſiones, vulnera caſu vel à Phlebotomiâ perverſâ, arteriotomiâ, verbera, caſus, illiſiones &c. veniunt internè ut, circa cor in arteriâ aſcendente vel deſcendente, ubi in maximam aliquando molem extolluntur, ita quidem, ut coſtæ cedere & frangi ſæpe coguntur. Externè veniunt præſertim in brachiis, cruribus, temporibus &c.

Quand

Quando tunica musculosa paralysin aut ulcerationem patitur, sæpe evenit, ob sanguinem continuò affluentem & in locum affectum impellentem, quod tunica illa sæpè immaniter dilatetur, tumorque sensim insigniter elevatus constituatur: aliquando rumpitur tunica, nisi à tegumentis aut ossibus impediatur. Arteriæ apertura sive ex inflicto vulnere, erosione vel alias non bene consolidatâ, sanguis facile inter musculos & arteriam effunditur: in hoc Aneurismate sæpe sanguis coagulatus invenitur, hinc via obstruiter, pars corrumpitur, livescit, & præpedito sanguinis impetu atque succi cerebralis influxu, etiam cessat pulsatio.

Difficile curantur, ast parvum magno felicius curatur; Sunt longæ durationis, & diutissimè absque eruptione præservari possunt.

Emplastrum quoddam supra imponitur, quæ ex siccantibus & astringentibus paratur.

Recipe Thuris, *semunciam.*
Aloes *drachmas duas.*
Albuminis ovi, *quantum sufficit.*
Misce fiat Emplastrum. vel

Recipe Scoriæ ferri, *drachmas quinque.*
Mumiæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici, *ana drachmas tres.*
Thuris,
Acaciæ, *ana unciam unam.*
Glutinis vulgaris, *uncias tres.*
Gypsi, *uncias duas.*
Resinæ, *libram unam & semis.*
Succi consolidæ majoris,
Ceræ Miniatæ, *ana quantum sufficit.*
Misce fiat ceratum.

Huc conveniunt *Emplastrum de alutâ*, *ad rupturas*, *desiccativum rubrum*, &c. imponitur tunc lamina plumbea, quæ fasciâ est firmanda: atque hæc fascia diutissimè est gestanda; & si malum nulli rei sit obediens, tunc arteria infra & supra aneurisma tribus quatuorve filis convincitur, atque aneurismatis intermedium ab inferiori parte versus superiorem cultro incisorio aperitur, sanguisque coagulatus exprimitur, & locus linteo carpto & balsamo Copaivæ impletur, & vulnus fortiter ligatur, neque ligaturæ solvuntur, antequam locus carne sit impletus. Vulnere sanato, semper fascia est gestanda, & non nisi post annum est solvenda, idque non subitò, sed primo paulo lenius vinciendum, deinde laxius, & tandem planè aufertur: quamvis suaderem ut per totum vitæ curriculum generetur, si locus sit in brachio præsertim aut crure. Post ligaturam & excisionem

ſæpe pars extabeſcit, ſanguinis enim fluxu denegato, fibræ muſculares ulterius expandi nequeunt. Interna circa cor &c. nunquam curatur, quia pars manibus tractari nequit.

Caput XXX.

DE VARICIBUS.

Varices. VARICES ſunt venarum nimiæ dilatationes.

Cauſæ eædem ſunt ac de Aneuriſmate dictæ: alibi in ſuperioribus Herniæ varicoſæ ſeu Cirſoceles cauſam explicuimus. Idem accidit in attollendo graviſſimo pondere, cum venæ ita premuntur, ut ſanguis ad cor venire nequeat, atque tunc maximè ad rupturam uſque ferè extenduntur & dilatantur. At ſi ſanguis per arterias celerius currat, quam à venis poſſit abſorberi, diſtenduntur atque dilatantur Idem fœtum geſtantibus accidit, nam fœtus moles venas iliacas ita pondere ſuo premit, ut verſus cor ferè aditus præcluditur: atque vaſis lymphicis, etiam varices patientibus, lympha erumpit, hinc ulcerationes, Belgis *Kraam-beenen* aliquando nominantur.

Curatio eodem modo procedit, ut de Aneuriſmate dictum. Faſciis, tanquam curâ palliativâ, diutiſſimè ſupprimuntur.

Caput XXXI.

DE GANGLIO.

Ganglion. GANGLION, *Nodus*, & quibuſdam *Lupia*, eſt quædam in tendinoſis partibus intumeſcens durities, ſenſim abſque dolore aut diſcoloratione adveniens, ſed premendo dolor deprehenditur ſtupidus.

Cauſæ ſunt puncturæ, illiſio, verbera, contorſiones tendinum &c. quibus fibrillæ tendinoſæ contorquentur, aut vulnerantur; quæ ſenſim ad latera excreſcunt & in tumorem elevantur. Succus etiam tendinoſus quidem emanat atque coagulatur. Certum eſt enim nullum eſſe tendinem aut fibram, quin ſuccum proprium contineat, qui, læſo tendine effunditur, & ſenſim augetur, unde tendinis moles elevatur, atque hoc verum eſſe, patet ex cadaveribus & curationibus.

Remedia quæ applicari ſolent, ſunt viſcidum ſolventia: aliquando ſola frictione mediante ſalivâ abeunt; ſpiritus penetrantes, ut eſt matricalis & ſalis armoniaci. Neque ſequens Emplaſtrum eſt negligendum, ut

Recipe Emplaſtri oxycrocei, *unciam unam.*
Gummi Ammoniaci,
Bdellii, *ana drachmas duas.*

Florum

Florum salis armoniaci, *drachmam unam.*
Olei terebinthinæ, *unciam semis.*
Ceræ, *quantum sufficit.*
Misce fiat Ceratum.

Emplastrum de ranis cum Mercurio hic etiam in usum venit, & laminæ plumbeæ impositio.

Sed loco hujus curationis alius modus est inventus, quo statim sanantur. Nempe ganglion intra sinistræ manus pollicem & indicem Chirurgi præhenditur, & alterius manus pugno ganglion vi ferit, tunc statim tumor planus fit: loco manus, ferula, qua in scholis puerorum manus percutiuntur, sumi potest ex ligno ponderoso, aut quæ in medio plumbum infusum habet. Ictu facto, per aliquod tempus adhuc lamina cum Emplastro defensivo Vigonis imponitur.

Tertia curatio fit sectione; tendo enim secundum fibrarum ductum aperitur & materia contenta extrahitur: deinde, ne resiliat, lamina supergestanda.

CAPUT XXXII.

DE ARTICULORUM CONTRACTURA.

ANCHYLE seu ANCYLE, est articulorum contractio, ita ut membrum rigidum & immobile maneat. Illud symptoma maximè contingit brachio & cruri. Contractura.

Causæ sunt ossis luxatio, ossium fractura, venæ sectio male instituta, vel quando membrum per aliquot septimanas fasciis incurvatum relinquitur luxatis membris non restitutis, tendines sæpe ita contrahuntur, ut breviores evadant, & postea vix restitui queant: sic si ossa fracta contortè vel alias malè collocentur, etiam musculi & tendines breviores fiunt. In venesectione nonnunquam tendo vulneratur, unde spasmus tendinis læsi, qui si statim non solvatur, etiam musculi contracti breviores manent. Sic spasmi, qui nocturno tempore vel alias, præsertim cruribus, adveniunt, contracturam non raro inducunt: novi virum, qui infans & in cunis decumbens, spasmo tentatus, contractus crure mansit. Sic si membrum fasciis per aliquod tempus firmiter deligatum, musculos non tantum breviores reddit, sed ossa ita coalescunt, ut membrum amplius moveri nequeat. Nam pori fibrillarum, qui antea in tendine rotundi existebant, ut in Figura 5. Tab. v. A. B. C. N. A. D. mutantur in ovales ut in B. E. fit ut major pororum diameter respiciat latitudinem fibrillarum.

Interim humores ex poris arteriarum egressi, qui prius ob motum sæpius institutum liberè circulationem suam perficiunt, jam ob quietem aliquatenus subsistunt in tendine, imo brevi temporis intervallo particulæ quædam satis crassæ eorum humorum sese insinuarunt profundè in poros illos ovales

fibrillarum, easque in oblongâ illâ figurâ conservabant atque confirmabant, imo progressu temporis citatæ particulæ tam pertinaciter inhæserunt poris mox nominatis, ut vix aut ne vix quidem illas expellere liceret, atque hinc tendo fit brevior, non aliter ac videmus funem, pannosque novos aqua consperſos fieri breviores.

Hinc tendo quandoque apparet durus & rigidus, unde brachium aut crus extendi nequit, nam musculi extendentes munus suum obire non possunt, quin prius contrahantur, nequeunt autem contrahi, quin tendo cum musculo suo à contractione incipiat cessare, hoc vero impossibile erat ob poros fibrillarum, ex quibus tendo conflatus erat, à particulis dictis obsessos. Idem quoque accidit cartilaginibus, intra juncturas locatis, quæ tandem osseæ redduntur.

Si tendines sint contracti, materia obstruens est expellenda, qua expulsa tendo sæpe pristinam longitudinem acquiret: Si non, interdum aliquot pondera manu sunt gestanda; ast, si crus contractum fuerit, ascendat aliquot scalæ gradus, & pedi etiam accomodentur aliquot pondera, ut de pede dependeat.

Interim balnea vel fotus sunt adhibendi ex herbis penetrantibus & volatilibus, ex Absinthio, Malva, Althæa, Scordio, &c. deinde oleo mucagine membra fricanda, & Emplastrum de ranis cum Mercurio applicandum.

Ab irâ contracturæ sanatio.

Refert *Valeriola* de consobrino suo, qui contractus, ita corpus universum agitavit, ut distentis nervis, poplitibusque laxatis & emollitis, sine ullo doloris sensu mox incederet & erigeretur, quod per sexennium ipsi denegatum fuerat.

Ira causa fuit majoris spirituum animalium perlustrationis, qua particulæ obstruentes poris expulsi fuerunt, atque sic, reseratis poris, motus fuit restitutus; quod etiam in paralysi, loquelâ amissa &c. factum memini.

CAPUT XXXII.

DE EXOSTOSI.

Exostosis.

Contingit mihi aliquando videre EXOSTOSES sive *Ossium Excrescentias* non tantum in adultis, sed etiam in pueris. Est nihil aliud quam callosa ossis substantia, quando à levi ossearum fibrarum læsione vel rupturâ, succus osseus sensim extravasatur, tandemque in osseam substantiam induratur; eodem modo uti fit callus post fracta ossa restituta & in pristinam sanitatem indurata.

Observavi callositates in femoris osse, uti & tibiæ; & latent sub periosteo, neque mobiles esse possunt, quia sunt ossa ossibus excreta & adnata. Dixi rupturam esse fibrarum ossearum: itaque (si liceat per similitudinem loqui) fiunt eodem modo, ut si cortex arboris vulneratus sit, succus alias nutriens, profluit, & fibræ cortices elongantur tamdiu, donec ab externo aëre induratæ sint, atque sic verruca quasi nodus durus repræsentatur. Aliquando

sunt

ſunt acutæ & tenues, unde ſæpe dolores immanes; nam perioſteum & membranæ muſculos cingentes in inceſſu ob prominentias atteruntur & punguntur.

Ita externis applicatis, & multò minus internis obediunt. Conſuluit mecum ſuper hac re Chirurgus de Generali quodam his verbis: Generalis noſtri pedes præſertim dexter veſpertino tempore aliquantulum tument, nam ante 22 vel 23 annos ſupra tibiam magnam contuſionem paſſus eſt, ſed eminet in eodem loco quædam calloſitas, quæ vix tamen videri externè poteſt: ſed Nobiliſſimus vir tamen ita curioſus eſt, quia multum ſolaminis, ſed incaſſum, quæſivit; ipſe omnia penetrantia, Mercurialia, &c. adhibui. Sed ego abſolutè reſpondi, iſtius ablationem fieri non poſſe, niſi pars externa corroſivo ad os uſque aperiatur, deinde abradatur, ſed operæ non eſt pretium, quia nec lædit, nec nocet. Juſſit tamen me, ut ex vobis exquirerem, num remedium quoddam notum ſit, calloſitates conſumens.

Atque hoc dedi reſponſi, nempe externis nunquam poſſe ſanari, ſed ſi quovis quoque modo apertura fiat, os eſſe radendum, vel ſcalpendum, imo cælo & malleo ligneo callum eſſe auferendum; ſed quoniam nihil incommodi pariat, non ſine doloribus perioſtei præſertim, ab operatione potius deſiſtendum.

CAPUT XXXIV.

DE NARIUM POLYPO.

POLYPI varias occupant corporis partes, ut uterum, vaginam, aures, vaſa ſanguinea, &c. imo Higmori antrum polypos aluiſſe, noſtra detexit ætas. ſed præſertim nares; Eſtque ex naribus quædam excreſcentia, interdum cum variis ramis extra nares & non raro per foramina narium poſterius in faucibus propendentes, piſci polypo ſimiles: eorum ſubſtantia eſt ſæpe mollis, & laxâ texturâ, ac vario colore, nunc albo nunc rubro, aut cinereo, imo plumbeo & nigro: interdum ſunt cartilaginei: hinc reſpiratio per nares læditur atque ſimul verborum perfecta prolatio. Polypus.

Cauſæ ſunt læſiones præcedaneæ, ulcerationes, coryza, Hæmorrhagia, & digitis altius nares fodicare, quarum caro mollis ſpongioſa & plurimis vaſculis ſanguineis irrigata luxurioſè ac racematim ſenſim per anteriora aut poſteriora excreſcit. Quomodo ejuſmodi caro ſeu ſarcoſis excreſcit, in *Inſtitutionibus noſtris* docuimus.

Porro illorum ſubſtantia videtur carnoſa, quando fibræ carnoſæ & vaſculoſæ excreſcunt: aſt cartilaginoſi apparent, quando cartilago etiam eſt læſa: Et ſi in tantam augeantur molem, ut vaſa ſanguinea premantur, ſanguinis circuitus interrumpitur, hinc color mutatur, ſenſim rubeſcunt magis & liveſcunt; hinc facile iudicandum, quomodo cancroſi fiunt & proſerpentes.

Albi facilius curantur, quam rubri aut lividi, cancrosi, rarissime aut difficillime auferuntur.

Sorbeant per aliquot aliquot menses decoctum ex ligno guajaci &c. *H. F. Aquapendente* Polypum extrahit forcipe comprehensum, & extra forcipem collocatum. Alii cauterium candens intrudunt, aut ligaturam adhibent; alii corrodentibus polypum quotidie inungunt. Quod sequentibus fieri potest:

Recipe Olei Vitrioli, *guttas viginti.*
Unguenti ægyptiaci, *unciam unam.*
Misce. vel

Recipe Sublimati, *drachmam unam & semis.*
Olei Vitrioli, *guttas decem.*
Aquæ chalybeatæ, *uncias quinque.*
Misce.

Hisce & similibus Polypus singulis diebus penicillo tangatur, & sic sensim emorietur. Alii linteum carptum naribus intrudunt hoc modo præparatum:

Recipe Lintei carpti veteris, *uncias duas.*
Medullæ panis albi, *uncias tres.*
Sublimati triturati, *uncias quinque.*
Aquæ rosarum,
Plantaginis, *ana libram unam.*

Coquantur in vase stanneo ad consumptionem secundæ partis: deinde fila fortiter exprimantur, & supra furnum siccentur. Antequam intrudatur, saliva aliove liquore madefiat. Alii vitrioli mortuum caput sumunt, quod Unguento ægyptiaco admiscent atque eo polypum sæpe mediante penicillo inungunt: aut cum linteo carpto intrudunt: Si inflammatio superveniat, unguentum album camphoratum inungunt: alii cum melle rosaceo & Spiritu vini curationem felicem habuerunt. Libet modum polypos eximendi adjungere, Domini *Christiani Frauwen* apud Dronthemenses in Norvegia Chirurgi Expertissimi, quem mihi cum casibus aliquot per Epistolam communicare voluit.

Nobilissimo, Doctiss. ac Famigeratiss. Dom. Steph. Blancardo, S.

Polypum auferendi Methodus.

Certè perquam diu est, mi Charissime Præceptor, me de vestrâ valetudine, audivisse: &c. Ante quinque Hebdomadas vir quidam hic obiit, quia ei Modiolum non licuit applicare. Tempore septem mensium, quatuor patientes habui, ex quorum nasis polypos ferro exscindere mihi fuit potestas:

testas : singuli in dextrâ nare alebant polypum. Primum gerebat puella magnitudine majoris nucis moschatæ ; unicâ radice septo adhærebat, latitudine inius digiti sub oculis : ablato polypo, ingens sequebatur hæmorrhagia, ita ut difficulter sistebatur : intra quatuordecim dies restituta est.

Secundo laborabat rustici filius, dependebat ex naso, ita ut ejus longitudo cum labio superiori æqualis erat : unicam habebat radicem, qui brevi auferebatur : hæmorrhagia vix sisti potuit : semper renascebatur, nihilominus tamen intra quinque hebdomadas liberatus fuit.

Ecclesiæ Pastor Tertium habebat, sed etiam posteriores partes ad palatum usque occupabat : ei variæ erant radices in loco intra oculos medio fixæ ; sic etiam intus palato adhærebat ; ita ut ex duabus aut tribus partibus constabat. Corpus illud sex drachmarum : in ipso polypi corpore non tantum materia meliceridi similis erat, sed etiam officulum pyriforme ferè, cujus latior pars in polypi corpore erat, sed angustior septo arctissimè insidebat : superius insuper duæ erant radices ; Processus quoque aderant cartilaginosi : tempore quinque aut sex hebdomadarum restitutus est. Officuli figuram vide F. TAB. VIII. Fig. 6.

Longè pejorem trium præcedentium virgunculæ ademi polypum, cujus interventu nasi os elevari incipiebat, atque ita palatum premebat, ut vix cibum deglutire potuerit : tactu planè cartilagineum erat : putabam in hisce eximendis me valde peritum ; statim opus aggressus reperiebam stylo meo tenui & plano eum ad dimidium usque undique adhærere, ita ut vix aut ne vix illum inserere potuerim. Hærebam num desistendum mihi, num aliâ Methodo incedendum : cogitabam sectionem optimum esse remedium : & cum virguncula erat bono animo, cum ei figuras quasdam terribilles ex *Beverovicio* aliisque demonstrabam. Pergebam, & inveni posterius ossea pelle investitum, & unicâ vice eum solvere esse impossibile, multo minus nare extrahere : ideoque frustulatim forcipe eduxi : duodecim quidem incisiones cultello meo quidem feci, antequam educere potui. Nota : totum corpus constabat ex mixturâ fungosâ, ex osse nempe & carne. Atque hæc etiam intra quinque hebdomadas restituta, evasit. In postremis duobus ægris Hæmorrhagia non ita incommodavit, ac in duobus prioribus. Animadverti quoque, in hoc casu, medicamina satis acria adhiberi posse, modo prudenter adhibeantur.

Ne vobis sim nimia lectione molestus, his desistam, vale.

Vester
Humillimus
CHRIST. FRAUWEN CHIR.

Dronthemi
$\frac{21}{31}$ *Julii.* 1697.

P. S Sequuntur meæ inventions instrumenta ; quæ huic operationi aptissima expertus, primo intuitu simplicia quidem, ast eo modo, quo ego usus sum, optima fuerunt.

Figura

Figura 4. Tab. VIII A. ſpecillum, quod in extremitate B planè tenue eſt & planum; cujus ope locus, ubi polypus radices egerit, inquiritur: & altitudine cognitâ circa C. ſumitur cultellus D. fig. 5. cujus cuſpis cerâ illita, ut liberè ſpatiari libeat, & ſciatur, quouſque ſit adigendus, antequam locum noſcas, ubi ſectio inſtitui debeat. Porro ſpecilli altitudo circa E emplaſtri alicujus circumvolutione notari poteſt. Et, ſi neceſſe ſit plures inciſiones adhibere, iterum ſpecillo locus eſt inveſtigandus. Fig. 6. oſſiculum eſt polypi, de quo ſtatim mentionem feci.

CAPUT XXXVI.

DE VERRUCIS.

Verrucæ. VERRUCÆ, parvæ ſunt, nodoſæ ex cute protuberantes, cum duritie ac inæqualitate, ſed ſine dolore.

Murmecia, Acrochordones, &c. Thymia. Pro variâ formâ varia ſortiuntur nomina. Quædam ſunt quaſi *ſedentes* & *Murmecia* dicuntur; hæ ſunt latæ, altas radices habentes, cum aliquo dolore: aliæ vero *Penſiles* appellantur, ſeu *Acrochordones*: hæc ſuperficiem quidem habent latam & inæqualem, aſt in baſi anguſtiorem. Thymo ſimiles *Thymia* vocantur: porro tantum magnitudine differunt.

Cauſa meâ opinione eſt, eas venire ex papillis cutis nervoſis, quando læſæ ab aliquâ cauſâ externâ, fuerunt, aut obſtructione.

Læſio fieri poteſt, quando pueri aut adultiores ſæpe ex improviſo ab urticâ urente, manus, ut dicunt, urunt, & hoc modo papillas nervoſas lædi puto atque tunc ex illis intra cuticulam & papillas humorem exudari, præſertim ſi pars læſa multum ſcalpatur: humore illo deinde ibi exſiccante & incraſſante, & relictis ex papillâ viis, facile aluntur atque in molem elevantur, inſtar tendinis reſecti & exiccati; eodem ferè modo ac arborum fungi creſcunt, & augentur.

Secundo, cur ex obſtructionibus etiam non naſcerentur: ſi enim humidum in illis contentum exſiccatur, atque, eodem, ut ſtatim dixi, modo verrucæ incrementum ſumunt.

In curandis verrucis, inſtituendum ut radicitus emoriantur, perinde quoque quomodo fit. Succus lacteus flavus ex chelidonia majori ſpontè emanans & quotidie illitus certiſſimè curat, nam per ſe decidunt. Idem contingit à lacte dentis leonis & ſolſequiæ. Succus iſte ſeu lac admodum acre eſt, nam ſolſequiæ lac veſicas pone aures excitat. Alii utuntur Ruptoriis, ex alcali conſtantibus, ut de ſpiritu vitrioli, ſulphuris aut nitri, aquâ forti, ſed quia ſæpe nimis profundè corrodunt, fœdamque cicatricem relinquunt, ab iis potius eſt abſtinendum; Muria ex aceto & ſale culinari, ut & aqua calcis non ita vehementer corrodunt.

Alii inſuper perhibentur modi, quibus verrucæ removentur: ut ſunt affrictio lardi furto ablati, piſi, fruſtuli mali, umbilici floris calendulæ, manus alicujus demortui &c. quæ poſt affrictionem terræ, aquis aut latrinis, demandantur

dantur, atque tunc ſtatim decidere verrucas, quando affrictæ rei materia putredine eſt corrupta. Si hoc verum, non aliam poſſum adferre rationem, quam Curationem conſtare in firmiſſimâ credulitate hujus frictionis, cujus motu ſuccus cerebralis tanta, ad verrucam ſeu partem frictu motam, copia fluit, ut facile ejus radices averruncentur atque evellantur: eodem ferè modo ac quibuſdam plantis firmioris & ſiccioris texturæ evenit. Si nimiâ aquâ irrigantur, emoriuntur, atque flacceſcunt, & hac firmâ imaginatione multæ febres pereunt: quod ſæpiſſimè expertum.

Ut brevi temporis ſpatio decidant, vivam ei ſuperimpone calcem, donec debitè ſit tecta, atque inſuper linteum uſtum (vulgo *tondel*) quod accende, & in verrucam ſal illud calcis deſcendet, quæ ſtatim emoritur, & delabitur. Quidam candenti acu eam aliquoties perforant.

Si penſiles ſint, tunc filo cupreo, aut ſerico circumligantur, & ſenſim moriuntur, deciduntque.

CAPUT XXXVII.

DE PEDUM CLAVO, ET CALLO.

CLAVUS græcis *Helos*, nobis *Exter-oog* eſt calli ſpecies pedibus eorumque digitis adnaſcens, altas, imo altiſſimas radices agens, & clavi inſtar intruſa, cum dolore ſæpe magno inter ambulandum, habens externè figuram capitis clavi, aut picæ oculi rotundam. Pedum clavus.

Cauſæ mihi eædem videntur ac verrucarum, nam clavus mihi apparet tanquam verruca, cujus papillæ, continuo calceorum affrictu introrſum ſunt preſſæ, & ejuſdem aleæ *Calli* in manibus, & *Clavi circa aures*,

Puto eos poſſe fugare medicamentis in verrucarum capite propoſitis: Etiam ſequentia adhibentur: imponuntur nimirum quotidie Folia Hederæ arboreſcentis viridia; Gummi Ammoniacum, Galbanum, Reſina Pini, Emplaſtrum Gratiæ Dei viridis, ſuccus Tithymalli, diachylum cum gummi, de ranis cum Mercurio. Optimum quoque ſæpe eſt Pediluvium ſalſum, & eorum exſciſſio aliquoties repetita. Sapo niger ſingulis noctibus impoſitus, ſæpe & infallibiliter juvat. Alii calcem vivam cum melle imponunt. Alii ſanguine menſtruo eos expellere conantur, ſed illud remedium inter fabulas anniculares eſt numerandum. Affrictus cum Vitriolo cæruleo quotidianus, juvat, modo prius ſaliva ſit madefactum. Calli quid.

CAPUT XXXVIII.

DE ECCHYMOSI SIVE SUGILLATIONE.

ECCHYMOSIS ſive *Sugillatio* nihil aliud eſt quam livor plumbeus, cuti ab extraverſato ſanguine, ibique coagulato, adveniens. Ecchymoſis.

Quamprimum ſugillatio apparet, ſtatim ſequentia ſunt applicanda, quibus

bus sanguis, antequam concrescit in fluore servatur : ut *Spiritus vini*, *spiritus Matricalis* & *spiritus salis armoniaci*; *sigillum salamonis*, *aqua calcis*, *sanguis columbarum*, *urina*, *succus absinthii*, *aqua raphani*, *caseus recens*, *sperma ceti*, &c. vel

Recipe Aquæ calcis, *uncias duas.*
Spiritus salis armoniaci, *drachmas duas.*
Misce. vel

Recipe Albuminis ovi, *Numero unum.*
Aluminis, *drachmam dimidiam.*
Misce.

Omnia in hoc tantum consistunt, ut sanguis in fluiditate contineatur, quod attenuantibus & volatilibus facile fit : Ast sugillatione factâ attenuandum & dissolvendum, sed longius tempus requirit, alias per se, sed sensim evanescit.

Caput XXXIX.

DE EPHELIDIBUS, LENTIGINIBUS, MACULIS HEPATICIS.

Ephelides. EPHELIDES, seu *Maculæ solares*, Belgis *sproeten* & *sonne-vlekken*, sunt parvæ maculæ colore fusco præsertim in faciei cute, ut & in aliis corporis partibus soli expositis : iis præsertim adveniunt, qui capillos rubros aut flavos seu aureos habent.

Lentigines. LENTIGINES, *Lentes*, Græcis φακοὶ, Belgis *Wik-wyse vlekken*, sunt etiam fusci coloris maculæ in facie aliisque partibus, Lentis magnitudine.

Maculæ hepaticæ. MACULÆ HEPATICÆ, nobis *lever-vlekken*, sunt coloris fusci, lividi aut nigri, magnitudine manus, in variis locis præsertim dorso ac pectori advenientes.

Causa est, quod maculæ solares æstate appareant, hyeme iterum dispareant, est, à calore solari in superficie cutis infra cuticulam teneram nonnihil humoris condensante ibique remante & stagnante : imo tota facies unicâ quasi macula fuscâ defœdatur : si vero continuò Umbroso tegmine fruantur, vel appropinquante autumno, solares radii non tam vehementer urant, tunc particulæ illæ sensim avolant, & abraduntur, nam externus calor non urit, & internus augetur, atque sic optimâ diaphoresi cuticula magis madefit, & maculæ dispelluntur evanescunt, & cutis apparet alba.

Altera macularum species castaneæ habet colorem, lentis magnitudine, & sæpe major multo : à nativitate non raro visuntur : nihil aliud est, quam quod quædam humores in cute, sed profundius siti, sunt concreti, per quod vas-

vaſculorum ſanguineorum plexus currit, unde & aluntur, nam ejuſmodi maculæ una cum cute creſcunt: ſi à nativitate parvæ ſunt, tunc earum ambitus in majorem excreſcit magnitudinem.

Tertiæ ſpecies etiam maculæ ſunt quibuſcum naſcimur; nam matres à re quapiam terrefactæ, manum hic aut illic ſupra corpus ſuum applicant, aut illud fricant, &c. itaque motus ubi factus eſt primo, ibi infans quoque mamaculam habebit rubram: nam ob motum illum, quem mater ſuſtinere, abſque læſione, potuit, non patitur infans tener, cujus vaſcula tam ſanguinea quam alia magis, ob majorem influxum dilatantur, aperiuntur, & motu ipſius influxus continuo in teneri corpore perſeverante, talis macula per Epidermidis Diaphaneitatem apparet: atque ſic ſæpe dimidia facies rubrâ maculâ obducitur, *Hepatica*, ob colorem hepaticum, dicta.

Ephelides abſtinentia à ſole curantur, & ſi hoc uſu veniat, caput probe tegendum, & umbra eſt eligenda: lotio cum amygdalis contuſis non parum juvat, ſi liquor ſalis tartari adſit mixtus. vel

Recipe Liquoris ſalis tartari, *uncias duas.*
Olei Amygdalarum recens expreſſi, *unciam unam.*
Miſce. vel

Recipe Aquæ è cochleis, *uncias duas.*
Camphoræ, *drachmam unam.*
Miſce.

Convenit hic quoque *Lac virginis.* vel

Recipe Caphoræ, *drachmas duas.*
Succi limonum, *unciam unam.*
Vini albi, *libram unam.*
Miſce.

Lacte porcino primo facies exuviam quidem deponet, ſed poſtea albeſcet. vel

Recipe Sulimati pulveriſati, *drachmam unam.*
Aquæ roſarum, *libras duas.*

Maneant ſimul viginti quatuor horas in vaſe ſtanneo, donec liquor planè ſit niger factus, deinde filtratum erit ſervandum. Hiſce & ſimilibus facies eſt lavanda, ſed ſi ſublimatum ingrediatur, ſæpius lavandum non eſt, nam facile ptyaliſmus excitaretur.

Reliquæ duæ ſpecies non tam facile ſuperantur; ſed tamen liquore ſalis tartari lavari poſſunt: ut

Recipe Liquoris ſalis tartari,
Tincturæ benzoin, *ana partes æquales.*
Miſce.

Ea mixtura ſingulis diebus poteſt lotio inſtitui.

A decorticatione nucum juglandium, digiti & labia ſæpe fœdà nigredine obducuntur: ſed ea tollitur ſucco ribeſiorum, & ſi linteamenta ribeſiorum ſucco ſint commaculata, accenſo ſulphure, tolluntur, ſi lintea prius ſint aqua irrigata.

Caput XL.

DE EPULIDE ET PARULIDE.

Lues Venerea, ſeu morbus Gallicus. EPULIS, eſt quædam ex gingivis circa dentes molares fungoſa excreſcentia, quæ immenſum uſque ſæpe augetur; interdum cartilaginoſa eſt, & non raro in cancrum degenerat, quod deinde ex ſymptomatis caloris, doloris &c manifeſtum.

Cauſæ ſunt læſiones plerumque externæ, quando fibræ quædam à re durâ franguntur & laxantur, tunc illæ ob ſuccos adventitios immenſum uſque excreſcunt, & tandem fungum conſtituunt, facile minimo attactu ſanguinem fundentem. Qui, ſi ex oſſe excreſcat, ſæpe cartilagineus imo & oſſeus evadit.

A longo tempore aliquando corrumpitur, & non ſine fœtore putreſcit. Quia fungi hujuſmodi non ſine acinis glanduloſis ſunt, eos non raro cancer invadit, qui glandularum propriè morbus eſt. Hæc excreſcentia ita ſæpe augetur ut totum os obturet, & vix cibi vel potus admitti poſſint, unde coguntur ablationem admittere: ſi per ſe exulcerentur vocantur *Parulides*.

Si fuerit in principio utimur aſtringentibus: fiat collutio ex *Alumine*; vel ex corticibus granatorum; Radicibus Biſtortæ, Tormentillæ, Gallis &c. Si magna fuerit Epulis, filo æneo quotidie eſt collum ſeu baſis conſtringenda, Epulis. ut alimentum detrahatur, moriaturque, deinde collutionibus aſtringentibus quotidie eſt colluendum: ſi iterum propullulet, tumor iterum non tantum eſt auferendus, ſed cauterium candens eſt applicandum. Si ſuppuretur, collutionibus aſtringentibus, ſpiritu cochleariæ, melle roſaceo, unguento ægyptiaco &c. procedendum ut decet. Si putreſcat, laudat *R. D. Muſcitanus* aſperſionem pulveris ſabinæ & aluminis uſti.

Caput XLI.

DE LUE VENEREA SIVE MORBO GALLICO.

A Gallis hic morbus nominatur vulgo MORBUS HISPANICUS, nobis *Spaanſe pokken*, quia cum puſtulis & ulceribus ſtipatur Alii MORBUM GALLICUM, ut & NEAPOLITANUM nuncupant & ITALICUM, primo enim in regno Neapolitano Luem illam obſervatam dicunt. Parulis. Medicis vocatur LUES VENEREA, quia ex impuro coitu producta eſt: ap-

appellatur quibusdam PUDENDAGRA, & SYPHILIS, nostris *Verkens-lust*. Ex σῦς Porcus & φιλέω amo: vel ut alii ex ζὺν cum & φιλία amor: sed quia ejus symptomata plurima cum Vulgari scorbuto conveniunt, quid prohibet nos eam appellare SCORBUTUM VENEREUM: tunc Galli, Hispani, Neapolitani ab horribili illa denominatione erunt immunes.

Luem illam traditur anno 1494 primum ex Americâ in Europam esse translatam atque sic per totum terrarum orbem sparsam fuisse. Nam qui *C. Columbo*, novi orbis inventori, comites erant, ibi cum inquinatis & infectis rem habuerant, atque Europæis &c. communicarunt: qui Morbus Neapoli, cum à *Carolo* ejus nominis *Octavo* obsessa erat, primo detectus fuit. Adductis enim ab Hispanis eleganti formâ in castra mulieribus cum iis coiverunt: Milites postea in Germaniam petentes, Indigenæ etiam hac lue afficiebantur, atque tunc dicebatur *Lues* seu *Morbus Gallicus*.

Certum est morbos ex coitu venientes etiam veteribus innotuisse; animadvertere tamen non possumus eosdem ita ac nobis notos fuisse: nam qui ante annum 1493. & 1494 scripta sua luci exposuerunt, nunquam de iis hoc modo scripserunt. Itaque lues illa nobis tantum ducentos per annos innotuit. Ex ipsis sacris & profanis satis liquet, non esse Luem recentem ac novum morbum. Vide *Hippocratem* libro VI de Morbis popularibus in principio. Ut & libro de internis affectionibus, Cap. L. sic libro de ulceribus Cap. IX & libro de naturâ muliebri. Cap. LXXVII. Coac. prænot Cap. II. Vide quoque *Plinium* libr. XXI. Cap. XVIII. & libr. XXII. Cap. VIII. Porro quid non indidat, Jobus & Davidis Psalmus trigesimus octavus?

Est contagium malignum in sanguine & succi nervosi, ortum trahens ex coitu impuro aut per contagium ab alio casu contractum, unde symptomata perplurima oriuntur, ut pustulæ, ulcera, gonorrhœa, cancri, phymosis, bubones, testiculi venerei, ingentes dolores, tophi, pilorum casus, vultus tumidus, &c.

Primo itaque ex impuro coitu oritur, sive fiat ex duobus alienis, sive à meretrice aut scortatore: venenum enim illud penetrat, & pudendis adhæret, quibus non absterfis, magis magisque sanguinem, cæterosque succos corrumpit: succis hisce per totum corpus currentibus, venenum illud ubique spargitur: deinde se habet instar fermenti, quo sanguis à debitâ dispositione avertitur, atque in pejus ruit: eodem modo ac serpentum ac canum rabidorum venenum, si eorum minimum quid morsibus inhæreat, fulminis in modum proserpit, & certissimè mira & periculosissima oriuntur symptomata, unde facile intelligitur, quo modo venenum illud, à coitu venenoso, dispergitur: atque hic est modus vulgatissimus, ut quis hoc veneno contaminetur.

Secundo, Maritus aut uxor, si cum aliis, sive ante sive post conjugium, coiverint, venenum illud alter vel altera alteri communicare potest, idque eodem modo ac supra dictum: hinc jurgia, hinc divortia, & malorum myriades. Sive enim sit maritus, sive uxor, inscientes quod malum alunt,

negligunt primo, consulitur aliquando Medicus, vena secatur, purgatur, sudor exprimitur &c. Patiens communi Methodo, quasi tractatur, verum omnia frustra; malum magis invalescit, viresque recuperat, æger desperatus, qui interdum à doloribus miserè torquetur, & tandem animam dare cogitur. Postea rumor est, neminem cognovisse morbum, quod mirum non est, quis enim hoc divinaret, cum morbi causa occultatur; & odiosum est Medico veritatem dicere: & ipsi confiteri metuunt, si rei sunt conscii: imo & maritus uxori, & vice versâ celant commissa, & multo magis Medico. Et si Medicis sit suspicio, idque ab ægris animadvertitur, sæpe varia signa tacent: atque hoc modo curatio est frustranea.

Si quando ex ejusmodi matrimonio liberi proveniant, etiam sæpe omni vitâ miserabiles sunt, cum doloribus, oris cancro & similibus Sed dicunt ex pravo semine nullum posse produci fœtum: ast experientia quotidie contrarium docet, imo & marito sæpe quidem bonum est semen, contaminatâ uxore, cujus ovula fœcundari possunt, quæ à veneno non statim enecantur, ast ab aurâ virilis seminis afflata, maturantur, ex suis putaminibus erumpunt, atque per tubas uterinas in uterum protruduntur, & post aliquot menses corpusculum humanum in lucem ducitur: ast quia succis, hisce corruptis à matre alitur, infans in ipso partu aut brevi post moritur, aut diu miser vivit Furens enim illud venenum sensim magis ac magis sævit, quare & fœtus succi etiam magis ac magis inficiuntur, corrumpuntur, donec tempore miserè ad vitæ finem perveniunt. Deplorandi infantes, ex ejusmodi parentibus nati.

Exemplum sucтricis.

Medioburgi in natalitiâ meâ urbe 1654 in Zelandia invaluit iste morbus, à suctrice quadam (quæ induratas mammas suctu emendabat, aut brevi post partum, colostrum exugebat.) Primo habebatur pro symptomate scorbutico, arthritide vaga, &c. quia utriusque morbi signa aliquando parum discrepant; sed postea cum malum hoc accuratius inquirebatur, & ratio de personis hoc morbo obnoxiis habebatur, quæ præcipuè erant puerperæ: illæ papillis inflammatis atque malignis Ulceribus, curationem respuentibus, multum à vulgari papillarum affectu differentibus, laborabant.

Papillis itaque ab his curatis, ab aliis non curatis, imminente vesperâ, præsertim noctu ingentibus doloribus in capite, brachiis ac tibiis torquebantur, cum fœdis in facie pustulis, naso corrupto &c tubera adveniebant capiti, aliisque membris, quæ corrosio sequebatur.

Similiter infantes, plena sanitate nati, idem malum incurrebant, pustulis & crustis in facie afficiebantur; alii gingivas habebant putridas, fœtentes; aliis in faucibus malum hærebat, multi tandem tabe consumebantur.

Porro quæ serviunt puerperæ aut infantes fovent, suctrices, ancillæ, quæ puerperio erant destinatæ, pro maximâ parte de faucium difficultate, molestiâ inter deglutiendum, uvulæ & tonsillarum ulcere, aliisque symptomatis: querebantur atque hoc modo malum illud inter sexum fœmininum atque infantes magis sæviebat, quam inter viros.

Fœminæ illæ sese in miserabili statu videntes, atque ejusmodi alienis symptomatis

tomatis tortæ, in mentem recolligentes, eas ante aliquod tempus à fœminâ quadam esse suctas (quod brevi post puerperium solet fieri, aut quando lac in mammis coagulatum est, &c.) quæ de doloribus vagis, cephalalgiâ, membrorum torpore, &c. erat conquesta; hinc suspicio, num malum illud à fœminâ esset translatum, eo magis, quia tam pauperes quam divites; puras quam impuras; ægras quam sanas sugendo administrabat. Nam hoc modo facile idque tacite, hujus morbi semina poterant spargi, aliasque facile contaminare.

Suspicio illa multas exterruit, & rumor ad ipsum Magistratum perveniebat, qui jubebat, ut fœmina illa interrogaretur, & coram Collegio Medico atque obstetricibus exactè examinaretur, ut hujus plagæ causam scirent: atque insons hujus morbi est declarata, quod mirum non erat, quia interim curata fuit.

Sic ex salivâ venenatâ & aliæ contaminabantur: Suctricis enim salivâ papillæ madefiebant, quæ inde malum contrahebant, eodem modo ac virilis glans à fœminâ impurâ ulcerationibus afficitur; nam saliva ibi exsiccata, erat penetrans, & succos per papillas fluentes corrumpebat, atque illi iterum alios præterfluentes, unde tandem tota sanguinis massa lue hac inquinabatur. Infans papillas emulgens, facile eodem malo polluebatur, partim à papillis veneno plenis, partim à lacte ex venenato sanguine veniente, quod in ipso matris ore saliva erat imbutum. Ancillæ & eæ quæ puerperæ atque infanti præerant, eodem contagio laborabant, quia pultem, quam infanti præbent, primo linguæ admovent, ut calorem temperent, aut frigus, atque sic ab infantis salivâ, ut & aliæ inquinabantur. Salivæ efficacia in Lue.

Hinc puerperis cautio est habenda suctricum, & earum quæ infantem lactant aut fovent; impura enim quævis, totam incendere potest familiam, quod Amstelodami sæpe contigisse memini.

Si in orbem vinum sæpe potatur, aut cerevisia, infecti salivâ aliquando vitro aut cantharo adhæret, quæ si à præsentibus deglutiatur, eodem modo inficitur; ideoque Gallis hoc prætextu mos increbuit, ut quisque suum habeat poculum.

Idem contrahitur ab osculo, quo saliva aliquando delicatulis circa labia communicatur, quæ si ibi exsiccetur, causa fuit, quâ plurimæ matronæ miserè torquebantur.

Si in diversorio aut alio quovis loco quis cum impuro decumbat; impurus aliquando in sudores erumpit, aut saltem maximas emittitit ἀπόῤῥοιας seu diaphoreses, ex quibus purus eas particulas inspirando facile contaminatur.

Obstetricem agere etiam periculo non vacat, quia aliquando ab impuris muliericulis, meretricibus, &c. vocantur: sed quia tantum manibus, crassiorem cutim habentibus contrectantur, ideo minus hoc malo obnoxiæ; fieri tamen non negamus, posse in obstetricem transferri.

Qui uxorem ducunt aut maritum, sint prudentes oportet, nam ut juventus est, ab aliis sodalitiis instigantur, ut eas, quæ corpore quæstum faciunt, adeant, coeant: hinc gonorrhæa, quæ malè sanata, tempore luem incurrunt,

runt, quod malum primo non animadvertentes, negligunt, matrimonium ineunt, atque tandem, lue invalescente, ambo inficiuntur.

Sic ex potu, etiam cibis, qui cochleatim sorbillantur, ut Jusculenta, lac &c. contrahitur; cochlear continuò ori inseritur, atque iterum cibo, sic vicibus sæpe repetitis, tandem totus cibus inficitur.

Pistores etiam in famulis conducendis prudentes sint oportet; pedes enim & crura aliquando fœdis hisce ulceribus incrustantur, quibus panis massa depsitur. Idem dictum esto iis omnibus qui cibaria divendunt. Liquet itaque satis totum malum produci à semine infecto, salivâ, sudore, &c. atque hæc satis de contagii propagatione proposita sunto: nunc inquirendum restat, in quibus propriè illud venenum consistit, & unde ejusmodi symptomata producuntur.

Si perpendamus hominem in statu sanitatis, ejusque succos, & ex quibus constant particulis, tunc comperimus, succos illos esse admodum fluidos, qui si chymica ἐγχειρήσει dissolvantur, multum salis elargiuntur; ergo malum illud non consistit in sale volatili.

Neque in hac lue sanguinem adeo esse fluidum deprehendo, ac in sanis corporibus: si enim esset fluidus, impossibile foret, ex eo morbum posse produci.

Neque esse potest sal fixum, quod ex remediis quæ propinantur satis constat, nam illa sale fixo aut volatili abundant: & alterutri si causa adscriberetur, Mercurius esset inefficax, qui tantum acidos succos debellat, uti latius postea.

Itaque concludendum, malum hoc in aciditate acri consistere. Ast in acido consistere satis non est dictum, quoniam omnes ferè morbi ex succis orti, in acido consistunt, & per consequens eadem etiam symptomata producerentur; verum est, sed quia particulæ acidæ in figurâ, magnitudine ac motu multum inter sese differunt, (ut aceti, aquæ fortis, succus ribium, limonum, Omphacii, &c.) ita quoque illud acidum figurâ, magnitudine ac motu ab aliis acidis plurimum differt: atque venenosum illud acidum non videtur statim omnes totius corporis succos in principio in totum contaminare, sed pro diversâ succorum indole hic aut ille succus tantum hoc veneno alteratur, præsertim illud membrum, quod primo fuit hoc veneno tactum: ut ex coitu manifestum, ubi pudenda primo afficiuntur; vel uti dictum de Selandicâ suctrice, ubi primo papillæ lædebantur. Saliva enim, semen virile, atque liquor, qui ex mulierum pudendis, instar fluoris albi, promanat, miram habent vim fermentativam, quia ex particulis constant activis; quæ si fermento hoc pessimo imbuantur, magis magisque in furorem adiguntur: si itaque partem quamlibet sanam attingant, penetrant, atque sub jugum mittit; & quemadmodum pauco fermenti ingens farinæ massa fermentatur, ita quoque tantillo hujus fermenti, tota sanguinis massa polluitur. Sic, teste experientiâ, tantillulum spumæ canis rabidi hominem ita afficit, ac ipse canis est, imo ad insaniam usque; quid igitur aliud est, quam fermentum quoddam valde activum, quo succi nostri corporis mirè corrumpuntur, atque sanguinem in sibi similem convertit. Hinc sanguis & succus nervosus eodem

eodem modo moventur, ac in eo, à quo contagium veniebat, atque in eâ parte primum apparet, quæ primo veneno læsa fuit: itaque hoc modo contagium illud ab uno in alium propagatur: nam quando sanguis alicujus sani illam crassitiei proportionem accepit, uti erat in non sano, debent in sano eædem canaliculorum species obstrui ac in infecto erant obstructæ, unde contagium illud originem sumpsit: acidum igitur illud talem habet figuram, magnitudinem ac motum, ut tantam copiam alcalici salis volatilibus, quod in sanguine est, facili negotio coagulet, ac aptitudinem nanciscatur, ad partes obstruendas, quæ in illa lue læduntur.

Prout venenum illud diu suas tragœdias in corpore luserit, symptomata sunt graviora aut leviora. Primo enim producitur gonorrhæa, ulcera ac cancri circa punenda, bubones &c. Postea invalescente, malo, incurrunt capitis, omniumque membrorum dolores sæpe intolerabiles, tophos, pustulas malignas, tubera &c. tandem ossa Carie eroduntur, imo & caro sæpe planissimè absumitur, palatum excidit, nasi interiora putredine pereunt: itaque malum illud per gradus demeti debet; nam qui primo Gonorrhœâ laborat, facilius sanatur, ac is, cui nasus & palatum consumuntur, aut venenis tubera alunt. Quo enim diutius morbus iste procrastinatur, eo magis succi inficiuntur, ideoque quo recentior, eo curatu facilior.

Partes læsæ sunt penis, prostatæ, testiculi. In fœminis vagina, uterus, atque partes pudendi externæ. In utroque sexu glandulæ inguinales, membranæ, cutis, & cum malum altius radices egerit, totum corpus læditur: ast præcipua læsio in sanguine ac succis est, qui secundum coagulationis proportionem illos etiam canaliculos obstruunt, quos pervadere non potuerunt.

Verum ut à generalibus ad specialiora transeamus, necesse est, ut singula symptomata accuratè examinemus cui curationem adjungemus.

Caput XLII.

DE GONORRHOEA VIRULENTA ET SIMPLICI.

Gonorrhoea Virulenta sive seminis *corrupti effluxus involuntarius*, est quando post coitum contagiosum semen præter voluntatem una cum pure excernitur; non sine fœtore ac dolore: cum colore sæpe albo, cinereo, flavo, aut viridi: ut plurimum cum prostatarum aut vaginæ uteri inflammatione, non raro cum penis tensione. *Gonorrhoea Virulenta, &c.*

Ast in *simplici Gonorrhœâ* quod excernitur, album est, aut aquosum, inodorum, sine impuro coitu non habens, sed sæpe à nimio coitu cum sanis hominibus; vel quod semen nimium petulanter excernitur: vel à debilitate partium semen continentium.

Tam virulenta quam simplex, vocantur gonorrhœâ, quia in utroque affectu materia seminis instar continuò effluit, absque ullo venereo pruritu,

aut coeundi appetentia; accedit interdum urina, ut dicitur, ardens, non quia ob acrimoniam per urethram interiori cuticula orbatam, excerni debet, unde intolerabiles sæpe dolores. Satis tamen corrodens & inflammmans interdum esse potest; quia in hoc ut & in aliis casibus ipsum vesicæ collum corrosum atque exulceratum novi: neque mirum, quoniam partes genitales non tantum hoc contagio læduntur, sed & tota sanguinis massa, ex qua urina depromitur: dubium enim non est, quin urina graveolens, ut plurimum, multum aciditatis admixtum habeat: ex ejusmodi quippe evaporatâ urinâ spiritus salis acidus per retortam elicitur.

Quando igitur purus cum impurâ coiverit, debet membrum illud, quo impuræ pudendum tetigit, necessario primum contaminari: humor enim, qui invaginâ & deinceps in utero erat, constat ex plurimis particulis penetrantibus acido-salsis, quod satis ex fœtore constat, particulæ enim homogeneæ & unius figuræ magnitudinis ac motus nequaquam fœtorem conciliabunt, nisi ab aliis alterius motus in actum incitentur; est itaque acidum volatile & fermentativum, quod continuò in alcali volatile agit, & quia sese invicem corrumpunt, oritur corruptio, acrimonia, fœtor, &c. in sanis enim corporibus materia illa constare debet ex tenuissimo sale volatili, atque odor odori eboris recens rasi respondere, cujus particulæ tenues avolantes nares nostras blandè feriunt, atque tunc materia matrici ac vaginæ contenta, perfecta est & planè inculpabilis. Nolo tamen tam strictè determinare materiam illam in fœminis semper ita esse benignam, sunt enim, quæ pro sanis habentur, cujus ita penetrans est & acris, ut inde virilis glans eâ imbuta, inflammetur ac dolore afficiatur, verum absque ulteriori malo, paulo post evanescunt, præsertim si glans aliquoties aquâ calidâ lavetur. Dolor etiam iste maximè oritur iis, qui rarissimè coiverunt, ac quibus præputium longum est, & angustum, quod facile retrorsum reduci nequeat: itaque maritis tamen, si hæc accidant, nulla suspicio de recens nupta est habenda.

Ne nimium longius aberremus, dico materiam illam ex particulis acido-salsis constare: hoc est alcali, constans ex oblongis & rigidis cœlis, in quorum poris plurimæ enses acidæ infiguntur, ac à plurimis ramosis seu oleosis particulis vinctæ. quibus quod antea in fluore erat, nunc hisce intricatis & multuo junctis crassius evadit: interim salsæ volatiles particulæ atque acidæ tenues à subtili materiâ moventur, (unde ignis species producitur) illæ secant, findunt, rimas inducunt, &c. eodem modo ac si innumeri cultri ac enses inter sese celerrimo motu agerentur: materia itaque illa acris & mordens urethram transient. ibi nonnihil moratur; atque eam ut dictum corrodit: unde cancri ac ulcera circa pudenda.

Si glans materia illa fermentativa illinatur, ut in coitu fit, per tenuissimam glandis pelliculam penetrat, hoc est, liquor iste fermentativus, ex alcalicis & acidis particulis constans, tam vehementer à subtili materiâ movetur, ut utraque particularum species, ac antea dictum, pelliculam hanc tenuem ita secent, rodant, porosque aperiant, ut facile intromittantur, atque sic succis præterfluentibus misceantur.

Viæ

Viæ per quas humor iſte, ſeu potius venenum in proſtatas ducitur, non adeo manifeſtæ, ideoque res hic accuratè rimari oportet. Per arterias adduci nequit, quia Vaſa hæc ſanguinem quidem adducunt, ſed nunquam verſus ſuperiora reducunt; neque venæ eſſe poſſunt, quoniam illæ ex omnibus partibus ſanguinem ſuperfluum ex tenuioribus vaſculis ad majora & ampliora revehunt: neque nervi, neque vaſcula lymphatica ſunt. Quales itaque vias demonſtrabo? dico me peculiares ignorare vias, ſed hoc addam, ſi venenum illud eo modo, ut antea dictum, carnem penetrat, corrodit, ſecat, findit, &c. illud ſanguini, aliisque ſuccis, qui per penem & glandem currunt, communicari, unde à circuitu retardantur, atque eam intumeſcere faciunt: porro quoniam materiâ illâ ſenſim ulterius ſucci corrumpuntur, etiam vicinæ partes lædi debent, quæ ipſæ ſunt proſtatæ, deinde teſticuli aliæque partes de quibus in ſequentibus.

Sed cur proſtatæ & non potius aliæ partes inficiuntur? quia nimirum ſimile gaudet ſimili; nam particulæ venenatæ convenientiam habent cum proſtatarum ſucco; hinc is primo afficitur, & ſi citò non evacuetur, tandem à ſanguine & ſuccis prætereuntibus in totam ſanguinis maſſam ducitur, hinc lachrymarum menſuræ.

Materia in proſtatis contenta & corrupta, in eodem non ſemper manet ſtatu, verum à ſubtili materiâ continuò in motum ducitur; ſucci enim illi, qui antea in motu continuò exiſtebant, curſum retardant, corrumpuntur, incaleſcunt: particulæ hæ interim craſſiores factæ ex vaſibus amplioribus per minima meare nequeunt, ut antea fiebat, qui tunc ibi manere non potuit, corrumperetur enim ob moram, itaque neceſſarium erat, ut per alia vaſa, ſive lymphatica ſive ſanguinea, iterum in ſanguinem reduceretur: & quoniam hoc ita in ſanitatis ſtatu contingebat, in ſtatu oppoſito idem fieri nequibat: nam propter venenum illud acidum ſuccus iſte nimium incraſſatus ab amplioribus vaſculis ad anguſtiora pervenire non valet, quid tunc fit? ſuccus iſte ibi moram trahens, incaleſcit, putreſcit, & fœtorem contrahit; cujus via cum complanata atque pervia non ſit, cogitur à ſuccis à tergo affluentibus premendo in uretham ferri; quod needum ſatis, ſed totus meatus urinarius corrodendo planè à pelliculâ inveſtiente excoriatur, itaque non eſt mirum, dolorem inter mingendum ingraveſcere, atque urinam ardentem videri: item, quod caruncula ſive caput gallinaceum in urethrâ, ubi veſiculæ ſeminales exitum inveniunt, abſumatur, aut ibi ſpongioſam excreſcere ſarcoſin.

Prædictam cauſam ita debere propagari, abundè ex penis tenſione liquet: nam ſi humores in ipſâ virgâ propter incraſſationem non retineantur, & conſequenter tardius incedebant, nequaquam tenſionem pateretur; nam quia ſanguis propter craſſitiem tam citò per minuſcula vaſcula currere nequibat in membro virili plus ſanguinis manere, quam à venis abſorbetur. Omnibus denique cellulis corporum nervoſorum impletis, totus tenis intenditur.

A primâ coitus inſtantiâ Gonorrhœa non apparet, ſed ut plurimum tertio, quarto, aut quinto die: atque hoc fit quia corruptio illa ſtatim ad ſummam

maturitatem non pervenit, quamvis ab initio tensio quædam animadvertitur: succi enim contenti, debent, cursu prius retardato, in pene sensim stagnare, & malum proserpere, ad quod efficiendum pauci dies requiruntur.

Materia unicâ vice non effluit, ast sensim exprimitur, quia magna pressio aut expulsio in prostatis non est, & quod exstillatur, inde est, quod sanguis & succi qui ex canaliculis hisce glandulosis separantur segniter duntaxtat exprimantur, quæ pressio antea tantum aut maximâ ex parte erat, ut quibusdam vasculis excretoriis iterum in sanguinem allegarentur: quod quia propter obstructiones fieri non potuit, ex canaliculis glandulosis in urethram excernebantur, aut ex lacunis in vaginam.

Præter prostatarum succum, etiam, cum plaga invaluerit, ex vesiculis seminalibus, semen emittitur: itaque ex hisce duobus humoribus Gonorrhœa cuditur: nam quando semiminalis materia ob nimiam crassitiem per vias ordinarias sanguinem denuò intrare nequit, per vias magis patentiores, ubi caput gallinaccum est, excernitur.

Penis tensio huic excretioni non minimam præbere occasionem videtur, idque eodem ferè modo ac in coitu, in quo partes illæ magis expanduntur, atque ad excernendum ulterius incitantur.

Succus gonorrnœâ excretus, sæpe sibi admixtum habet quid purulenti, quia ab hoc contagio, quod continuò rodit & ulcus facit, prostatæ ac urethra corroduntur, hinc succus quidam lacteus seu nutritius nobis in formam puris emanat.

Color istius humoris est albus, cinereus, flavus aut subviridis, prout corruptio remissior aut intensior est; pro ejus enim ratione figura particularum non parum mutatur, atque lumen variè reflectitur, unde is aut ille color nobis producitur.

Hoc humore in maximo gradu corrupto, malum altiores agit radices, atque hoc modo non tantum Urethra exulceratur, ast etiam vesicæ collum, ac perinæum perforat, atque patientes tunc ad summum pervenerunt gradum.

Mulierum sexus etiam Gonorrhœam aliquando incurrit, & quemadmodum in viris ut plurimum prostatæ afficiuntur, ita quoque ex glandulosâ vaginæ substantiâ foras ille materia propellitur, quæ à fluore albo interdum vix discernitur in fluore enim albo non adest materia purulenta. neque ulcerationes: pus quoque multò crassius est, album magis & minori quantitate; ast si materia sit aquosior aut sanguine tincta, & interdum cum partium fibrillis ac grandi dolore: tunc coitum difficile ferunt, nisi velint magnum dolorem pati. Ast quæ albo laborant fluore, in coitu dolorem non sentiunt. In Gonorrhœa materia paucior est, qnam in invalidis, ac nimio fluxu albo, cum majori crassitie, ac albo splendore, fluit longiori intermissione, raro cum fœtore; ast si sit gonorrhœa virulenta, ortum ex impuro coitu habens, etiam cum dolore scindente & pungente mingitur, pudendo accrescunt ulcuscula; atque ex malignitate cognoscitur. Puellæ septem vel octo annorum, interdum à gonorrhœa venerea infectæ sunt, quæ simpliciter pro fluore albo habetur.

Partes

Partes læsæ sunt vaginæ corpus glandulosum, virorum prostatas mentientes, cujus structura *in Anatomiâ nostrâ* conspici potest.

Hujus porro materiæ expulsio, eodem modo fit ac in viris, nempe propulsione atque aliorum canaliculorum obstructione, quos alias maximâ ex parte perfluebat.

Materia porro illa neque in viris, neque in fœminis semen est, & immeritò nomen Gonorrhœæ seu seminis fluxus gerit: tanta enim copia semen excerni nequit, nam plurimi multos annos Gonorrhœâ laborarunt: *Thomas* enim *Bartholinus* hoc modo loquitur cent. II. Hist. XXXVI. „Gonorrhœæ „virulentæ protrahuntur interdum ad duodecem annos, quale exemplum „Patavii vidimus, in viro Bergomense, cætera sano, sed vix ossibus hæ„rente. Unde in Gonorrhæâ hujusmodi non excerni semen, sed pus ulceris „ex prostatis, vero videtur proximum. Certè in omnibus gonorrhœâ labo„rantibus in nosodochio dissectis ulcera reperimus, seu callum ulceris præ„teriti signum. Impossibile alioqui foret tanto tempore effluvium seminis „vitâ superstite perstitisse. *Severinus* Neapoli in dissectis invenit inflamma„tionem & abscessum in Parastatis.

Idem testatur Dom. *Valentinus Andr. Moellenbroecus* in *Ephemerd. Germ.* Ubi dicit materiam illam nonnunquam ad aliquot pondera excerni, quam nemo judicabit esse semen. Imo, pergit; ad annos plures permanet, nam quempiam novit qui ante viginti quinque annos, per sexennium Gonorrhœâ laboraverat; alium insuper Paduæ cognoverat, qui per annos triginta hunc fluxum habuerat. Ideoque, secundum ipsius sententiam, malum in prostatis hæreret. *Wirsungius* tria operuit cadavera, post Gonorrhœam curatam denata, in quorum prostatis callositas erat, signum præteritæ Gonorrhœæ & ulceris.

Observationes igitur nos docent planissimè, quod antea affirmavimus, nempe in Gonorrhæâ affici prostatas, atque ex iis succum glandularem effluere: & rarissimè in ejusmodi casibus semen excerni.

Qui morbum novit, scire oportet ejus finem, aut quomodo terminatur: itaque à longâ negligentiâ inducitur aliquando Gonorrhæa perpetua; quo enim diutius acres illi humores corrodunt, eo ulceratio fit major, atque ita prostatarum aperturæ ita relaxantur, ut vix possint claudi atque sanari. Hæc itaque est ratio quare non sanantur.

Ulcera interdum, si curentur, necdum satis est, sed & alia plaga expectatur, nempe in urethra quædam carnosa excrescentia, quâ urinæ exitus denegatur, & ut amoveatur non tantum dolorosum est, sed & difficile.

A diuturnâ ulceratione etiam vesicæ collum exeditur ut & perinæum, unde intolerabilis dolor.

Gonorrhœæ suppressio omnis cita, mala, tunc enim ulcus citius curatur, quam oportebat, quo curato, humor, unde plaga illa ortum habebat, necdum est eductus, unde vel de novo Gonorrhœa producitur, aut in luem facilius corporis veneream mutatur. Sanato enim ulcere, humor iste non ita potest effluere; quid tunc? debet per vias ordinarias in sanguinem revehi: san-

guine deinde sensim que corrumpente, pustulæ rubræ, magnæ & exulceratæ, periostei dolores circa ossa, &c. oriuntur, quæ nomine *Luis Venereæ* (Belgis *de spaanse pokken*, aut *de françoisen*) veniunt.

Seminis interim materia sive ex sanguine ejus matre, aut alias, cum sit infecta, partibus suis in testiculis defungitur, eos magnoqerè dilatat, adeo ut immensum usque intumescant, quod postea latius explicabitur.

Quando sese citissimè curationi subjiciunt, abstémii sunt à Vino atque Venere, optimamque servant diætam, facilius sanantur, quam contra: causa enim hisce fota atque incrementum sumente, curatio suspenditur ac remoratur, quod certum.

Tandem nos ad curationem accingamus, nam quia quosdam post perpetrata mala pœnitet, remedia iis adhibere haud illicitum est. Itaque primo corpus ab hoc veneno liberandum, alias enim curatio nunquam sequeretur, & morbus iterum de novo recrudesceret, ut domus incendio flagrans, si planissimè non extinguatur, semper de novo efflagratio esset expectanda, quæ quam prius aliquando crudelius furit.

Bene purgato itaque corpore, ulceratio est curanda, & Gonorrhœa per se cessabit, *sublatâ enim causâ tollitur effectus*. Nonnulli statim venam incidunt, sed cui emolumento, ἐπέχω. Omnem enim morbum à succis incrassatis dependere, alibi docui, si is itaque etiam decrassationem pro causâ agnoscit, ergo venæ sectio hic quoque eliminanda; sanguinis enim deperditione, reliquum non redditur fluidius, sed omnia contraria sunt eventura.

Quoad purgandi utilitatem, eâ plurimum acidi elutriatur, quod erat morbi causa, & satis ex fœtore nares graviter feriente, liquet. Fœtor enim tam vehemens non esset, si alcali cum acido mutuos non haberent conflictus. Sed nonnulli nimium purgant, quod, meo judicio, non necessarium duco, quia vires nimium deperduntur: nam cum sit sudandum, deficiunt. Purgantibus itaque admiscentur Mercurialia ex Mercurio dulci, Præcipitato albo, &c. Ast non semper, præsertim si lues non est metuenda, aut malum altas non egerit radices.

Purgantia fiant ex *Cassiâ*, *Extracto rhei* & *Terebinthinâ*.

Aut ex *Diagridio*, *Cremore Tartari* & *Antimonio Diaphoretico*.

Hisce pro Medici prudentiâ Mercurialia admiscentur. Ejusmodi enim & educitur venenum & mortificatur. Advertendum ne pulveribus temerè addantur Mercurialia, quia facile gingivas læderent,

Accedunt deinde diuretica, quibus interim sanguis tenuior redditur, atque obstructiones in prostatis existentes deobstruuntur; quibus apertis, quidquid impurum eliminatur: præter hoc adduntur quoque ea, quibus temperatur, domatur. Inter diuretica referuntur. Sequentia, ut:

Radices alcannæ, *Folia theæ*, *Sabinæ*, *Fructus alkekengi*, *Balsamum peruvianum*, *Copayvæ*, *Myrrha*, *terebinthina veneta*, *Cantharides*, *Millepedes* *Sapo venetus*, *sperma ceti*, *sal succini*, *oleum terebinthinæ*, *sabinæ* &c.

Hæc omnia constant ex sale volatili oleoso, quibus facile succi fluiditati priori restituuntur; & eadem operâ multum mingitur, præsertim si theæ sorbitiuncula pro vehiculo est, & ad sudorem usque propinetur; sudando

do enim multum acidi è corpore expellitur: acidum temperantia & simul oleosa, hæc sunto: ut

Radices Chinæ, Salsæ Parillæ, Lignum Guajacum, Sassaphras, Potus Théæ, Pyrola, Sabina, Crocus, Balsamum peruvianum, Copaibæ, Caphora, Gummi Elemni, Mastix, Terebinthina, Oculi Cancr., Sperma Ceti, Coralli, Bolus, os sepiæ, &c.

Hisce similibusque acidum planè domatur, continent enim multum alcali, quod cum acido tamdiu colluctatur, donec planè sit subjugatum. Dabimus itaque in tyronum gratiam quasdam formulas, huic rei appropriatas: ut

Recipe Oculi Cancri, *unciam semis.*
Caphoræ,
Terebinthinæ Venetæ, *ana drachmas tres.*
Balsami Peruviani, *scrupulos duos.*
Misce fiant pilulæ ex scrupulo quinque.

Sumantur quotidie quinque vel sex, quæ non tantum acidum temperant, sed & illud per urinam pellunt. aut

Recipe Oculi Cancri, *unciam unam.*
Foliorum Sabinæ, *drachmam duas.*
Terebinthinæ Venetæ, *drachmas duas.*
Balsami Copaibæ, *scrupulos duos.*
Misce fiant pilulæ ex scrupulo quinque. Dosis ut antea. vel

Recipe Oculi Cancri, *uncias duas.*
Lapidis prunellæ, *unciam unam.*
Salis Tartari Vitriolati,
Caphoræ, *ana drachmas duas.*
Balsami peruviani, *quantum sufficit.*
Olei Sabinæ, *guttas decem.*

Misce fiant pilulæ parvæ; dosis est à scrupulo integro ad drachmam unam vel.

Recipe Mastiches, *unciam semis.*
Caphoræ, *drachmas duas.*
Salis Succini, *scrupulum unum.*
Olei Ejusdem, *guttas viginti.*
Misce fiant pilulæ. vel

Recipe Radicum Alcannæ, *uncias duas.*
Olei Terebinthinæ, *quantum sufficit.*
Misce.

Dige-

Digerantur in loco calido. Urinam optimè pellit, si detur ad sex, vel decem guttas.

Quidam *cantharides* hoc modo præparant, ut

Recipe Cantharidum, *drachmam unam.*
Spiritus Vini, *uncias quinque.*

Digerantur aliquot dies, & drachmæ duæ humectantur cum *oculi cancri* duabus drachmis. vel.

Recipe Oculorum cancri, *unciam.*
Cantharidum, *scrupulum unum.*
Olei Terebinthinæ, *drachmam unam.*
Sabinæ, *guttas decem.*
Vini Rhenani, *uncias sex.*
Misce fiat tinctura: quæ cochleatim sumitur.

Quercetanus multum gloriatur de suâ aquâ, quæ etiam ex sale volatili oleoso constat; si *terebinthina* cum *ovi vitello* & *aquâ Quercetani* propinetur, etiam juvat.

Ramosæ terebinthinæ particulæ ab ovi vitello ita circumvolvuntur; ut sese nequant explicare, hinc ori aut dentibus non adhærent, & facile admixtione alicujus vehiculi propinantur; & si opus sit, ut urina magis pellatur, addendum nonnihil *olei succini* aut *sabinæ.* Aliquot etiam *olei succini* guttæ in *alcohol vini* liquefieri possunt, ut cum vino hauriantur.

Advertendum ne Diuretica ex Terebinthinatis nimiâ assumantur, nam succorum cursus nimium actus obstruit obstructos testiculos & glandulas inguinales, hinc citissimè bubones & testiculos venereos nasci testis oculatus sum.

Ut porro ardor in renibus ac urinæ temperetur, nihil præstantius quam multum potus théæ sorbere, quo omne acidum eluitur, & quidquid ardorem concitat compescitur, nam cum urinâ foras pellitur. Ejus loco sumi potest ptisana ex hordeo, glycyrrhizâ, passulis salsâ parillâ &c. aut fiat sorbitio cum lacte & potu théæ.

Forti extractione théæ etiam injectiones fieri possunt, quibus ulcus detergetur. vel

Recipe Vitrioli Albi,
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Spiritus Vini,
Aquæ Rosarum, *ana uncias octo.*
Misce fiat injectio. vel

Recipe

Recipe Aquæ Communis, *uncias tres.*
Salis Saturni, *drachmam unam.*
Caphoræ, *ſcrupulum unum.*
Miſce fiat injectio.

Ex *aqua* etiam *calcis* parari poſſunt.

Virga ſi admodum ſit inflammata, ita ut videatur incurvari, ei nonnihil applicandum, quod inflammationem depellit: ut

Recipe Boli Armenæ, *drachmas duas.*
Caphoræ *ſcrupulum unum.*
Spiritus Vini, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat linimentum.

Hoc peni applicatur, & inflammatio ceſſabit.

A Sudoriferis etiam non abſtinendum, præſertim, ſi ex *Guajaco*, *Saſſafras*, *Chinâ*, *Salſâ Parillâ*, &c. parantur, & malum inveteratum, de quâ materiâ formulas dabimus, cum de lue confirmata ſit tractandum.

Si neceſſe ſit ut gonorrhœa compeſcatur, ſequentia exhibito:

Recipe Gummi Elemni,
Maſtiches, *ana drachmas duas.*
Terræ catechu, *ſcrupulum unum.*
Miſce fiant pilulæ.

Si ſingulis diebus duæ aut tres deglutiantur, in omni modo brevi effectum requiſitum præſtabit, niſi ulceratio eſſet inveterata, atque ampla. Si ulcus ſit pertinax, injectionibus nonnihil æruginis admiſcendum, ut cruſta impura abſumatur. Curatione ad umbilicum perducta, inter curandum maximè victus ratio eſt habenda: & loco cereviſiæ, vel vini tum decocta ex ſalſâ parillâ & chinâ &c. bibenda, aut, ut dixi, potus théæ, cofféæ, ptiſana, lac, cereviſia recens tenuioris notæ, & omnes potus, quibus urina fit tenuis, & minus mordax, inhiberetur enim alias curatio. Abſtinendum ab acidis, ſalſis & omnibus acribus: manducandum nonnunquam paſſulas majores cum amygdalis.

OBSERVATIO EPISTOLARIS.

ANno ætatis meæ circiter decimo quarto incidi in peſſimorum morum Juvenes, dumque ipſorum conſortio meo fato utor, in tenerâ ætate ab iiſdem facile ſeductus fui, ut quod ab ipſis factum videram, & ego

Obſervatio de ſimplici & virulentia gonorrhœâ.

ego facerem aliquando, manuque mobili improbam mihi libidinem excitarem, detestandam sanè, sed quæ mihi tunc temporis perplacebat; & si enim eâ ætate semen haud emittebam, delectamentum tamen & titillationem quandam excitari mihi sentiebam ex lubrico illo contactu. Post aliquod temporis spatium & maturo jam ætatis tempore, seminis ejectio actionem eam nefariam secuta est; quoties vero in medio opere & præsentem penè seminis ejaculationem remotâ manu, ut majori & longiore delectatione fruerer, impediebam, toties saltem post aliquod intervallum, dimidii quadrantis horæ imo postmodum brevioris temporis, sua sponte absque ulteriori erectione & delectamento, & sine dolore profluebant aut exprimendæ erant leniter guttulæ aliquot materiæ viscosæ & glabrosæ, humori oculi vitreo substantia pellucida & per reliqua omnia oculis subjecta, perquam similis. Idem mihi accidebat, quoties libidinoso contactu suaviis puellas contingerem, aut cum iisdem saltem de rebus libidinem excitantibus sermones miscerem, tum enim idem profluvium guttarum trium vel quatuor prædicti liquori ex intervallo sequebatur, quandoque sed raro, nequidem præcedente penis erectione, uti nullâ delectatione ita nec dolore. Quam rem dum non curaram & cum puellis quam frequentissimè rem haberem, animadvertebam semper breviori intervallo illud, quidquid est materiæ provenisse, in concubitu autem vel leviter semen prosiliebat verum. Hæc omnia nullum tunc incommodum adferebant, nisi forte maciei causa erant; interea temporis itineribus magnis & gravibus confectis, & in his aliquot vicibus à morbis periculosis malè habitus, comperi naturam magis magisque debilitari, & in vetere hoc meo morbo debiliorem reddi, adeo quidem, ut ante, tum & quod parumper excurrit, animadvertere mihi visus sum, me seminis aut alius alterius materiæ, semini colore subalbido & viscosâ substantiâ suâ valde similem ad quamvis ani videlicet excretionem jacturam facere, guttas duas aut tres quidem non excedentem, ac cum ullo doloris sensu conjunctam, attamen corpori inimica & memoriam immensum debilitantem: quamvis hujus rei plures causæ concomitantes esse possint. Nequid autem prætermittam, quod ad rem facere posset, dicam: biennium penè excessisse ex quo post rem cum fœminâ habitam, laboravi Gonorrhœâ Venereâ, ab illâ meâ ordinariâ multum diversâ, erat enim materia destillans purulenta & livida, & non sine dolore emittebatur urina; ab hoc ego affectu opera medicaminum à Chirurgo acceptorum convalui; sed elapsâ præcedenti hyeme per octiduum rursus quendam mingendi ardorem & parum materiæ profluentis percepi, & si cum nulla fœmina tum concubuissem, quo absque usu ullius remedii liberatus sum. Jam ætatis trigesimum annum aggressus sum & non negligerem, dum amplius puto quod satis superque neglexi &c.

P. S. Ego quidem non vitio materiæ sed vasorum effluvium illud contingere existimaverim, cum nullo dolore fiat & colore vel pellucidum oculi humorem vitreum vel verum semen referat. Memoriæ quomodo succurrendum sit etiam desidero avidè scire. Tuus ex omni officio

Romæ. N. N.
1691. Idibus Martiis.

Qui-

Quidam ab aliquo tempore gonorrhœâ laborans, nescio à quo morbo obiit.

Post dissectum cadaver in prostatis ulcusculum quasi inventum est. Certum est succum, quem prostatæ segregant, aliquando in prostatis stagnare, præsertim à coitu virulento, unde ulcuscula: in iis, qui à longo tempore curati fuerunt, semper idem cicatrices relictæ testantur. Gonorrhœa laborantis dissectio.

Non omnia enarrabo quæ rescripsi ad virum Reverendum.... Sed ob petulantiam, & continuam penis frictum seminisque ejaculationem, vascula ex prostatis in urethram terminantia, ita relaxata fuerunt, ut materia à prostatis secreta, suâ sponte excerneretur, hinc Gonorrhœa simplex; quæ postea, ob concubitum contagiosum in virulentam transiit.

Quamvis à virulentâ videbatur liberatus, ei tamen dedi pilulas meas ordinarias, quæ constant ex balsamo copaibæ, oculis cancri, bolo armenâ, arcano nostro &c. de hisce singulis diebus duodecim devorabat. Postea ut simplex Gonorrhœa inhiberetur, injectionem curavi præpare astringentem valde & consolidantem ex corticibus granatorum, salviâ, cerussâ, lithargyrio &c. & convaluit.

Juvenis quidam 26 annorum, Divæ Futuariæ sacra ad ravim usque excoluit & loco præmii recepit torrentem aquæ insalubris, nihil curans stillicidium hocce nidorosum, post aliquot septimanas demum sibi adhiberi sinit remedia & quidem pellentia, optimo cum successu, fluxus tamen ille albus jam redditus non poterat sisti; tædiosus hinc respuit ulteriorem medelam & gessit malum ferè per semiannum patienter; demum implorat auxilium meum, adhibui & purgantia mercurialia & sudorifera ut & injectiones, successu subsequenti prospero in principio, mox penè nullo, igitur quia interna in penis parte judicaveram quasdam vesiculas parvas, materiam continentes (uti ex sectione cadaverum duorum mihi fuit observatum) immisi ceream candelam ex Unguento camphoræ, cera, admixto mercurio crudo in Urethram & ope hujus indies insignis pultacei liquoris evacuabatur copia: continuavi ergo, dedique Tincturam Resinæ Guajaci, qua mediante materia jam reddita est prorsus alba; ut autem fluxus iste sisteretur, dedi internè Tincturam catechu, boracem calcinatam & alia; externè injeci liquorem, constantem ex tutia præparata, camphora, & vino, sed nihil efficere valui, manet fluxus ille albus, immutatus, imo excernitur singulis mane ad duas tresve guttas. Alia obs.

Atque sic omnes monendi, si in hoc Labyrintho venereo errant, se statim curæ viri probi committant, alias stillicidium illud ad extremum vitæ terminum durat, licet venenum sit expulsum. Hic vides prostatas non semper esse in culpâ, sed vesiculas in pene excitatas, purulentamque materiam fundentes.

Caput XLI.

DE INFLAMMATIONE PENIS, GLANDIS PRÆPUTII, ET DE CHORDA, SEU TENSIONE.

Glandis inflammatio.

GLANDIS INFLAMMATIO (Vulgo *Chankers* & *Spaanse kragen*) cancrorum nomine venit, nihil aliud eſt, quam inflammatio aut puſtulæ glandem, infra præputium, occupantes, quæ inſequuntur cruſtoſis & malignis ulceribus.

Cauſa etiam eſt coitus cum impurâ materiâ enim concubinæ, glans illinitur, atquæ cum admodum (præſertim in æſtu venereo) penetrat, atque glandis cuticula admodum tenera eſt, venenum illud operatur in modum cantharidum, quarum particulæ ab humido quopiam diſſolutæ, calore cutis agitantur, hinc ſcindunt, diſſecant, comminuunt, &c : & plurimæ earum cuticulam penetrantes, vaſcula lymphica tenella diſrumpunt ; lympha effunditur, & intra cutim & epidermidem colligitur : idem ab hoc veneno expectandum, quod etiam in actum ducitur, atque cum volatili alcali iſtius ſanæ partis luctatur : veneno itaque hoc tam celeriter trajiciente, nempe ſecando, ſcindendo &c. uſque in canliculos minores adigitur, unde ſuccis accedit ingens alteratio. Nam ſi acidum iſtius veneni cuſpidibus ſuis in ſuccis prætercurrentibus hæreat, fluxus & circulatio retardantur, eodem modo ac aſſeres longæ ac graves multo facilius per flumen vehuntnr, ſi ab aliâ cauſâ non impediuntur, quam ſi per ſingulos aſſeres trabes tranverſim eſſent infixæ, tunc enim in fluminis oram continuè impingerent, & hoc modo flumen clauderent : quemadmodum illud de aſſeribus dictum, contingit quoque alcali cum venenoſo acido, quod quia, canaliculos glandis minutiſſimos penetrare non poterat, tanquam trabibus transverſim infixis hærere debet, unde ſenſim obſtructio producitur, præſertim ſi in memoriam revocamus, ſuccos à tergo affluentes à latioribus canalibus ad anguſtiores curſum dirigere: quod fit ac ſi plurimæ naves ex flumine ſpatioſo ſimul per anguſtiam quandam dirigantur, præſertim velis ſuis ac malis, tunc ſe non tantum mutuo comprimemt, aſt mala cum velis à funibus illaqueabuntur. Idem itaque contingit ſuccis & iſtis particulis in vaſculis tenellulis.

Hiſce prælibatis, videndum quid ulterius huic obſtructioni contingat. Nam obſtructio, quæ ibi facta eſt, ſemper in eodem non manet ſtatu, aſt à continuò ſuccorum affluxu, obſtructio magis ac magis augetur: nam ſi mihi ſit aquæ ductus, qui paulatim magis ac magis anguſtior ſit, atque in eum lapides, ligna, &c. ceciderint, ſi tunc longo ligno lapides, &c. à latiori loco ad anguſtiorem velim protrudere, tunc aquæ ductus neceſſariò obſtruetur : antea enim per intercapedines lapidum aqua aliquomodo ſibi viam parabat : aſt quoniam nunc parietes utriuſque lateris attingunt, atque invicem ita proximè appropinquant, ut intercapedines

ſint

ſint abolitæ, omnis liquor ſiſti debet, & ſi prima obſtructio augeatur, idem evenit noſtris corporis ſuccis, ubi à latiori viâ ad anguſtiorem truduntur, tunc quoque obſtruentes particulæ arctius ad invicem compinguntur, & ſucci deſuper accurrentes ſubſiſtunt, hinc obſtructio dilatatur, & in tumorem elevatur.

Canaliculo uno atque altero ita obſtructo, etiam proximè adjacentes comprimuntur, anguſtantur, hinc propter anguſtiam, tanta ſuccorum copia præterlabi nequit, ut antea, ideo per conſequens ob morantes ſuccos; aut ſaltem tardius incedentes intumeſcentia magis augetur.

Hiſce ita ſuppoſitis, ſenſim inflammatio augetur & dolor ingraveſcit; quia obſtruentes illæ & coagulantes particulæ non ſemper in eodem ſtatu manent, ſed mutationem patiuntur, quæ ſenſim ad corruptionem vergunt: corpuſcula enim illa continuò adhuc à materiâ ſubtili moventur: ſuccis enim canaliculis incraſſantibus, globuli aërei externè prævalere incipiunt, quibus ſucci ita premuntur, ut intra eos canaliculi anguſtari cogantur, atque apti evadant, ut ſubtilis tantum materia tranſmittatur: ergo concludo, nunc, quam antea ſubtiliorem transfulminare materiam, quæ etiam celerius movetur: quo enim particulæ ſunt ſubtiliores, eo quoque facilius in motum ducuntur; & quo craſſiores ac grandiores, eo difficilius moventur. Si itaque ſubtilibus particulis ejuſmodi major & celerior motus ſit, admodum igni ſimiles ſunt, vel & ipſæ ignem conſtituunt: cum itaque materia hæc ſubtilis ignis in modum per materiam hujus tumoris obſtruentem fulminis inſtar transvolat, oritur calor efferveſcens, ut in fæno madidè nimis aggeſto, aut Roſis, &c. in acervum aggeſtis. Particulæ nunc quæ in materia obſtruente exiſtunt, in actum ac furorem quaſi irritantur, quia in celerem motum ducuntur, culicum inſtar inter ſeſe volitantes, ſecando, ſcindendo, conterendo, comminuendo &c. omnia obvia; unde non tantum dolor naſcitur, aſt tandem ulceratio, quæ in glande dicitur *cancer venereus* (*chanker*: ſed in præputio, præſertim deglubato, appellatur *paraphymoſis*, (*een ſpaanſe kraag.*) Materia porro inde effluens tenax eſt & viſcida, conſtans ex plurimis particulis ramoſis, plurimas particulas non tantum alcalicas & acidas, ſed & aquaſas ſeu anguiformes, continentibus, quæ à calore, aſſiduò perfluente, in aërem vehuntur, & exhalant; unde minor fluiditas remanet, quam ante: hinc cruſta producitur. Cancer venereus. Paraphymoſis.

Pus interim, quod infra cruſtam colligitur, quoniam acre eſt & mordax, nam à ſubtili materiâ ulterius movetur, ſecando, ſcindendo adhuc perſeverat, idque majori vi quam antea, hinc ulceratio latius ambulat, & profundius exeditur: ita ut non tantum integer penis hoc modo afficiatur ſed, ſi tempeſtivè remedia non adhibeantur, ſed ſæpe totaliter exedatur, & putreſcat.

Continua puris emanatio fit, quia à ſuccis à tergo affluentibus foras comprimitur, quia canaliculi ſunt exeſi, aperti, & quidquid effluxerit, (quia ex materiâ lacteâ conſtat) acorem contrahit & puris materiam præbet. Hic nihil ſanguinis effluit, quia abſtructio non eſt in arteriis aut venis, ſed

in vasculis minutissimis. Sed contingit interdum, si vasa majora sint excesa ut sanguis magnâ sæpe copiâ effluat, qui vix sistitur.

Paraphymoses id peculiare habent, quod præputia planè retro deglubantur, & glandem nudam relinquant, atque hujus rei ratio hæc est, nisi fallor: quando penis intumescit atque inflammatur; tunc præputium illud inflammatum glandem contegere nequit, ast retrò cedere cogitur, nam quia ab inflammatione expanditur, etiam in crassitie accrescit, eodem modo ac vesica, quæ inanitur, etiam in latitudine extenditur.

Secundo, glans ab anteriori parte magis tumet, quàm à posteriori, hinc facilius retrò deglubitur. seu retrahitur.

Tertio, ut præputium retrahatur necessarium est; glans enim aliquando ita intumescit, ut à præputio contineri nequeat, hinc ejus dolores, gangrænæ &c. Preputium porro illud ita retractum, atque pustulis ulcerosis obductum, dicitur nobis *een spaanse kraag*, cujus origo, progressus, causa, &c. eadem est ac supra de cancris venereis dictum: ex quibus satis intelligitur, quomodo ulcuscula nascantur, ideoque cramben bis coctam ad vomitum usque non apponemus.

Chorda. Nunc aliquid dicendum restat de affectu, qui dicitur *Chorda*, gallis *cordée*, symptoma quoque GonorrhϾ: id est, quando penis incurvatur versus posteriora, eodem modo ac si à fune quodam traheretur: illud, nisi fallor, hac de causâ fit: quia in penis texturâ quædam partes sunt, quæ dilatari possunt; & iterum aliæ, quæ non: nam quando ambo corpora nervosa ab inflammatione ita dilatantur, sæpe urethra, quæ intermedia horum corporum est, illam extensionem non sequitur, ast priorem tantum longitudinem servat, atque ita videtur penis glans deorsum incurvari. Eodem modo, ut si plantem arborem juniorem A (TAB. VII. Fig. 42.) seu arbusculam, & in superiore parte funem annectam. B, atque circa radicem, C. quoque firmiter jungam seu tendam, sequeretur illam post aliquot annos fore incurvatam; (ut in Fig. Tab. VII.) funis enim erat impedimentum ne arbuscula se erigat: atque ita se quoque res habet cum pene, qui incurvatur, quia urethra elongari & per consequens incurvari vix queat.

Tandem devenimus ad curationem, atque primo inflammatio est extinguenda, & si quædam infra aut supra præputium ulcuscula appareant, detergenda & deinde profliganda.

Hoc ergo modo inflammatio cessabit, si sæpius in tincturâ Théæ calidâ lavetur, atque in eâ aliquantulum maceretur, ut nempe omnis acrimonia elixivietur: vel ejus loco sumatur lac calidum, aut aqua simplex, cui nonnihil caphoræ admisceri potest: inflammationi depellendæ convenit quoque sequens unguentum: ut

Recipe Boli Armenæ, *unciam semis.*
Colcothar vitrioli edulcorati,
Caphoræ, *ana drachmam semis.*
Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Misce.

Hujus

Hujus medicamenti operatio hoc modo peragitur: primo præscribo & balsamica & colcothar, quæ maximâ ex parte ex sale alcali constant; dein & caphoram, quæ nihil aliud est quam quoddam sal volatile oleosum, quibus vini spiritum admisceo. Spiritus itaque iste cum caphorâ mistus, à subtili materiâ quam maximè movetur, ideo si inflammationi applicetur, propter agilitatem ad interiora penetrat, hinc plurimi canaliculi primo aperiuntur, & secundo materia obstruens fluori restituitur; vel saltem in majores motus & agitationes instigatur; hinc pars evaporatur, & pars iterum sanguinem & succos intrat: quod igitur evaporatur, à poris boli & calcotharis excipitur, atque iterum (quia vacuum non datur) quædam alcalicæ particulæ à penis canaliculis excipiuntur: ideo quando venenosum illud acidum in actum ducitur, abcali denuo mortificatur atque sub jugum mittitur, quod satis ex chymicis miscelis manifestum. Idem fit quando in pavimentum aut vestes oleosum quid stillavit, hanc maculam norunt mulierculæ nostræ promptè delere, accipiunt enim terram qandam pulverulentam, ut creta, gleba, bolus &c. hanc cum spiritu vini aut aquâ in pultem crassam redigunt, & hac maculam illinunt, aut alibi macula est. Cum porro materia illita exsiccatur, aquosæ anguiformes particuli à materiâ subtili in auras pelluntur, hinc quia nihil vacui remanere potest, aliud succedere cogitur, & qnoniam nullæ aliæ fluidæ adsunt quam ramosæ seu oleosæ, coguntur in priorum locum succedere, atque sic macula deletur. Itaque, cum medicamentum exsiccatur, excipit particulas inflammationem excitantes, & inflammatio diminuitur, non secus ac macula delebatur.

Si itaque contingat, inflammationis obstructionem tam altas insinuasse radices, ut planè nequeat deleri, ut ante dictum, tunc particulæ istæ tamdiu secant, scindunt, &c. donec canaliculi sint fracti, & tunc indicatur ea à purulentâ materiâ debere detergeri, alias ulcera nimis profundè exedun-tur, & totus penis absumeretur, nisi requisitis medicamentis malo resistatur. Sequuntur itaque quædam formulæ: ut

Recipe Viridis Æris, *drachmas decem.*
Sublimati, *grana quatuor.*
Caphoræ, *scrupulum.*
Vini Generosi, *uncias tres.*
Misce fiat linimentum. vel

Recipe Aquæ mercurialis Fallopii,
Spiritus vini, *ana uncias duas.*
Thuris,
Aloes,
Caphoræ, *ana drachmam unam.*
Misce.

Atque hæc sunt medicamenta, quæ dicuntur *detergentia*, quorum operandi

randi modus hic eſt. Prioribus formulis ineſt *Mercurius*, acido hoſtis inimiciſſimus, (de quo poſtea erit ſermo.) Mercurius hic in ſublimato inter ſalium intercapedines, coërcetur, atque ideo facilius ab aquâ aut vino abſorbetur, ut commodius in uſum adhiberi poſſit: huic adjicimus inſuper quædam ſalia volatilia oleoſa, ut eſt caphora, aliaque gummi, quæ ſpiritu vini ſolvuntur; atque hoc fit, ut per horum motum mercurialia in canaliculos penis penetrarent, & materia obſtruens venenoſa ſolveretur, atque ſic acidum domando à mercurio in auras elevatur; & cum acido avolat ad tartara: hiſce nonnunquam additur aliud quid, quod magis incitat, ut eſt ærugo, vitriolum album, &c. quæ propter particulas craſſas undequaque quidquid incongruum abrodit, atque ulcus ab omni inutili ac canaliculis fractis detergit. Aqua ſequentis præcipitati huic etiam reïnſervire poteſt, nam poſtea in uſum vocabimus: ut

SUBLIMATUM DULCE PRÆCIPITATUM.

Recipe Sublimati triti, *unciam ſemis.*
Saliis Armoniaci, *unciam unam.*
Aquæ pluvialis, *uncias octoginta vel centum.*

Miſceantur in vitro aut ollâ vitreatâ, materia interdum agitatur, addendo poſtea uncias duas ſalis tartari, tunc ſublimatum præcipitabitur: pulvere ſubſidente aquam decanta, præcipitatum ſicca, & uſui ſerva: aquam in lagenâ ſerva.

Liquor iſte conſtat ex particulis ſalinis, ex quibus ſublimatum erat compaginatum, nempe ex vitriolo & ſale, quibus quædam particulæ ex ſale armoniaco, & ſale tartari accedebant; atque ſic ſalia fixa à volatibus movebantur, & acidum ulceris à vitriolo, ſale tartari, atque armoniaco domatur: interim quoniam omnia in motu ſunt, ulceris parietes blandè roduntur, quod *detergere & mundare* dicitur.

Quod nunc præcipitatum eſt, maximâ ex parte particulæ mercuriales ſunt, quibuſdam ex ſalè tartari & armoniaci: Mercurius enim primo à ſalium ſpiculis acidis in ſublimato in ſolidum corpus redactus, quo in aquâ ſoluto, cuſpides omnes acidæ à mercurio ſolvebantur, atque in alcalicis inſinuabantur; quibus, priorem ſedem, relictis, volatiles ſalis armoniaci particulæ mercurii poros iterum occupabant; quando enim priores locum relinquebant, & aliæ ſuccedere debebant, quia ſemper corporum motus circularis eſt.

Neque hic aqua calcis excludenda, notum enim, calcem ex alcali conſtare, quod mediante aquâ acidum ex ulceribus in canaliculis ſuis recipit, nam erat cauſa quare ulcera non poterant conſolidari, remoto itaque acido, atque ulceris parietibus deterſis, conſolidatio ſequitur.

Interim Mercurialibus licitum eſt corpus nonnunquam purgare; ſumendo interdum pilulas ex *terebinthina*, *cancri præcipitato albo* &c. confectas:

Opor-

Oporteret ægrotum etiam nihil aliud bibere quam decoctum ex *ſalſa paril-lâ* & *chinâ*, idque calidè, quo acidum ex corpore etiam pelletur: *hoc opus hic labor*.

Quomodo porro carnoſa ſubſtantia creſcat, cicatrix inducatur, In Inſtitutionibus noſtris diximus, δὶς κράμβη θάνατος. Remedia interim quæ ad acidum in ulceribus temperandum adhibentur, eſt *Emplaſtrum Gryſeum*, conſtans ex variis acidum temperantibus, ut ſunt alia omnia, *Lapis Calaminaris*, *Lithargyrium*, *Ceruſſa*, *Tutia*, &c. His accedunt quædam ex ſalibus Volatilibus & oleoſis conſtantia & aromatis, ut *Terebinthina*, *Thus*, *Maſtix*, *Myrrha*, *Caphora* &c. aciditates quoque abſorbet *Diapompholigos*; hiſce ſæpe adduntur Mercurialia, & ne luxurioſè nimium creſcat caro, additur præcipitatum rubrum. Olea ac pinguedines ſæpe impedimenta ſunt, ſi emplaſtris admiſceantur: ideo ſi illa vitari poſſint, potius ad lavamenta craſſa tranſeundum: ut

Recipe Ceruſſæ, *unciam ſemis*.
Lithargyrii auri, *drachmas tres*.
Thuris, *drachm. duas*.
Præcipitati rubri, *ſcrupulum ſemis*.
Spiritus Vini, *quantum ſufficit*.
Miſce fit unguentum molle.

Si exſiccetur, ſpiritu vini iterum ad conſitentiam debitam eſt reducendum, vel:

Recipe Tutiæ præparatæ,
Thuris, *ana drachmas duas*.
Caphoræ, *drachmam ſemis*.
Spiritus Vini, *quantum ſufficit*.
Miſce fiat unguentum molle. vel

Recipe Minii,
Boli, *ana drachmas duas*.
Maſtiches, *drachmam unam & ſemis*.
Vini ſpirituoſi, *quàntum ſufficit*.
Miſce fiat unguentum molle.

Recipe Eboris Uſti,
Plumbi Crudi Aquâ Triti, *ana drachmas duas*.
Myrrhæ, *drachmam & ſemis*.
Aquæ Calcis *quantum ſufficit*.
Miſce fiat unguentum.

In ulceribus aliquando verrucarum ſpecies ſuccreſcit; illæ *præcipitato rubro* aut *alumine uſto* abſumuntur: idem fit in calloſis ac cartilaginoſis

cicatricibus, quibus à nonnullis *Emplastrum de Ranis cum Mercurio* applicatur. vel sequens unguentum: ut

Recipe Unguenti Rosacei, *unciam semis.*
Mercurii Vivi, *unciam semis.*
Misce.

Diæta quam optimè servanda: vitanda inebriantia: cibus sit recens caro, biscocta, lac, ova, olera: potus fiat ex salsâ parillâ & chinâ:

Caput XLII.

DE URETHRÆ CARUNCULA.

Caruncula. Gonorrhœæ socia est Caruncula, quæ præsertim producitur, ubi semen & succus prostatarum effluit: si itaque materia illa effluens fuerit acris, mordax, corrodens, omnesque partes præsertim ibidem loci corrodit, tunc ibi fit primo inflammatio, & quoniam materiæ venenosæ semper exitus conceditur: non tantum cum dolore excernitur, sed quia materia effluens ex particulis constat acutis, continuo in canaliculos illlos angustatos insilit, itaque tanquam cultris & ensibus conscinduntur, unde ulcus, ut antea de cancris venereis dictum: ergo ulcus illud sive apertura, tam citò nequit consolidari, ac id quod supra penem exterius est; si enim Gonorrhœa non adsit, ab urina præterfluente apertum tenetur: & quia tunc ad votum cicatrice obduci nequit, carnosa seu fungosa pars altius, quam oportet crescit; hinc urethra obturatur, & urina retinetur unde mingendi difficultas. Quomodo porrro excrescentiæ fiant, ut &, Hypersarcoses, in *Institutionibus nostris* docuimus.

Caruncula illa facile cognoscitur, ex mingendi difficultate. *Deinde* quando propè penis initium nonnihil nodosum sentitur in urethrâ cui dolor accedit; quamvis non semper in loco, sed aliquando magis versus extremitatem, atque non tantum in uno loco, ast sæpe in pluribus, quia tota urethra non raro excoriatur: imo & in fœminis quandoque reperitur, ast rarius. *Tertio* si cathetere seu stylo resistentia invenitur. *Quarto*, si Gonorrhœa vel simile quid præcesserit. Memini me carunculam observasse in quodam viro puro, & minimè ex Gonorrhœâ virulentâ, de qua hic sermo.

Progrediendum nunc ad curationem; fiat catharsis ἄνω per mercurialia, ut ante præscripta: sudatio aliquando instituenda omnia enim quæ acidum temperant, fugant in omnibus morbis necessaria: ast præcipuum in hoc symptomate est, ut caro illa fungosa absumatur, quod factu haud ita facile est. Proximum est ut cannula ex argento, plumbo aut stanno vel ex ebore conficiatur, quæ admodum lævigata & polita est, ne dolorem inferat;

inferat; cujus extremitas, quæ foris prominet, ſit pileata, ut cannula facile eximi poſſit, & intrudi.

Alii cannulam conficiunt ex linteo cerato, ſed quia ad introducendum, urethræ Capacitas non ſatis eſt ampla, eligerem potius cannulam argenteam, auream, aut eburneam: verum quia à quibusdam in uſum vocantur, modum conficiendi deſcribam. Sumitur linteum firmum, & ſatis ſolidum, & ceræ albæ liquatæ, cui nonnihil olei admixtum eſt, intingitur, eodem modo ac ſparadrapa fiunt. Linteum illud ceratum circum ſtylum volvitur, & cannula fit: quæ oleo lita urethræ intruditur: in extremitate foris filum propendat, ne veſicam ingrediatur, & facilius extrahatur. Vel ſumitur linteum circum ſtylum volutum, quod cera, ut antea, intingitur, quo refrigerato, ſtylus extrahitur, & cannulam habebis ſecundum artem factam

Quidam cannulas habent plumbeas, quæ quidem præſtant, modo ſatis lævigatæ ſint; plumbum enim ſcabrum eſt, ideoque minus aptum. Eburneæ glabræ ſunt & rigidæ, ideoque præ cæteris elephantinas mallem.

Comparatâ fiſtulâ, pulvere commodo opus eſt, ut carnucula abſumatur: atque ſequentia in uſum duci poſſunt: ut

Recipe Aluminis uſti, *drachmam unam.*
Æruginis, *grana decem.*
Miſce. vel

Recipe Præcipitati Rubri, *grana decem.*
Pulveris Sabinæ, *drachmam unam.*
Miſce. vel

Recipe Florum Sulphuris, *drachmam unam.*
Æruginis *grana decem.*
Miſce.

Hæc & ſimilia pro re natâ poſſunt magis imbecillia aut fortia fieri.

Per hanc cannulam quædam unguenta intrudi aliquando poſſunt, idque uſque ad carunculam, mediante ſtylo intruſo: ut eſt *unguentum apoſtolicum*: vel

Recipe Butyri recentis, *unciam unam.*
Ceræ Citrinæ, *drachmas duas.*
Terebinthinæ, *drachmas tres.*
Præcipitati Rubri,
Æruginis, *ana ſcrupulum unum.*
Miſce.

Hoc tamdiu intruditur, donec fungus ſit conſumptus.

 Remotâ

Remotâ carunculâ, consolidandum est, & per cannulam sequens pulvis est inflandus: ut

Recipe Antimonii Crudi, *drachmam unam.*
Boli Armenæ, *drachmas duas.*
Caphoræ, *scrupulum unum.*
Misce. vel

Recige Lapidis calaminaris,
Olibani, *ana drachmam unam.*
Misce. vel

Recipe Terræ Vitrioli dulcis,
Cornu Cervi Usti, *ana drachmam unam.*
Resinæ Citrinæ, *drachmam unam.*
Misce. vel

Recipe Terræ Sigillatæ,
Cerussæ, *ana drachmam unam.*
Caphoræ, *drachmam semis.*
Misce. vel

Recipe Lithargyrii Auri,
Masticheses, *ana partes æquales.*
Misce. vel

Recipe Plumbi Usti,
Tutiæ, *ana drachmas duas.*
Caphoræ, *drachmam semis.*
Misce.

Ex hisce pulveribus etiam unguenta fieri possunt, modo addatur oleum, cera, & terebinthina: accedunt hisce vulgaria quædam, ut, *Emplastrum Gryseum*, *Unguentum Oculare*, *Diapompholigos*, *Opodeldoch Felicis Wurtz.* &c.

Intetim pro urinâ reddendâ, nonnunquam cannula est extrrahenda: & si reddi nequeat, Catheter est inserendus, qui ultra carunculam est trudendus: emissâ urinâ, cannula iterum intromittenda, & recens pulvis est inflandus: atque hoc tamdiu continuatur, donec curatio sit peracta.

OBSERVATIO CANNULÆ PLUMBEÆ IN VESICAM PROLAPSÆ, ET DE EJUS PETRIFICATIONE, MIHI PER EPISTOLAM IN HUNC MODUM COMMUNICATA, QUAM EX GALLICO SERMONE TRANSTULI,

Doctissime Domine,

ANte Menses ferè tres fui Amstelodami, & bis ad ædes vestras, mihi ut esset honos vos salutare & eodem tempore gratias agere pro vasis Destillatorii delineatione, quam mihi misisti, sed non licuit, ob absentiam vos videre. Interea temporis transtuli me cum Barone quodam Aquisgranum, cui anno supremo in Hollandiam curru se transportando, incessit infortunium, ut cannula quædam plumbea, straminis majoris amplitudine, virgæ intrusa, (ut urinam nempe facilius redderet & Urethra maneret semper aperta) quæ ob currus postis nimium motum, in vesicam prolapsa est: post hæc nimiam exinde sensit incommoditatem, ita ut ad sectionem se componeret: quæ per Eremitam Gallicum, virum probum, (nomine *Frere Jaques Baulieu*) fuit instituta; mirabamur quam maximè, nos loco dicti plumbi, videre calculum, tempore decem mensium formatum, quo plumbum erat incrustatum; pendebat absque plumbo ferè sesquiunciam. Erat observatio digna vobis ut communicarem, idque eo magis quia ipse testis oculatus, ipsumque Baronem à vulnere persanaverim. Interim &c.

Domine,

Vester obedientissimus servus
N. EICHHORN, Chirurgus legionis *de son Alt. Monsieur le Duc de Holstein Pleun & Chirg. Major de son Regiment.*

Trajecti ad Mosam,
14 Nov. 1698.

Ex hac observatione primo erudimur quam necessarium sit cannulis uti pileatis, ne in vesicam, Pectus, Ventrem, &c. prolabantur.

Deinde quod omnia, ut pili, aciculæ, vel quævis alia semper crustis calculosis incrustantur: particulæ enim salinæ, si superficiem inveniant commodam, ei adhærent, ut duo lapides marmorei, de quibus antea mentio facta.

CAPUT XLIII.

DE TESTICULO VENEREO, SEU HERNIA VENERIS.

TESTICULUS VENEREUS, seu HERNIA VENERIS (Belgis *een sand-kloot*, ob gravitatem, vel *Venus-kloot*) nihil aliud est quam expansio vasculorum testiculum componentium. Testiculus Venereus.

Si ante veneni expulsionem Gonorrhœa nimis citò sistatur, tunc materia seminalis in canaliculis testiculorum remanet, atque morando inspissatur. Quomodò nunc illa materia contagiosa est, hoc modo, nisi fallor peragitur: quando succus ex prostatis in urethram, curato priori ulcere, non amplius fluit, debet per vascula quædam iterum in sanguinem regredi (nisi quis statuere velit à prostatis aut vesiculis seminalibus vascula nonnulla ad testes euntia, quæ necdum novi inventa) is sanguis denuo testiculos intrans, ut ibidem seminalis materia separetur, adhuc veneno Venereo turget, & incrassatur, eodem modo ac supra dixi de alcali & acido.

Hisce ita positis, semen per canaliculos testiculares seu seminales tam subitò incedere nequit, quam oportebat, vel potius, ibidem incipit moram trahere: & quoniam à tergo continuus est affluxus, testiculus unus aut ambo magnopere extenduntur, & continuâ expansione admodum duri evadunt. Si humor itaque ille incrassatus non statim attenuatur, facile in scirrhum mutantur: quædam vascula etiam à materiâ illâ acri sæpe corroduntur, & humor emanat, hinc fungosa excrescit caro, & testiculum in immensum usque excrescit, non sine magno dolore aut tensione; omnes enim fibræ expanduntur, & minimæ rumpuntur.

Videamus nunc breviter quæ ad curationem conducant: per attenuntia & in actum ducentia materia incrassata est fluori restituenda: ast si altas egerit radices, conandum ut pus producatur, aut quidquid scirrhosum est cultro amovendum: ast si omnia remedia incassum adhibita sint, castratione opus est. Intus dari possunt pilulæ ex *Terebinthinâ*, *Balsamo Peruviano*, aut *Copaibæ* cum *oculis cancri*: hisce devoratis multum potus Theæ sorbendum, quo corpus incalescat, & succi fluidiores fiant. Imo & in vino hispanico nonnulla grana *salis volatilis cornu cervi* sumenda. Hujus indolis etiam sunt:

Spiritus salis Armoniaci, *Eboris*, *Ossium*, *Sanguinis*, *Urinæ*, *sal volatile oleosum*, *cornu cervi*, *Eboris*, *Urinæ*, *Flores salis Armoniaci*, *&c.*

Omnia salia volatilia sunt venenis acidis alexipharmaca. Quamvis interna optimi sint usus, externa tamen minimè negligenda; nam cataplasmata, fomenta & Emplastra admodum proficua sunt; fiat igitur cataplasma ut sequitur:

Recipe Fimi vaccini, *uncias tres.*
Foliorum Phellandrii,
Rutæ, *ana Manipulum unum.*
Tabaci, *drachmam unam.*
Coquantur ad consistentiam ferè pultis, addendo
Farinæ tritici,
Mellis, *ana uncias duas.*
Misce fiat Cataplasma. vel

Recipe Fæcum vini, *uncias tres.*
Farinæ secaliceæ, *uncias duas.*
Caphoræ, *unciam semis.*

Spi-

Spiritus vini, *quantum sufficit.*
Misce fiat Cataplasma. vel

Recipe Fœcum Vini,
Panis secalicei, *ana partes æquales.*
Coquantur ex cerevisiâ jopensi in formam cataplasmatis.
Sequuntur nunc quædam Fomenta : ut

Recipe Cerevisiæ jopensis (seu potius lupulatæ) *uncias tres.*
Spiritus Matricalis, *uncias duas.*
Salis Armoniaci, *guttas decem.*
Misce fiat fotus. vel

Recipe Tabaci, *Manipulum semis.*
Nasturtii hortensis, *Manipulos duos.*
Phellandrii, *Manipulum unum.*
Coquantur ex vino dulci ad uncias decem, colaturæ adde
Spiritus salis armoniaci, *drachmam semis.*
Caphoræ, *unciam semis.*
Misce fiat fotus.

Hic *spiritus Matricalis* & *tinctura assæ fœtidæ* etiam usui esse possunt.

Quando nunc hæc & ejusmodi testiculis applicantur, debent particulæ, quæ tenues sunt & activæ, sese in poros insinuare, vel potius imprimuntur; nam quemadmodum videmus corium ab aquâ tumefieri, quando ejus fibrillæ ab aquosis anguiformibus particulis circumvolvuntur, ita quoque intumescit cutis & cæteræ partes; & quando una parricula est impressa, tamdiu aliæ debent insequi, donec causa producitur, quæ pressionem vi impedit, ne ulterius procedat : materiâ hac ita penetrante, debent necessario illi humores, modo aliqualem habeant activitatem, mobiles fieri & fluidi, quod si procuretur, testiculus sensim detumescet, & humor incrassatus fixas sedes priores relinquet : & ut hæc omnia melius succedant, cataplasmatibus ac fotibus addendum salis armoniaci & tartari nonnihil, quorum particulæ ob rigiditatem magis in poros adiguntur, quam particulæ ramosæ & facile flexiles : eodem modo ac globuli ex tormento bellico majori vi in rem illiduntur, quam simplex pulvis pyrius : convenit quoque Emplastrum de cumino, aut de baccis lauri, cum mercurialibus, sed ob particulas flexiles & oleosas nimium lentè operantur.

Si porro testiculi pus fundant, ulcus detergendum ac deinde consolidandum : ast si frustra omnia adhibita fuerint, castratio erit pro ima medela.

XLIV. CA-

Caput XLIV.

DE BUBONIBUS VENEREIS.

Bubones Venerei.

BUBONES VENEREI, nobis *Klap-ooren*, in inguinum glandulis apparent, & interdum ſub axillis aliisque in locis glanduloſis: adeſt intumeſcentia, calor, rubedo, dolor, pulſatio, & tenſio, quæ phænomena ſunt huic tumori ut plurimum propria.

Materia venenoſa vel ex ſanguine proveniens, vel, quod magis credibile, ex lymphâ à pudendis & partibus generationi inſervientibus redeunte, in canaliculis glandularum inguinalium deponitur, ibique obſtructionem, inflammationem, ſuppurationem parit: de phænomenis hic nihil dicam, quoniam eodem modo producuntur, ſi cauſam venenoſam excipias, ac de phlegmone dictum; dolor enim, rubedo, tenſio, pulſatio &c. conveniunt.

Itaque ad *Curationem* deſcendamus: ſi tumor eſt in principio, annitendum, ut obſtructio ſolvatur, absque ullâ ſuppuratione; ſi hac viâ non fiat, alia eſt inveſtiganda, nempe ut quam primum ſuppuratio promoveatur. Sequuntur in hunc ſcopum quædam formulæ, quæ vel obſtructionem diſſolvunt, vel ad ſuppurationem ducunt: ut

Recipe Tarinæ Tritici, *uncias tres.*
Vitellorum Ovorum, *numero ſex.*
Capphoræ, *drachmas duas.*
Croci, *ſcrupulum unum.*
Mellis, *quantum ſufficit.*
Miſe fiat Emplaſtrum molle. vel

Recipe Ceparum aſſatarum, *uncias duas.*
Fini columbini, *unciam unam.*
Seminis Sinapi, *unciam ſemis.*
Mellis, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Cataplaſma. vel

Recipe Galbani, *uncias duas.*
Pulveris Tabaci,
Seminis Cumini, *ana unciam unam.*
Spirtus vini Camphorati &
Mellis, *ana quantum ſufficit.*
Miſce fiat Emplaſtrum.

Medicamenta hæc calidè ſunt applicanda, & ne applicata erefrigerentur, ut poſt breve tempus ſolet, arenâ calidâ continuo fovendam, ut particulæ penetrantes eo facilius poſſint bubonis poros permeare, & obſtructionem diſſol-

diſſolvere, ſeu reſolvere, atque tunc ſenſim ſymptomata apparentia evaneſcunt. Aſt ſi venenum peccans nimium ſit impactum, canaliculi conſcinduntur, ſecantur, rumpuntur, hinc materia effluit, & pus evadit: facto pure, cultro aut cauterio potentiali bubo aperitur, ut eo celerius curatio maturetur. vel ſequens cataplaſma applicatur: ut

Recipe Fermenti Secalicei, *uncias tres.*
Sinapi, (præparati, ut menſæ ſolet apponi,) *uncias duas.*
Saponis nigri, *unciam unam.*
Spiritus Vini, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat cataplaſma.

Effuſo pure, ulcus *melle chelidoniæ* & *myrrhâ* mundificandum, quod turundis ex linteo carpto fieri poteſt, tunc non tantum mundabitur, ſed & ſenſim curabitur.

Interim aliquando Mercurialibus purgandum, & decoctum ſalſæ parillæ & chinæ bibendum.

CAPUT XLV.

DE VERRUCIS CIRCA ANUM ET PUDENDA. SEU CONDYLOMATIBUS, MARISCIS, MORIS, &c.

Inter ſymptomata Venerea pertinent quoque excreſcentiæ quædam, quæ dicuntur VERRUCÆ ſeu CONDYLOMATA, quæ pro varia figura etiam varia obtinuere nomina; ſi ficum repræſentent, *Ficus* aut *Mariſca* appellatur; ſi Morum, *Morus.* Quædam propendent, & *Penſiles* dicuntur: ſed nomina nihil ad rem faciunt. Horum quædam dura, alia ſpongioſiora, & molliora. Bubones Venurei.

Quando igitur à materiâ acri alicujus gonorrhϾ cutis corroditur, aut alia pars quæ ab hoc liquore tangitur, apertura fieri debet, ex qua carnoſum quid excreſcit, & verrucam quaſi repræſentat, præſertim ſi cutis inducta ſit. Hiſce mulieres magis afficiuntur quam viri, quia ex vaginâ ſemper materia quædam alba promanat, quæ ſi fuerit venenoſa & corroſiva, aut mordax, facilius anus earum roditur quam in viris: imo & ejusmodi excreſcentiæ quidem in ipſâ vaginâ enaſcuntur, quia ibi ſemper materia eſt, quâ corroſio fit. Viri rariſſimè verucis circa anum afficiuntur, quia materia illa ad anum uſque, ut in fœminis, deſtillare nequit: ſed eorum glans & præputium hiſce magis vexatur: aliquando oriuntur intra ani aut vaginæ rugas, non ſecus ac Hæmorrhoides. Hic brevis ero, quia, quæ eſſent hic pertractanda de cauſis hujus excreſcentiæ &c. in ſuperioribus ſatis ſuperque explicuimus, & ne faſtidium pariat, ad *curationem* potius properandum.

Condylomata illa itaque sunt eradicanda, & locus cicatrice obducendus: nullâ apparente aperturâ, locus *oleo* vel *butyro Antimonii*, quod ob particulas corrosivas, omnia corrodit quidquid tangit; item *oleo vitrioli*, aut *spiritu sulphuris per campanam*, quæ ambo ex acidis & corrosivis particulis constant, sed spiritus sulphuris horum est penetrantissimus, quia ab igne parum differt. Litus iste quotidie est renovandus, tunc sensim decident & exsiccabuntur. Postea sequens quidem linteo carpto applicari potest: ut

Recipe Mercurii Sublimati, *drachmam unam*.
Salis Armoniaci,
Cerussæ, *ana drachmas duas*.
Aceti vini, *uncias sex*.
Misce.

Si verrucæ habeant collum, facile chordâ cupreâ aut setâ equinâ sæpius convolvendo decidunt: si apertura ampla post absumptionem remaneat, ea cicatrizanda.

Caput XLVI.

DE LUE VENEREA, VARIISQUE SYMPTOMATIBUS EAM CONCOMITANTIBUS, UT ET DE MERCURII OPERATIONE.

Lues Venerea.

Prodromis Luis Venereæ affectibus descriptis, ad ipsam *Luem* nunc est properandum, quæ solet sequi, si priora symptomata non bene sunt curata: si enim hoc veneno tota sanguinis massa inficiatur, tandem miserè homines luem incurrunt terribilem.

Signa in hoc affectu triplicia esse possunt, nam in principio omnia illa symptomata non apparent, quæ in medio & incremento observantur: & in fine aut summo gradu, multum differunt ab augmento.

Principium difficilis conjecturæ est, nam nemo facile confitetur causam, & si auguratus sis, perfrictâ negabunt fronte: deinde si rem apertè dicas, in summo gradu veritatem elocutam ægrè ferunt: dico itaque difficile esse in principio affectum conjectare: variis tamen signis simul collatis, veritatem nequeunt eludere. In *Principio* hujus affectus signa quædam habentur Gonorrhœæ, cancri venerei, bubonum, &c, nisi simpliciter per contagium, dormiendo cum contagioso, per basia, suctionem &c. malum ortum trahat, tunc primum in ea parte se primo prodit, quæ prius fuit veneno tacta: illud venenum aliquando admodum lentè, nonnunquam citius alas suas explicat: statim tarditatem incessus incurrunt, ideo si quid laboris aut motus est faciendum, ilico defessi sunt. *Secundo* Meticulosi & tristes sunt, cogitationum pleni, quod mirum non est, præsertim si actus illiciti reminiscantur. *Tertio*, color faciei est subflavus,

vus, vel ex pallido flavus cum intumescentia, & oculis concavis. *Quarto*, circa vesperam, & præsertim circa membrorum medium in periosteo sentiunt, qui ab Arthriticis in eo differunt, quod in articulis veniant. *Quinto*, primo adveniunt parvæ pustulæ & dolorosa ulcuscula, præsertim in iis partibus in quibus venenum primo est impressum: atque hæc sunt symptomata quæ in principio maximè apparent.

In *Augmento*, signa quam in principio sunt manifestiora, membra enim multo ad motum fiunt tardiora & graviora. Dolores quoque crudeliores, præsertim in capite. Increscunt capiti ulcera, & pustulæ pus fundentes, quæ etiam frontem, supercilia, barbæ regionem & tandem cæteras totius corporis partes occupant. Fit Madarosis seu capillorum defluvium: fœtet anhelitus; nasus destillare incipit. Interdum Gonorrhœa adest, quæ à principio adfuit; item variæ ulcerosæ crustæ atque pustulæ elevatæ circa pudenda. Remedia vulgaria nihil juvant, ast si adhibeantur, quæ in lue solent adhiberi statim levamen habetur.

Quando ad summum pervenerunt gradum, lues facilius cognoscitur: adveniunt tunc tophi: item ossium caries, ossium nasi ac palati casus, erosiones cranii, aliaque symptomata furentia.

Phæmomenωn *Causæ* hoc modo explicari debent. Primo adest *Lassitudo*, quæ nullam aliam trahit originem, quam ex sanguine viscido, quæ scorbuticis etiam, ob eandem rationem, familiaris est: pituitam in hac lue peccare ex cadaveribus liquet: *Nic. Massa Epist.* 30. *Tom.* 1. Sic inquit, „Plures homines mortuos in hospitalibus secui, qui viventes morbo Gallico laborabant, in quibus venæ per universum corpus plenæ erant pituitosâ materiâ albâ. Quæ pituita longè in quantitate superabat sanguinem, & loca etiam dolorosa madebant eadem materiâ pituitosâ: imo in aliquibus omnes lacerti madebant istâ jam dictâ materiâ, & venæ quoque, ut dixi, repletæ erant eadem. Lassitudo unde.

Si Hæc vera sint, quæ docet *Massa*, pro nostrâ Hypothesi militat. Lassi enim si volatilibus utantur, agiliores fiunt, præsertim post assumptum potum théæ. Itaque si pituita venas & præsertim tubulos musculosos impleverit, omnia organa tardius moventur, & spiritus activi minori quantitate in cerebro & medullâ spinali segregantur, unde motus & actio maximè dependet & quia quasdam continet Particulas obtusè pungentes lassitudo molestiam parit. Eodem modo se res habet ac cum seris ferrugine obductus, quæ ferruginis interventu clavi minus obediunt, sed immobiles fiunt & strigosæ.

Faciei tumiditas est, quia viscidis illis humoribus omnes canaliculi, vasa lymphica, &c. implentur, atque extenduntur, hinc cutis elevatur, & ob expansionem, lævigata apparet cum splendore quodam: sic propter cutis tumiditatem & elevationem *oculorum* orbitæ videntur *concavæ*, & in circumferentia *lividitas* apparet, propter sanguinem crassum, qui per illas venas nequit circumduci, nam à vicinis partibus non tantum premitur & circulus impeditur, sed per se tardè incedit & corruptus est. Facies tumida. Oculi concavi. Lividi circuli.

Porro quoniam ex sanguine tam viscido non nisi perpauci spiritus in cerebro, Tristitia.

bro, &c. ſecernuntur, tam hilares non ſunt; ſed *triſtes* : & quia actum, & malum inde productum ſemper cogitant, cogitationemque ſemper revolvunt, coquunt, &c. hinc continuo ſunt *cogitabundi* : deinde apud Medicum pudent confiteri; & cauti ſunt, ne uxor, conſanguinei, &c. ſciant.

Dolores. Sæpe de capitis, tibiarum, brachiorum, aliarumque partium *dolore* queruntur. Certum eſt materiam illam pituitoſam non ſemper in eodem ſtatu manere, verum illa ſtagnante, magna particularum debet fieri mutatio : nam ob motum, quem à ſubtili materiâ habent magnoperè invicem acuuntur, atque in membranas, perioſteum, &c. illiduntur, illaſque partes pungunt, atque ſic dolorem inferunt. Et quoniam ille motus non ceſſat, ſed particulæ ſalinæ & acidæ magis magiſque exacuuntur, hinc dolores augentur.

Dolores cur noctu magis quam interdiu ſentiuntur. *Dolores* interdiu non ita moleſti quam cum cubitum eunt : quia in lecto, & foribus clauſis corporis ſucci magis incaleſcunt, & hoſtis, interdiu quietus, in actionem & motum provocatur. Sed extra lectum, corpore ab aëre frigido magis cincto, ſucci tardiores incedunt, & diaphoreſis magis regularis eſt, ideoque dolores tunc remiſſiores, vel ferè nulli.

Cur in medio membrorum. In medio membrorum dolores plerumque oriuntur : quia materia illa pituitoſa per totum corpus eſt diſtributa & data occaſione, à motu ceſſat, ſive in membranis ſive in aliis partibus, quibus oſſa proximè inveſtiuntur. Symptoma illud Arthritidi vagæ non eſt abſimilis, ideoque vix diſcerni poteſt : & plurimi dicuntur rheumatiſmo aut vaga arthritide laborare, qui revera ex lue venereâ laborant, ideoque artis eſt illud divinare.

Si materia illa pituitoſa & venenoſa alibi in glandulis cutaneis & vaſculis lymphaticis hæret, ibi puſtulæ ſeu parvæ inflammationes oriuntur, (& propriè nobis dicuntur *de Pokken*) præſertim generantur ubi acini glanduloſi magni ſunt, ut ubi pili creſcunt in capite, ſuperciliis, barbâ, pudendo, &c. eodem modo producuntur ut bubones : ſic quoque ſuppurantur : ſuppuratis cruſta inducitur, quia ſuperficies exſiccatur.

Viſcera puſtulis obſidentur. Illæ non tantum externè comparent, ſed & viſcera iis obſidentur. Doctiſſimus ſui ſæculi *Fernelius* hæc ſcribit *lib.* 2. *Cap.* 14. *de Abdit.* „ Non „ externas duntaxat, quæ ſub aſpectum veniunt, verum etiam in interiores „ quaſque partes, in ipſoque viſcera penetrat, quæ diſſectis mortuis comparent, puſtulis ulceribuſque fœda.

Etiam apud *Joubertum* quædam proſtant exempla. Dicit ſequentia : „ Viſa enim ſunt in apertis cadaveribus fœda ulcera & puſtulæ in ipſis viſceribus : haud ſecus ac exanthemata per morbillos eadem afficiunt. Novi „ enim plures, quibus ex Variola magna, non ſolum trachea, ſed & pulmo „ ipſe fuit exulceratus.

„ Fuit Juvenis, qui maximus tenebatur doloribus lateris dextri. Nullum „ ei remedium proderat. Poſtquam vero mortuus eſt, factâ ſecandi poteſtate, animadverſa eſt cicatrix circa genua : unde factâ conjecturâ eum Gallico morbo laboraſſe. Aperto corpore, invenerunt quod morbo Gallico „ etiam interius totus laboraſſet : in Diaphragmate videbantur maximæ puſtulæ. Ubi autem fuit dolor maximus, dum viveret, ibi ſtomachus habuit

„ cavæ

„cavæ manus instar pustulam, & insuper incumbente cavo hepatis aliquam „similem, ut una alteram comprimeret. Hæc *Gesnerus*.

Non tantum mihi varia exempla prostant prægnantium filios, filiasque parientium & hoc morbo laborantium: sed *Trincavella* quoque exemplum quoddam adducit. „Novi, (inquit) dum Patavii Junior artium studiis „navarem operam, quod uxor cujusdam juris consulti, quæ morbo gallico „affligebatur, cum ipsa nunquam signum aliquod contractæ illius labis ha„beret, sed semper omnino integra fuisset, fœtum tamen edidit crustosis „ulceribus undique scatentem.

Atque hoc modo perplurimi infantes luci exponuntur, qui non statim luis signa habent, sed latet anguis aliquandiu, & postea se sensim erigit, unde illi homunculi aliquando totam vitam miserrimè transigunt.

Quando glandulæ, ex quibus *capilli* erumpunt aut barbæ &c. ita obstructæ sunt, ut pili nutriri nequeant, emori debent & excidere, eodem modo ut plantæ, quibus ab alimento aquoso orbatis, exarescunt, moriuntur; & idem etiam pilis contingit, si alimento frustrantur, arescere coguntur, & decidunt; calvities illa non tantum accedit capiti, sed & barbæ, superciliis &c. Pilorum defluvium.

Qui respicit cadavera videbit totam massam sanguineam esse corruptam, ex qua *halitus fœtidi* oriuntur, quibus & alii adstantes sæpe leviter possunt inficí, nam quidquid alius exspirat, alius inspirat; talis sanguis, tales fructus. Halitus fœtidus.

Et quoniam narium & palati glandulosi acini à pituitosa illa materia, quibus corpora scatent, obstruuntur, fœtor non tantum augetur, sed & nasus destillat, ut in coryza: insuper propter obstructiones supra nasum gravata est frons & nasi radix: interim materia stagnans, cum in eodem non semper manet statu, rodit *Ossicula narium spongiosa*, quæ non sine vehementi fœtore *excidunt*; palatum fit concavum, nasus subsidet, & facies defœdatur. Sic quoque tonsillæ, uvula, gingivæ, &c. consumuntur. An iste liquor, qui in frontis cavitate est, huic rei aliquid contribuat, ossaque narium ac palati corrodat & carie inficiat, vero quidem videtur simile. Casus ossiculorum narium.

Consumpto periosteo, venenum illud ipsa ossa invadit, eaque corrodit, & vermiculari modo perforat, cuniculosque agit. Hinc *caries cranii*, aliorumque ossium totius corporis, & dolores tandem intolerabiles & ossa non tantum perforantur, ac lignum vermiculis perterebratum, sed ita spongiosa redduntur, ut aquæ supernatent. Caries.

Succi continuo post rosionem stagnantes, acescunt; quorum particulæ acidæ sese intra ossis poros insinuant & osseas particulas quasi millenis cuneis ab invicem findunt, hinc loco moventur, & speciem *calcis* seu *Tophorum* repræsentant. Ex chymica analysi liquet materiam illam multum continere salis volatilis, quod nullam aliam habet originem, quam ab ossibus ipsis. Tophi.

In principio facile curam admittit: non immeritò dixerunt *Fernelius*, *Cardanus*, *Ingrassias*, &c. malum illud sæpe post vigesimum, imo & trigesimum annum primo se prodere, atque ita occultè latere, ut patiens ejus insciens sit, quamvis & alios possit contaminare. Nam ab unico seminis grano, mas-

ſa ſtatim ſanguinis non ita inficitur, ut ſymptomata ilico appareant; atque tantum etiam veneni quotidie per diaphoreſin evaporari poteſt, ac ſingulis diebus accreſcit.

Quo ſymptomata magis ſæviunt, eo *curatio* difficilior eſt, præſertim ſi partes quædam corruptæ ſint, ut fauces, palatum, cranii caries, corruptiones in corpore, &c.

Cum ad *curationem* devenitur, advertendum, ut ſanguis ab hoc malo liberetur, atque ad ſymptomata, quantum poſſibile ſit, attendatur.

Cum ſatis ſuperque docuimus omnia illa ſymptomata ex acido venenoſo devenire: nihil melius adhibetur, quam quæ illud domant, temperant, & è corpore expellunt; quod fit purgando, ſudando, ſalivationem excitando, atque remediis alterantibus.

Purgantia nimium non ſunt exhibenda, quibus patientes imbecilles evaderent, & ſudationes non ferrent, medium tenuere beati: in principio, medio & fine non ſine mercurialibus purgandum. Inter purgantia vix mihi ulla differentia; ſunt qui eligunt colocynthidem, præ aliis, ſed quam ob rem, neſcio.


Sudoriferis etiam aliquando mercurialia adjiciuntur, ut *Mercurius dulcis*, *Præcipitatum Album* &c. ſudorifera fiunt ex *Theriacâ*, *Reſinâ Guajaci* &c. Sed inſuper ſudatio quotidie inſtitui debet, mediante ſpiritu vini, idque inſtrumentis ad id appropriatis.

Primus ſudandi modus per inſtrumenta.

Præter communem ſudandi modum per internè aſſumpta, alii habentur per inſtrumenta, quibus quotidie vel alternis diebus aut tertia quoque die, pro viribus ſudatur. Primus modus ſic eſt: æger nudo corpore in lecto decumbit nudus, abſque induſio, tunc tres aut quatuor ſemicirculi lignei adſint, infra quos corpus jacet, qui tranſverſis baculis firmantur, cratis inſtar. Crati porro inſternuntur linteum cum cæteris ſtragulis, atque ſic, excepto capite, totum corpus contegitur, ita ne aër per aliquam aperturam ſubeat. Crates quoque ex viminibus fit, quæ primo tæniis incurvatur, poſtque ſudationem unam aut alteram ita incurvata manet. Deinde habetur aliud inſtrumentum ex laminis ferreis compaginatum, inſtar infundibuli magni, in cujus ſummitate tubulus eſt ſatis amplus, qui perpendiculariter, ad altitudinem cubilis, eſt erectus; is habet alium tubulum cum angulo recto, transverſum, qui verſus cubile porrigitur. Is iterum alium habet cum duobus angulis rectis transverſim, deinde alii duo ei annectuntur, quorum aperturæ ſub ſtragulis & circulis aut crate ſeſe aperiunt.

Exempli gratia: (fig. 7. Tab. VIII.) A eſt infundibulum ſudatorium. B. B. tubus, qui in duabus partibus ſolvitur, ut facilius ad hujus vel iſtius cubilis altitudinem accommodari poſſit. C. alter tubus, ingrediens tubulum G. G. qui iterum in alios duos D.D. deſinit. E. eſt apertura ut ſub tubulo ſpiritus vini accenſus ponatur. F. eſt feneſtella, qua E clauditur. Hoc modo ſpiritus vini vapor aſcendet per B. B. C. G. G. & D.D. ſub crate & ſtragulis.

Porro in inferiore infundibuli parte (in pavimentum enim collocatur) oſtio-


A
C
C
Fig: 2.
G
D
G
D
C
Fig: 7
Fig: 5.
B
Fig: 4.
B
A
B
E
C
A
A
B
D
A
Fig 1.
F
E
B
C
A
C
A
Fig: 3.
Fig: 6
F
B
B

oſtiolum habetur, per quod ſpiritus vini flagrans ſubponitur; quod iterum clauditur, tunc halitus ſpiritus vini aſcendunt per tubulos infra ſtragula, & eodem patiens irroratur, quod tamdiu fit, donec bene æger ſudaverit. Ante & poſt ſudationem, decoctum ex ſalsâ parilla & chinâ calidè ſorbendum. Sudatione peractâ removetur inſtrumentum cum crate vel circulis, & ſudatio per horam continuatur; deinde induſium recens & calefactum ei induitur, iterumque ſurgit. Sed locus in quo ſudatur, fornace (*een kagchel*) calefieri oportet, ne frigus eum corripiat.

Alter ſudandi modus eſt quando quis ſellæ aut ſedi altæ nudus inſidet, cum hypocauſto ſub pedibus; cujus corpus, excepto capite, linteo ſtragulo ab omni parte diligenter contegitur, ne aër ſubeat; ollula ſpiritu vini incenſo ſedi ſupponitur, tunc vapor aſcendens ſudationem procreabit. Interim lectus calefieri debet, ut, ſudatione peractâ, æger ſe ulterius ad ſudationem componat, bibendo interim decoctum, ut ante. Alter modus.

Tertius modus fit calidis imbricibus ſeu tegulis, quæ ad latera, pedes, ſupra ventrem & undique circum corpus ponuntur; quod & arenâ calidâ fieri poteſt. Tertius.

Quartus modus aquæ vapore fieri poteſt, ſive ſimplici, ſive herbis incoctis, qui tubulo ſeu infundibulo excipi poteſt, eodem modo ut per ſpiritum vini docuimus. Quartus.

In India occidentali ſeſe in arenam fodiunt, præter caput, & à calore ſolari ſudant. Quidam ſe curabat in fornace in qua linum ſiccatur. Sudatio eadem eſt, modo tantum largiter ſudetur.

Sudatio etiam in dolio fieri poteſt, modo æger in eo poſſit ſedere, & ſupponere per foramen ſpiritum vini, vel aquam coquentem. Huic rei etiam arcæ ſtruuntur. Decocta deſiderata, ſequentia, ſunto: ut

Recipe Ligni ſancti, *uncias quatuor.*
Corticum ejuſdem, *uncias tres.*
Glycyrhizæ, *unciam ſemis.*

Fiat decoctio ex aqua ad uncias Octoginta, colatura detur uſui. vel

Recipe Radicum ſalſæ parillæ, *uncias quatuor.*
Glycyrhizæ, *unciam unam*

Coquantur ad uncias quinquaginta, colatura detur uſui. vel

Recipe Salſæ parillæ,
Chinæ, *ana uncias tres.*
Ligni ſaſſaphras, *uncias duas.*
Glycyrhizæ, *unciam unam.*

Coquantur ex aqua ad uncias quinquaginta, colatura detur bibendum. vel

Recipe

Recipe Salſæ parillæ, *uncias tres.*
Ligni ſaſſaphras, *uncias duas.*
Glycyrhizæ, *unciam unam.*
Coquantur ex aquâ ad uncias quadraginta. Colatura detur uſui. vel

Recipe Radicum bardanæ, *uncias tres.*
Salſæ parillæ,
Paſſularum majorum, *ana uncias tres.*
Coquantur ex aquâ ad uncias quadraginta, colatura detur uſui. vel

Recipe Radicum chinæ,
Petaſitidis,
Bardanæ, *ana uncias tres.*
Coquantur ex aqua ad uncias quadraginta, colatura detur ſorbendum.

Hiſce quidam addunt purgantia, ſed meum non eſt ægros ita purgando torquere, atque eorum vires exhaurire: ſed interdum licitum eſt non nihil *Colocynthidis*, *Agarici*, *Hermodactylorum*, *Senæ*, &c. addere. Per totum itaque curationis circulum decocta illa calidè ſunt ſorbenda, idque aliquando cum purgantibus. Sunt qui antimonii crudi pulverem decoctis incoquunt, ſed fruſtra, aqua enim nihil ab antimonio accipit, neque mutatur; ſed ſi pulverem ejus quotidie velis dare, proficuum erit: & omnis operatio fere à ſulphure ejus pendet, eadem operatio à communi ſulphure eſt expectanda.

Salivatio, ſeu ptyaliſmus. Extremum hujus morbi remedium eſt *ptyaliſmus* ſeu *ſalivatio*, & abſque ea morbus ſæpe non cedit. Mercurius enim propter volubilitatem non tantum pituitam ad glandulas ſalivares ducit, ſed omne acidum in ſuis poris recondit: non ſine jure, quidam à ſalivatione abhorrent, quia, ſi prudenter non inſtituitur, ſæpe ſuffocantur, præſertim ab imperitis, ſi inſtituatur. Attamen ſi mercurialia negligantur, morbus non raro recrudeſcit, putantes ſe eſſe curatos: itaque uſus mediocris eſt obſervandus. Non admodum conducit in iis, quibus malum in faucibus hæret atque naſo; quando enim acres illi humores à mercurio è corpore verſus oris glandulas ducuntur, ulcera magis corroderentur, atque id, quia glandulæ tunc maximè tument, non eſſet abſque vitæ diſcrimine; ideoque in omni ſalivatione quam lentiſſimè incedendum.

Salivatio variis inſtituitur modis, nempe fumatione, ſed hoc nunc temporis rarius fit; deinde unctione unguentorum aut lotione aquarum mercurialium; & denique per interna.

Fumatione fit mediante *Cinnabari*, quando quis ſedet, eodem modo, ac ſi ſudaret, & infra eum poneretur ignitabulum cum igne, cui cinnabaris injicitur, tunc omnis mercurius elevatur, qui ſe per poros corporis inſinuat, & ſic ſalivatio producitur; ſed is modus nunc vix in uſu eſt; formulæ ſuffumigii ſequuntur: ut

Recipe

Recipe Myrrhæ,
Labdani,
Styracis, *ana unciam unam.*
Cinnabaris vulgaris, *uncias tres.*
Terebinthinæ, *quantum sufficit.*
Misce fiant globuli. vel

Recipe Maſtichis,
Ligni Rhodii,
Aloës, *ana drachmas tres.*
Cinnabaris vulgaris, *unciam ſemis.*
Terebinthinæ, *quantum ſufficit.*
Miſce fiant pilulæ.
Atque ſic variæ formulæ præſcribi poſſunt.

Infumatio illa aliquoties repetenda, nam primâ vice ſalivatio, non niſi raro, excitatur: gradatim & non ſine ſummâ prudentiâ ad ſalivationem eſt deveniendum.

Inunctio fit vel mediante aquâ mercuriali, vel oleis: ſequens conducit per aquam: ut

Recipe ſublimati, *unciam ſemis.*
Aquæ pluvialis, *uncias ſexdecim.*
Miſce.

Illâ mixturâ juncturæ poſſunt inungi, atque cum linteis fovere: hoc modo octavo vel decimo die ſalivatio incipit.

Inunctione unguentorum ſequenti fit unguento: ut

Recipe Mercurii crudi
Terebinthinæ, *ana unciam ſemis.*
Sublimati, *drachmam ſemis.*
Butyri recentis, *drachmam unam.*
Miſce. vel

Recipe Olei laurini, *uncias duas.*
Argenti vivi, *unciam unam.*
Terebinthinæ, *drachmas duas.*
Miſce. vel

Recipe Axungiæ porci, *uncias duas.*
Terebinthinæ, *unciam ſemis.*
Mercurii currentis, *unciam unam.*
Miſce.

Etiam Emplaſtra fiunt Mercurialia, ut *Emplaſtrum Vigonis cum Mercurio*

curio, aut *de ranis cum mercurio*. Cingulis mercuriali unguento unctis etiam salivatio excitatur, sed in quibusdam tardissimè procedit, tutò tamen instituitur. Unguentis hisce juncturæ membrorum quotidie inunguntur: sed eo tempore æger se calidè contineat oportet idque ante fornacem, aut tepidarium.

Quamvis ut plurimum inunctionibus salivatio excitatur, non tamen suaderem, quia propter cutis diversam constitutionem, calculus fieri nequit, quantum Mercurii se per poros insinuaverit: si multum, præter spem salivatio in nimiâ copiâ ad suffocationem usque producitur. Aliorum enim cutis laxa est, aliorum è contra solidissima & firma; aliter ergo bajulus tractandus, aliter delicatulus. Verum si per interna incedas, tunc facilius conjecturam facis, & ex oris fœtore divinare potes, quosque Mercurius vires suas exercerit.

Ast si velimus internè salivam excitantia assumere: sequentia sumi possunt: ut

Recipe Mercurii dulcis, *unciam semis*.
Theriacæ, *quantum sufficit*.
Misce fiant pilulæ, pro decem dosibus.
Matutino atque vespertino tempore dosis unica danda: vel

Recipe Calomelas, *unciam unam*.
Sachari albi, *uncias duas*.
Misce fiant pulveres sex.
Mane & vesperi dosis unica devoranda. vel

Recipe Turpeti mineralis, *grana decem*.
Theriacæ, *drachmam unam & semis*.
Misce fiat bolus.
Pro tribus dosibus. vel

Recipe Præcipitati albi,
Rubri, *ana drachmas tres*.
Macis,
Caryophyllorum, *ana drachmas duas*.
Misce fiant pilulæ.
Dosis à granis duodecim ad sexdecim. vel

Recipe Sublimati præcipitati, *grana duodecim vel sexdecim*.
Theriacæ veteris, *drachmam unam*.
Misce.
Singulis diebus semel sumitur, donec salivatio incipit.

Quando Salivatio instat, vel ventura est, os fœtere incipit, in ore quædam difficultas oritur, faucibus, uvulæ, ac gingivis accedit intume-

tumescentia, cum aliquo dolore. Salivatio non debet sisti, nisi modum excederet alias, enim suffocatio esset timenda.

Si in faucibus, gingivis, malis, labiis, aliisque oris partibus ab acri salivâ ulcera fieri incipiunt, ducatus aureus aut annulus aureus in ore tenendus, in quorum poris multum Mercurii assumitur, & massa aurea argento quasi obducitur: deinde igni committitur, ut Mercurius avolet; iterum ori ingeritur, atque hoc repetitur: alii assumunt multum auri foliacei, sed res est eadem; optimum est os sæpe colluere, ut rodens materia elutrietur, id fit limonum muria, quæ constat ex plurimis particulis volatilibus oleosis & aromaticis, quibus os mundatur, melius, quam amygdalatis, decoctionibus ex ficubus, rosis rubris, rapis, pastinacis flavis, &c. Ast, si ulcera sint majora, & dolores vix tolerabiles, Gargarismata penetrantia fieri solent; ut

Recipe Muriæ limonum,
Spiritus cochleariæ, *ana uncias duas.*
Vini, *uncias quatuor.*
Opii, *grana quatuor.*
Misce fiat gargarisma.

Quando salivatio non satis citò excitatur, dantur patienti quædam sudorifera, quibus non raro prolicitur; ast si nimium ad os profluat, blanda propinatur purgatio, tunc enim pars particularum mercurialium à glandulosis intestinorum acinis segregatur, & per anum foras convehitur: cum porro æger macie extenuatur, quod vix aliter fieri nequit, tunc ei cerevisiam recentem, dulcem bonæ notæ, calidam dato, hoc enim modo non tantum in priorem statum reducetur, sed & vires conservabit.

Quomodo *Mercurius* per globulos minutissimos operatur, & quomodo illi ab acidis spiculis saturantur, *in Institutionibus nostris* satis superque docuimus. Post datum Mercurium, etiam quædam acidum temperantia sunt propinanda, quod fieri potest per diuretica, sudorifera, & cathartica. Inter salivandum semper os, ut supra dixi, colluendum, ut corrodens saliva eluatur, & glandulæ tumidæ deobstruantur. Interim quoque decoctum calide est bibendum ex guajaco aliisque huic malo appropriatis, ut poris totius corporis diaphoresis continuo pateat.

Luem Veneream comitantur non raro *Tophi*, Tumores nempe lapidei, seu tartarei, quibus & Arthritici vexantur. Illi quoque Mercurialibus profligantur, ut Emplastro de ranis cum Mercurio, Vigonis cum Mercurio. Præparatur quædam *aqua Mercurii semper fumigans* quæ capite de stanno exhibetur, in *Chymia nostra.* Tophi.

Tophi quotidie gutta una aut alterâ hujus aquæ fricantur: tunc à Mercurio alis quasi amicitur materia tophacea, & sensim à longo tempore solvitur, à succis fluentibusrecipitur, & foras evehitur. Sed Mercurialia tantum sunt applicanda, si nulla ossium caries adsit, tunc enim incedendum ut in carie fieri solet, raspando nempe, abradendo, ossicula eximendo Aqua Mercurii.

mendo

mendo, cauteria applicando, os pulveribus tegendo, qui præparantur ex *Euphorbio*, *Mastiche*, *Iride florentina*, *Aristolochia fabacea* & *Rotunda*, *Thure*, *Caphora &c.* Si adsint squamæ osseæ, tunc lavandum sæpe sequenti mixtura: ut

Recipe Spiritus vini, *uncias duas*.
Succi Chelidoniæ majoris, *unciam unam*.
Euphorbii, *drachmam unam*.
Misce.

Ulcera & pustulæ pus fundentes laventur *Aqua Mercuriali Fallopii* aut *Fernelii*: vel sequentibus: ut

Recipe Aquæ calcis, *uncias sex*.
Salis saturni, *drachmam unam*.
Æruginis, *grana sex*.
Misce. vel

Recipe Spiritus vini, *uncias duas*.
Salis Armoniaci, *drachmam semis*.
Aloës, *drachmam unam*.
Auripigmenti, *grana sex*.
Misce. vel

Recipe Aquæ sublimati præcipitati, *uncias quatuor*.
Vitrioli albi, *grana sex*.
Myrrhæ, *drachmam unam*.
Misce.

Diæta Instituatur exacta, absque acido, salso, acri, vino, Venere, pinguibus, frigido aëre & potu &c. potus sit decoctum. Cibus sit caro, recens, lac dulce, ova sorbilia. &c.

Gravidæ lue venereâ infectæ, prioribus quinque sex mensibus curari possunt; sed post sextum curatio suspendenda, donec pepererit: nam mensibus posterioribus vires consumerentur, quæ in partu requirebantur, & fœtui majus vitæ immineret periculum.

Ulcera Venerea pudendi labiis advenientia, salivatione in gravidis sanantur, ast quæ matricis substantiam depascunt, vel orificium ejus internum, semper incurabilia sunt.

Infantes infecti, ferè omnes brevi post partum, vitam cum morte commutant.

De Lue Venerea observatio. Vir quidam militaris (scripsit ad me Mechliniâ *H. Snabel Chirurgien Major du Regiment de Monsr. Chevallier de Cinqville, colonel d'Infanterie de les troppes d'Hanover*) primo laboravit glandis cancro (*chankert.*) postea Gonorrhœâ; quâ sanatâ, brevi post sanatus: post hæc iterum de novo Gonorrhœa movet lacertos; omnia incassum tentata sunt. Anno elapso, de-

de Hemicraniâ dextri captis lateris supra crotaphyten musculum conquestus, atque magis noctu quam diurno tempore, cum magno in juncturis doloribus, noctu quoque magis sævientibus. Consultationes cum Doctoribus atque Chirurgis non paucas habuit, ast quidam dixerunt esse Arthritim. Attamen ego dixi (inquit Chirurgus) Domine, est, *Lues Venerea*; ast meum consilium sprevit. Sed consilio alicujus Doctoris Aquisgranum profectus, ut ab Arthritide putatâ liberaretur: postea se bene quidem habuit. Ast brevi morbus recruduit; dixi Domine, salivatione tibi opus est; & sanaberis sed omnia mea respuit, iterum Aquisgranum petiit. Interim Antverpiæ consuluit Dominum *Schuckaart*, qui ei præscripsit decoctiones, sudationes, balnea, linimenta; post hæc se sanatum putabat, eratque lætus. Sed non longè post priores dolores & Gonorrhœa recruduere; & quatuor septimanis elapsis Nephritico dolore laboravit, à quo meo auxilio liberatus: verum artium dolores remanent cum Gonorrhœâ. Hæc ille.

Super hac re meum expetitur auxilium. Dico, (ut ille Chirurgus) illum laborare Lue Venerea; quod ex omnibus signis abundè apparet: Jubeo itaque salivationem aggrediatur quam-primum, ne malum altiores radices agat. Postea, si Gonorrhœa perseveret, sumat tincturam catechu & similia.

Hanc observationem volui annectere, ne Medici illi nasutili & adulatores tam præposterè (vel lucri gratiâ) judicent. Nam à primâ instantiâ Chirurgus hic optimè judicavit de lue & salivatione instituenda.

Nobilissimo & ætatatem colendo Domino Mæcenati, salutem & Observantiam.

SIgnificatur, ex petitione præsentis *Petri*, . . & officii mei ratione, invaletudinem uxoris suæ, rem à principio curationis meæ, cum permissu Mæcenatis benignissimi, exordiar. Alia de lue obser-vatio.

Præterlapsi anni 1696. mense Januario rogatus à Petro. . . . ut uxorem suam curandam susciperem; inveni in ipsis faucibus, pone Epiglottidem, uvulas quasdam, ita ut musculi planè nigri & emortui apparerent. Contra quod malum secundum Chirurgicæ & experientiæ ductum egi. Tamen in præsentia rerum, non potui adhibere in utero ferenti, quæ volui remedia. Partu autem liberatæ salivationem persuadere nullus potui; beneficio tamen aliorum remediorum cicatrices faucium obduxi. Inter hæc febricitante me per Octo Septimanas, non sine Phrenitide, recruduit soporata faucium pestis, quæ tamen medicamini paruit: Tempore autem menstruali miserabiles per omnia membra cruciatus experiebatur.

Ægrotante me, ut dixi, & naso mulieris intumescente; fuerunt qui persuadebant homini, ut in Cimbriam proficisceretur ad sacerdotem quendam, magis vulgo quam doctis notum, ejusque se submitteret curæ; inde ut rediit, satis, ut arbitrabatur ipsa, confirmata, placuit ei brachium suum fontanella (vulgo sic dicto (aperire. Ad quam operam præstandam accersitus

ego, ingratum animadverti fœtorem per nares ejus emitti; rem tamen reticui, ne aliorsum atque deberet, acciperetur, pro ingeniis hominum hujus regionis, ubi si quis, mei ordinis & conditionis, consilii locum habet, eo ad ostentationem non ad communicationem utitur, pro invidia hominum, etiam ad nudum panem extendente; unde ego ut in solitudine destitutus hic ago.

Sed ad rem, dum hæc aguntur, Pharmacopola quidam huc loci commigravit, ille operam suam tempore bene longo, usque ad reditum mariti, ægrotanti locavit, more hominum recentia extollendi, veterum incuriosæ. Rediens conjux ad 27 Octobris anni superioris, flagitavit, ut ego conjunctis cum pharmacopola viribus & arte, uxori subvenirem; cujus petitioni ego vero abnui, haud ignarus sutori non ultra crepidas, & Pharmacopolæ nihil extra officinam. Fortè autem offendens apud afflictam mulierem Pharmacopolam illum, quæsivi ab eo, quid morbi esset, qui ita miserè muliercularn afficeret; & quomodo vocaretur; tum ille; Videsne inquit, salivationem à sacerdote inceptam, sed non peractam esse; vides enim nasum & totam faciem tumere cum pædore; & partes crassiores, quæ ex salivario narium lentore nascuntur, vocatur ei *tabida Lues*. Hæc ille.

Interim in sella considentis nares accuratius inspiciens, animadverti ipsa ossa infecta, & interfinium narium exesum esse, adeo ut muliercula hæc in summa esset, & adhuc sit miseria; ut hoc loco libeat interponere: principiis obsta &c. tamen acrius instante marito, ut nullum non adhiberem curam diligentiamque in valetudine conjugis suæ tuenda ita sedulo egi, ut judicium Dei, hominumque censuram non reformidem, & adhuc pergo, hac quidem methodo, ut cum afflicta non sustinet recipere potionem decoctam, neque amari neque dulcis saporis, rem per salivationem aggrediar. Durante salivatione, meliuscula est, eâ autem transactâ, morbus comedere perseverat, & ad vicina proserpit. Et hoc perillustre est, quod temporibus menstruorum intemperantius depascat. Adhibui satis multa ad hoc malum movendum, sed irrito successu. Quando autem quid provenit, speciem habet massæ terreæ cum sanie. &c. &c.

Vester subjectissimus Cliens
JOANNES HIORT.
Chirurgus.

Christiansandiæ Norvegiorum
18 Aprilis 1697.

Id responsi dedi.

Magister expertissime,

CAsum communicatum legi. Sed mentem vestram de hac ægrâ non apertè aperuisti; sit ut sit, tractari debet ferè eodem modo, ut qui ex Lue laborant. Inquire num salivæ habeat incommoda: num fluxum habeat album, præter solitum, nimium. Num alia symptomata Lui familiaria:

miliaria: si non, cancer est ossium faciei, narium &c. & vix curabilis, idque eo magis quia ore nihil assumere vult; quid itaque in hoc casu faciemus? nisi alternis diebus assumat Mercurium dulcem vel cum sudorifero, vel interdum cum cathartico. Deinde applices ambobus brachiis Emplaplastrum aliquod Mercuriale, sic insensibiliter curabitur & maximam inde recuperabis laudem. Mercurius quippe totum penetrat corpus, corrigit succos peccantes, acida culpabilia mortificat &c. Atque sic illa non auscultent salivatio non tantum est inchoanda, sed ad extremas usque vires est extendenda, idque cum omni, ut nosti, prudentiâ. &c. interim Vester

Amstelodami 1697. 18. *Maji*, *S. N.*

Steph. Blancardus M. D.



STEPH.

STEPH. BLANCARDI PRAXEOS CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superstructæ,

PARS IV.

De Ulceribus.

I. CAPUT.

DE ULCERIBUS IN GENERE AC EORUM CURATIONE.

Ulcus quid. ULcus Græcis Ἕλκος, nihil aliud est quam solutio continui in partibus nostri corporis mollibus, ab inflammatione, ustione, illisione, contusione, lapsu, morsu &c. ortum ducens.

Pus quid. Quoad *formam*, sunt magna, parva, longa, brevia, angusta, recta, obliqua, sinuosa, fistulosa, recentia, inveterata &c. Quoad *locum* in quo habentur, differunt, cutis aliquando, ut & musculi, membranæ, tendines, vasa &c. ab iis afficiuntur. *Causæ* etiam maximè differunt; dolore, callositate, sinuositate, cancrositate, vermibus, inflammationibus, cum vel sine carie, &c.

Extillantes succi etiam sæpe differunt, inter optimos habetur *Pus*, quæ constat ex materiâ albâ & crassâ, bono odore, quæ ex lacte constat coagulato. Sanies. Secundo, *Sanies*, vel sanguis aquosus, qui ut plurimum comitem habet odorem acidum, cum sapore salso, & videtur esse sanguinis serum: interdum sanguinem admixtum habens, atque ideo pus sanguinolentum appellatur. Ichor. Tertio, *Ichor*, estque etiam humor tenuis flavescens, non sine particulis sulphureis ac salsis. Sordes. Quarto, *Sordes*, aut pus sordidum vulgo in modum lardi apparentes, hinc Belgis *spekagtige sweeren*: hæc materia paulo

paulo eſt viſcidior & tenacior, fixè tubulis carnoſis inhærens, cum albedine in modum lardi ulceris parietes dealbans. Quinto, *Virus* eſtque acris, fœtidus ac tenuis humor, ulcera dapaſcens, atque cutim veſiculis corrodens. Sexto, *Meligeion*, erat olim potio ex ſolo melle confecta cum aqua & herba quadam injecta: ſed hic eſt humor in ulceribus melleus ſeu oleoſus, & ut plurimum comitem habens oſſis cariem, ex quibus emanat: cum fœtore fere inſtar oſſis raſpati. Hiſce adjungi poterant plures humores differentes, verum ex præcedentibus cæteri ſatis poſſunt intelligi. Virus. Meligeion.

Quo ulcera calloſiora, vetuſtiora ac profundiora, eo curatu difficiliora. Si ulcus ſe bene habeat, curarique nequeat, ſignum eſt os deſquamari. Circa nervos, tendines, magna vaſa atque principales partes periculoſa ſunt & difficile curantur. Cacochymicis proprium eſt, quod ulcera diu gerant. Bonum pus, citiſſimam curationem indicat; malum portendit, ſi pus ſit tenue, acre & fœtens. Caro fungoſa, non bona. In capitis ulcerationibus cavendum ab oleoſis, corrumpunt enim cranium.

Primo ſunt ulcera detergenda, deinde carne implenda, & denique cute inducenda. Inter detergentia habentur:

Mel roſarum, Unguentum Baſilicum, de Apio. Emplaſtrum Gratiæ Dei, Diachyli cum Gummi, Reſina pini, Spiritus Vini, Terebinthina, Vitella Ovi, Fuligo, Pix, Gummi Elemni, Ærugo, Spiritus Vitrioli, Mel Chelidoniæ Majoris, Alumen, Sapo, Præcipitatum Rubrum, &c.

Horum & ſimilium motu, quidquid demortuum quaquaverſum ſecando & ſcindendo abroditur, præſertim ſi acribus quibusdam acuantur. Hiſce inungitur turunda, quæ calefacta ulceri inſeritur, deinde Emplaſtrum ex diapalma &c. ſuperimponitur, parsque affecta faſciis deligatur: & hoc modo ulcus ſingulis diebus mundatur: aſt ſi omnia ſine turundis fieri poſſunt, (uti mecum ſentit Induſtrius Dominus *Joh. Muys* in Chirurgicalibus ſuis obſervationibus) melius eſt.

Quo ulcus magis ſordidum, eo ſunt applicanda magis acria. *Unguentum ſuppurativum* deſcriptum in capite de phlegmone ſummæ hic eſt utilitatis: ut &

Recipe Unguenti baſilici,
Apoſtolorum, *ana unciam unam.*
Præcipitati rubri, *drachmam unam.*
Miſce. vel

Recipe Reſinæ pini, *unciam unam.*
Terebinthinæ, *unciam ſemis.*
Saponis vulgaris, *drachmas duas.*
Miſce. vel

Recipe Unguenti fuſci F. Wurtz, *ſemunciam.*
Apoſtolorum, *unciam unam.*
Ægyptiaci,

Gummi Elemni,
Terebinthinæ,
Colophoniæ,
Myrrhæ, *ana unciam ſemis.*
Spiritus vitrioli, *guttas decem.*
Miſce.

Si in ulceris circumferentiâ quædam inflammatio eſt, inunge unguento albo caphurato: aut ſequens impone emplaſtrum: ut

Recipe Emplaſtri diapalmæ, *unciam ſemis.*
Colcotharis vitrioli, *drachmas duas.*
Olei olivarum, *quantum ſufficit.*
Miſce fiat Emplaſtrum.

Imponuntur quoque Cataplaſmata roborantia & penetrantia, ut & lavamenta: ut
Recipe Herbarum abſinthii vulgaris,
Scordii,
Phellandrii, *ana manipulum unum.*
Florum camomillæ, *manipulos duos.*

Coquantur ex vino in formam cataplaſmatis, omnibus contuſis adde:

Farinæ orobi, *unciam unam.*
Miſce. vel

Recipe Foliorum rutæ,
Abſinthii latifolii,
Nepetæ,
Apii,
Florum meliloti,
Sambuci, *ana manipulum unum.*

Fiat ex vino decoctio, cui adde

Farinæ lupini, *uncias duas.*
Miſce fiat cataplaſma. vel

Recipe Spiritus vini, *uncias quinque.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Aloës, *drachmam unam.*
Miſce fiat fomentum.

Mundatis ulceribus, ſarcotica imponuntur: ut ſunt ſequentia:
Radices ariſtolochiæ rotundæ, conſolidæ majoris, Herbæ alchimillæ, Veronicæ,

ronicæ, *nummulariæ*, *pyrolæ*, *solidaginis saracenicæ*, *Aloës*, *balsamum sulphuris*, *peruvianum*, *copaybæ*, *bdellium*, *mastix*, *myrrha*, *gummi anime*, *pix*, *resina pini*, *terebinthina*, *styrax liquida*, *oleum trifolii odorati*, *unguentum aureum*, *basilicum*. *Emplastrum diapalmæ*, *diachyli cum gummi*, *gratiæ Dei &c.* quomodo detergentia, sarcotica, & cicatrizantia operentur, in Institutionibus nostris antea docui.

Ulcere carne impleto cicatrizantia imponuntur, ut sunt sequentia:

Antimonium, *bolus*, *calx lota*, *minium*, *lapis calaminaris*, *tutia*, *lithargyrium auri & argenti*, *plumbum ustum & crudum*, *pompholix*, *terra vitrioli dulcis*, *cerussa*, *thus*, *mastix*. *Unguentum album camphoratum*, *diapompholigos*, *nutritum*, *oculare*, *Emplastrum diapalmæ*; *diachylum simplex*, *& cum gummi*, *griseum*, *minii*, *opodeldoch F. Wurtz* &c.

II. Caput.

DE CURATIONE ULCERUM CUM SANIE.

Ejusmodi ulcera cognoscuntur ex dolore adjuncto, salsedine, sero cruento, colore albo, rubro, aut livido.

Difficilè & tardè curantur; membranæ etiam non tam citò curationem admittunt ac caro.

Parandum est decoctum ex salsâ parillâ, chinâ, guajaco, sassaphras, &c. porro incedendum, ut in priori capite dictum: hoc modo etiam proceditur in ichorosis ulceribus: deinde siccantia & acidum temperantia sunt applicanda.

III. Caput.

DE ULCERIBUS LARDUM METINENTIBUS.

Ulcera lardum mentientia (vulgo *spek-sweeren*) diæta sanantur & decoctis ex salsâ parillâ, chinâ &c. Potus Theæ in omnibus convenit ulceribus. Ad detergendum fiat sequens lavamentum:

Recipe Foliorum scordii,
Absinthii latifolii,
Centaurii minoris,
Sabinæ,
Florum rosarum rubrarum, *ana manipulum unum.*
Coquantur ex vino ad *uncias viginti*, colaturæ adde
Aloës,

Myrrhæ, *drachmam unam.*
Unguenti ægyptiaci, *unciam unam.*
Misce fiat Lavamentum.

Huc quoque pertinet *Aqua divina Fernelii*, *Aqua viridis Hartmanni*, hisce ulcus sæpe lavandum, deinde optima digestiva cum præcipitato rubro aliisve medicamentis rodentibus sunt imponenda; ulcere bene depurato, agitur, ut antea dictum. Corrodentia hic meritò sunt in usum vocanda, quia ulcera illa sæpe labia & parietes habent scirrhosos, qui temperatioribus non obsequuntur: nam illud lardo simile, est chylus seu succus nutritius in ipsis fibris coagulatus, qui duritiem induit.

IV. Caput.

DE ULCERIBUS SINUOSIS SEU FISTULOSIS.

Ulcus fistulosum. ULcera sinuosa seu Fistulosa sunt ulcera inveterata, quæ sese profundè intra partes corporis molles insinuant, angusta sunt & callosa, cum uno aut pluribus sinubus.

Non aliunde originem habent quam ab humorum ex vasis ruptis intra musculorum capacitates, exstillatione; qui eundem statum non semper servantes, tempore fiunt acidi, & acres; atque tunc omnes parietes quos continuò præterlabuntur, fiunt duri & callosi, hoc est scirrhosi, & fibræ ubique redduntur obstructæ; & quid sit scirrhus, in superioribus diximus. Atque sic ulcera sinuosa fiunt callosa. Incurrunt aliquando cancrum, quando succi, per illas fibras currentes, magis ac magis incrassantur, & tandem à cursu inhibentur, atque tunc labia & latera livida & plumbea evadunt.

Habent unam vel plures cavitates, iterdum unam vel plures quando plures sunt, nominantur *cuniculi*, quia cuniculi eodem modo suas cavernas effodiunt: ast si una, *specus* vocatur. Locis etiam differunt. (Cuniculi. Specus.)

Labia hujus ulceris plerumque sunt alba, atque etiam callosa, si malignitas nonnulla adjungitur: dura quoque, cum dolore aut pauco: interdum sicca, & non raro etiam multum humidi rorantia; exstillans pus tunc cum sonitu exprimitur. Stylus profundè introduci potest, aut si obliqua sunt, candela cerea. Si extremitas in carnem finitur, fundus est mollis, sed in os durior. Si tangat nervum, dolor intolerabilis sequitur, atque pus est oleosum, neque pars affecta se debitè movere potest. Si os attingitur, & inæquale fit, *caries* adest, atque effluens pus sæpe tenue est, fœtens & colore nigro. Si circa venam est, pus est cruentum. In articulationibus materia effluit instar ovi albuminis, glutinosa.

Causæ sæpe fuerunt præcedaneæ inflammationes & ulcerationes, vaso-

vaſorum ruptiones, lapſus, caſus, punctio, hæmorrhoides, &c.

Omnia ejuſmodi ulcera difficillimè ſanantur, præſertim, ſi articulos occupant, ut & oculorum angulos, veſicam, anum, uterum &c. quo ſinus plures eo curatu laborioſiores. Caries oſſium, caro fungoſa, dolor, inflammatio, febris &c. ſi comitantur, omnia mala. Et curationi minus auſcultant in ſenibus quam junioribus, imo & in cacochymicis, cachecticis, ſcorbuticis, lue venereâ laborantibus, quam alias ſanis. Labia ſi non dura, ſed mollia & humida, bonum.

Quæ omnia remedia reſpuunt, curâ palliativâ ſuſtinentur. Quæ interdum ſanari minantur, ſed intus cava manent, non ſanantur. Ut itaque ad bona remedia deveniamus, danda ſunt decocta ex ſalſâ parillâ, chinâ, ſaſſafras, guajaco, herbis vulnerariis &c Superflui humores exiccandi, pars roboranda, & calloſitas removenda. Primo communia remedia ſunt adhibenda, & quando nihil efficitur, ad ferrum candens deveniendum: ſi varii ſint ſinus, cultello in unum ſunt ſecandi. Sequentia maximè in uſu habentur.

Radices *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Conſolidæ majoris*, *Chelidoniæ majoris*, *Ari*, *Gentianæ*, *Hellebori albi*, *Valerianæ*.

Folia *Hyperici*, *Chelidoniæ majoris*, *Centaurii majoris*, *Apii*, *Hederæ terreſtris*, *Nicotianæ*, *rutæ*, *Sabinæ*, *Scordii*, *Abſinthii latifolii*, *Solidaginis Saracenicæ*.

Semen *Sinapi*, *Napi*, *Raphani*, *Naſturtii*.

Succus *Chelidoniæ majoris*, *Ari*, *Tithymali*, *apii*.

Lixivium, *Ærugo*, *Vitriolum*, *Auripigmentum*, *Alumen*, *Calx*.

Aqua divina Fernelii, *Aqua viridis Fallopii*, *Aqua Mercurialis*, *Præcipitatum Rubrum*, *Sublimatum*.

Unguentum Fuſcum F. Wurtz. Ægyptiacum, *Lapis Alchymiæ*, *&c.*

Ut pars externè roboretur, coquuntur cataplasmata ex ſcordio, phellandrio, ruta &c. quæ in vino coquuntur. Aut Emplaſtrum de cumino, oxycroceum, ceratum ſantalinum &c. vel

Recipe Baccarum myrti,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Florum Roſarum Rubrarum,
Seminis Cumini,
Sumach, *ana drachmas tres.*
Reſinæ pini,
Ceræ flavæ,
Olei hyperici, *ana unciam unam.*
Miſce fiat Emplaſtrum.

Injectiones etiam in ſinuoſitates fiant: ut

Recipe ſucci chelidoniæ majoris,
Apii, *ana uncias quatuor.*
Vini, *uncias tres.*
Aloes, *drachmas duas*
Miſce. vel

Recipe Caphoræ, *unciam unam.*
Vitrioli albi, *uncias quatuor.*

Contunduntur in pulverem tenuem, atque ſartagini impone, & in modum lapidis alchymiæ igne torreat, donec rubeat: iterum materia pulveriſetur, addendo boli rubræ *uncias quatuor*: & ſerva ad uſum. Si quando velis uti, ſume libras duas aquæ pluvialis, quando coquitur, adde præcedentis pulveris cochlearia duo, bene agita, & poſt ſubdentiam clarum decanta, quo linteo carpto lavabis.

Sequens in cruribus humores fœtidos fundentes & ſanationem renuentes cum bono ſucceſſu admoveri poteſt: ut

Recipe Salis Armoniaci, *uncïas quatuor.*
Vitrioli Romani. *uncias tres.*
Lithargyrii, *Semunciam.*
Camphoræ, *uncias duas.*
Miſce

Hujus pulveris ſume ſemunciam, coque in aquâ pluviali, adde deinde
Nucis Moſchatæ, *ſemunciam.*
Præcipitati albi, *drachmam ſemis.*
Miſce.

Linteis calidè læſæ parti impone ad fovendum: vel

Recipe Aquæ fortis, *unciam unam & ſemis.*
Mercurii vivi, *unciam unam.*
Aquæ rutæ,
Chelidoniæ majoris,
Solani,
Ariſtolochiæ rotundæ, *ana uncias duas.*
Miſce. vel
Recipe Vitrioli albi, *uncias duas.*
Boli Albæ, *unciam unam.*
Aluminis, *ſemunciam.*

In crucibulo in lapidis duritiem coquatur, materia relicta in aqua plantaginis, aut pluviali, pro re nata miſceri poteſt.

Unguentum fuſcum F. Wurtz, ut & *Mel Chelidoniæ majoris* utrumque in ſuppoſitorii duritiem coctum, fiſtulis inditur; ſi ſit neceſſe, acriora ſumi poſſunt,

possunt; nam si labia, & fistularum latera callosa sint, cruda, & nuda fieri debent, quare *Præcipitatum rubrum* convenit; & si non sufficiat, ad cultrum aut ferrum candens deveniendum. Huc quoque pertinent corrodentia, ut: *Phlegma*, *Oleum*, *&* *Spiritus Vitrioli*, *alumen ustum*, *Vitriolum Cæruleum*, *Ærugo*, *Aqua divina Fernelii*, *Mercurialis*, *Fortis*, *Unguentum fuscum*, *Ægyptiacum* &c.

Remota callositate, proceditur, ut in priori parte dictum.

V. CAPUT.

DE FISTULA ANI.

QUando ani fistula est oritura, & materia acris exitum necdum invenit, intolerabiles, ob affectas partes membranosas, ano adiacentes, oriuntur dolores; aperto abscessu, materia acris, fœtens, tenuis cum sanguine emanat, atque sic in FISTULAM ANI transit vel unam vel cuniculos plures habentem. Vix ægri in lecto decumbere, sedere, ambulare, &c. queunt. Hæ fistulæ vel anum penetrant, vel non. Ani fistula.

Difficillimè curam admittunt, & tum Chirurgis tum ægris non parvam pariunt molestiam: enascuntur non raro dura tubercula, quibus fæcibus alvinis exitus denegatur. Rectum intestinum perforantes, vaginam, & vesicam, non consolidantur nisi rarissimè admodum. Si necdum anum, &c. penetrant, cum difficultate curationem admittunt, & planissimè non curatæ, non lædunt quidem, sed nonnunquam hæmorrhoidum in modum sanguinem fundunt, aut saniem: sed si fluxus invalescat, quod ab alvo astricta fieri solitum, non raro ægri vel Hydropem incidunt vel extabescunt.

Antequam ad operationem Chirurgicam eatur, solent admovere quædam externa ut hirudinum suctio, scarificantiones, ut & ulcus detergentia, mundificantia, & carnem generantia, consolidantia. internè sumantur decocta ex chinâ, salsâ parilla, &c.

Ast si hisce non cedat, alia est ingredienda via, tunc enim specillo immisso fistulæ altitudo exploratur, quâ cognitâ vel ferramentum aliquod leve & flexile, vel linum crudum tenuissimum quintuplex ad palmi latitudinem ita contortum, ut unitas facta sit, seta equina obvolutum, & specillo stanneo vel plumbeo perforato insertum per fistulam impellunt, inditoque digito indice manûs sinistræ in anum, vel ferrum istud flexile, vel specillum cum filo occurrens per intestinum rectum educunt, sicque vel podice extracto carnem, quæ inter fistulam & internam recti intestini superficiem intercedit, scalpello aliquantum falcato una vice incidunt, ut unus eorum, quæ descendunt, pateat exitus, vel cum specillo extremâ parte inclinato simul inserti etiam lini caput præhendunt, & cum altero ejus capite bis aut ter vinciunt, reliquum vero ex lino dependens intortum ad nodum alligant, jubentque ægrum, ut se ipsum secet per vices, quotidie scilicet nodum fortius alligando, donec id, quod inter duo ora interjacet, eodem modo secetur,

tur, ac ſcalpello factum eſt, linumque integrum reddatur. Si tamen multa caro inter fiſtulam & inteſtinum rectum interponi, aut cum fiſtula pertentatur, perquam altè ſpeculum penetrare videatur, ſectionem minimè volunt inſtituendam, ne dum ſectio incautius obeatur, ſimul muſculi inteſtinum conſtringentes imprudentius præſcindantur, ægerque fæces delabentes inpoſterum continere nequeat, ſed invitus egerere cogatur.

Facta vero ſectione, vulneri iſti linamentum indunt, ne ſua ſponte, coëat eademque fiſtulam efficiat, donec cauſtico medicamento, auripigmento nimirum præparato, aut alumine uſto, quidquid putridum exiſtit & calloſum abſumatur, & caro ſana per ſarcotica, unguentum de minio, lithargyria &c. reficiatur.

Non penetrantium ani fiſtularum orificium & ductum dilatant vel radice gentianæ, vel ſpongiâ exſiccata, &, ſi nihil obediat, ſinum excidunt forfice vel cultello, carnemque putridam & calloſam cauterio quodam itidem abſumunt, cujus loco interdum linum byſſinum ſucco tithymali magni intinctum, & flore æris uſto & contrito inſperſum, vel linamenta unguento ægyptiaco illita & implicata ad fiſtulæ longitudinem demittunt, vel paſtillos ex minio in aqua plantaginis aut communi, aut melle roſato diſſolutos linimenti formâ adhibent, aut fiſtulas aliaque ejuſmodi ulcera lixivio ex cineribus ſarmentorum vitis parato, in quo pariter mel roſarum diſſolutum fuit, abluunt, & emplaſtrum de ſalice externo eorum orificio imponunt.

Si fuerint inveteratæ & penetrantes, raro curantur, ideo potius quietæ relinquendæ, quam plurimis irritare remediis. Callus cathæreticis aliquando abſumitur, nonnunquam cauterio. Plurimi ſi adſint cuniculi, ſcalpello aut forfice diſcindunt, ut oculis appareat fundus, & ſi callus non abſumatur corrodentibus, tunc quidquid reliquum cauterio conſumunt: deinde curant vulgaribus, balſamo peruviano, copaybæ, &c.

VI. Caput.

DE FISTULA LACHRYMALI.

Fiſtula lachrymals. Caruncula lachrymali exulceratâ, ſequitur non raro Fistula; dicta Lachrymalis, eſtque ulcus anguſtum quidem ſed profundum, & inveteratum intra naſi radicem & canthum oculi magnum, cum vel ſine inflammatione. Ob nimiam profunditatem, & pus remanens, cuniculos agit, ac ſubjectum os carie afficit, & graveolens humor continuò emanat, & tunc cura ægre peragitur, idque ob oculi continuum motum, humoremque aſſiduè extillantem, ob medicamenta acria, quibus oculus læderetur, deinde quod ſplenia & ligaturæ convenientes vix poſſint imponi.

In eadem non ſemper eſt ſtatu, ideoque eadem ſemper adhiberi nequit cura. Nam aut eſt calloſa, aut os ſubjectum eſt corruptum. Si adſit callus ferro incidendus, ac fiſtula dilatanda. Si æger ferrum reſpuat, tunc tantum gentianæ radice aut ſpongiis dilatandum; vel nonnihil alicujus cauſtici, ex

ruptori

ruptorio infernali admovendum, idque prudenter ne oculus lædatur. Remoto caustico, ulceri inspergitur nonnihil præcipitati rubri, idque cum linteo carpto, cum emplastro convenienti. Remoto callo, consolidatio fit balsamo capaybæ aut peruviano, aut alio quovis optimo unguento.

Ast si os carie sit affectum, tum immisso specillo durities quædam & resistentia animadvertitur; os tunc denudari debet, & abradi: foramen linteo carpto impletur, donec caro suas fibras emiserit; interim labia vulneris unguento siccante, ne humor emanans in oculum fluat providentur. Si os planè cariosum sit, tum pulvis Euphorbii inspergendus; alii cauterio actuali utuntur, sed est ægris horrendum, quamvis bene factum; & longè melius quam cauteriis potentialibus ut oleo vitrioli, aqua forti, butyro antimonii &c. quia proserpendo plus ossi nocent quam prosunt. Post hæc omnia, ulcus, ut alia ulcera, est deligandum, & oculus collyriis est custodiendus.

VII. CAPUT.

DE ULCERE VERMINOSO, ET PHTHIRIASI.

Quomodo VERMES, PEDICULI, &c. in nostro corpore crescunt, à nemine adhuc rectè demonstratum. Ab experientia mihi constat, omnia animalcula ex ovis & ovulis provenire, ast quomodo in nostris proveniant corporibus, sub judice lis est. Microscopia multum juvant; quando iis inspicimus acetum, lac, sanguinem, caseum veterem &c, vermiculis scatent. Causa est, quod à muscis innumera ova lacti aliove liquori immittuntur, quæ in caseo & butyro etiam manent. Item in aceto, aliisque cibis plurimis. Hisce positis, mirum videri non debet quomodo in homine ejusmodi animalcula producuntur; fit tamen ut fit, de lanâ caprinâ longè lateque disputare, ægris levamen non adfert. Nam quamvis plurimi adulti pediculos alant, qui ex lendibus sive ovulis producuntur: tamen valde juniores seu impuberes, licet millies vestimenta & indusia mutent, nihilominus pediculis permultis abundant, & illa species primo intuitu non ex lendibus provenire videntur: imo iste *Pedicularis morbus* tantum pauperibus non familiaris, sed & divitum pueri non sunt ab eo liberi, quantumvis quotidie bis terve ab iis purgentur. Vermes unde.

Fortasse omnes è lendibus nascuntur, & liberi antea fortè habuerunt Herpetem, vel alias aperturas in cute, in quibus casu una, pluresve lendes deciderunt, & sub crusta inducta manserunt: (magnatum enim filii non magis ab ejusmodi insectis liberi evadunt ac pauperum, quia ab ancillis communicantur, vel è scholis aliisve locis) lendes porro non sem-

per eundem ftatum fervantes, tandem excluduntur, idque fub cruftâ illâ; ex hifce iterum aliæ lendes, aliique pediculi prodeuntes, in immenfum denique numerum familiam fuam atque colonias extendunt. Ultimo magna vi cutim tumoris in modum elevant perforantque; hinc tumores pediculis pleni; & quoniam colonias fuas in plura loca emittunt, ideo quoque plurimi oriuntur pediculares tumores, ex quibus catervatim continuò exeunt' nam fub cute bonum videntur invenire alimentum. Vide de vermium generatione in *Inftitutionibus noftris*, ut & *Tractatum Belgicum de infectis.*

Raro fani funt hoc morbo obnoxii, funt enim ἄχροοι, macres, fætentes, febre laborantes &c. ulcera, quibus pediculi continentur, materia fætida funt repleta, & ab iis præterfluentes fucci contaminantur; atque corrumpuntur: at ifte prætercurfus, cum fit continuus, etiam fanguis magis ac magis inquinatur, hinc omnes totius corporis fucci prorfus inficiuntur; hinc nutritio corrupta; hinc prædicta fymptomata.

Ulcera, quæ ut plurimum caput infeftant, lavanda & mundanda iis, quibus pediculi moriuntur. Calcis aquam cum tincturâ aloës hic fummoperè conducere arbitror, cum materia, qua pediculi nutriuntur, hifce planè immutatur, atque hac detracta, etiam fenfim productio imminui debet, lotio illa fæpiffimè reiterari debet. Convenit quoque tabaci coctio cum fapone. Et hæc fi non juvant ad præparata ex mercurio deveniendum, quæ certam promittunt curationem: atque præcipitatum album butyro eft admifcendum, vel vini fpiritui, pro lavameno, Sed prudentur incedendendum, alias juniori ætati falivationem inducunt.

Ulcera itaque his vel illis animalculis fcatentia, forcipula funt eximenda: & ad ulterius detergendum, amara & acria erunt utilia: ut.

Gentiana, Helleborus albus, Colocynthis, Centaurium minus, Abfinthium latifolium, Mentha crifpa, Marrubium, Diptamnus, Scordium, Aloë, Myrrha, Ærugo, Fel Taurinum, Mel Chelidoniæ Majoris, Auripigmentum, Sublimatum, unguentum arthanitæ, &c.

Recipe Radicum gentianæ,
Colocynthidis,
Aloë, *ana femunciam.*
Coquantur ex vino ad uncias duodecim.
Fiat lavamentum. vel.

Recipe Aloës,
Myrrhæ,
Æruginis,
Fellis taurini, *ana drachmas duas.*
Mellis chelidoniati, *quantum fufficit.*
Mifce fiat linimantum.
Mundato ulcere, procedendum ut ante.

Quoad

Quoad interna, quotidie uſu veniant decocta ex chinâ & ſalsâ parillâ &c. ſalia volatilia, & lavantia cum mercurio dulci.

VIII. CAPUT.

DE ULCERE CUM OSSIS CARIE, ET SPINA VENTOSA.

Rarum non eſt ulceribus quandoque os adjungi corruptum, quod CARIES dicitur, quæ ad curandum non parum difficultatis parit. Caries oſſis

Cauſa videtur eſſe ſuccus quidam acris & acidus, qui nos rodit; quod liquet ex applicandis, quæ omnia ſalem acidum deſtruunt. Cauſa itaque ſi conſiſtat in ſale acido, quid itaque efficient aqua fortis & ſpiritus vitrioli in ejuſmodi caſibus; videmus enim oſſa, ebur, dentes &c. acidis ejuſmodi deſtrui? ſed acida illa non adhibentur tam ad curandum, quam ad cariei cauſam tollendam, ne ulterius proſerpat, atque tunc facilius ſcalpendum & Cauterizandum. Cur acida in carie convenire poſſunt.

Signa ſunt triplicia: *prima* ſunt quando & cute & carne adhuc os eſt tectum, & tunc profundè ſupra os ingens dolor eſt, quia perioſteum roditur, aſt corroſum verſus exteriora dolor magis augetur. Atque tunc oritur intumeſcentia, quæ interdum mollis eſt, inflatus aut durus: ſed aperto tumore, ut plurimum mollis eſt lardo ſimilis, ex quo interdum materies oleoſa effluit cum maximo fœtore: turundæ item & Emplaſtra ulcere aperto maculantur nigredine.

Secunda ſunt, quæ ſpecillo deteguntur, quod ex inæqualitate conjicitur, & maximè ex ſupra dictis ſignis.

Tertia, apparent αὐτοψία, quando oſſa in principio oleaginoſa videntur & pinguia, tunc unguium in modum albent, deinde lividitate ac nigredine, fragilitate, ſpongioſitate, carioſitate &c. corrumpuntur.

Caries circa tendines, nervos, vaſa majora, quia eodem malo afficinntur, periculoſa eſt. Curatio ſæpe tardè procedit, & raro curationem integram admittit: & ulcus de novo recrudeſcit, ſi os adhuc exfoliatur ſeu desquamatur. *Caries* in oſſe duro, melius quam in ſpongioſo, aut oſſium capitibus &c. quo *Caries* profundior, eo curatu difficilior. In ſanis melior quam in cacochymicis, ſcorbuticis.

Si ulcus ſatis non ſit profundum, corrodentibus excavandum; cavendo à nervis, tendinibus, vaſis majoribus &c. Carie contraria remedia ſunt acidum domantia: ut.

Radices Iridis Florentinæ, *Ariſtolochiæ Rotundæ*, *Rubiæ Tinctorum*, *Bryoniæ*, *Peucedani*, *Dracuntii*, *Tormentillæ*, *Zedoariæ*, *Zingiberis*. *Lignum Guajacum & ejus cortices*. *Pini Cortices*, *Myrrha*, *Maſtix*, *Aloes*, *Olibanum*, *Euphorbium*, *Calx*, *Oculi Cancri*, *Oſteocolla*, *Corallium*, *Lapis Calamina-*

laminaris, *Tutia*, *Scoria Æris*, *Pumex*, *Antimonium Crudum & Diaphoreticum*, *Æs Ustum*, *Cinamomum*, *Crocus*, *Conchilia*, *&c.*

Sequentem pulverem ossi insperge:

Recipe Euphorbii, *drachmas duas.*
Aristolochiæ Rotundæ, *semunciam.*
Guajaci, *drachmam unam & semis.*
Misce fiat pulvis. vel

Recipe Iridis florentinæ, *unciam semis.*
Euphorbii,
Aloës,
Thuris, *ana drachmam unam.*
Foliorum Theæ,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*
Aquæ vitæ Matthioli, *uncias sex.*
Mellis chelidoniati, *uncias duas.*
Misce fiat injectio.

Hæc lotio fiat aut injectione, pro ut fieri potest. Omnium optimè Euphorbii pulvis inspergitur, quia non rodit; probè cavendum, ne olea aut unguenta os tangant, quia aliquando cariei causam constituunt. Hic spiritus matricalis summoperè convenit, quia valde penetrat, & acida temperat.

His nihil si efficiatur, & os sit nudum, scalpendum est, scalpris ad id accommodatis, ast si caries profundas miserit radices, caudente ferro malum radicitus evellendum, aut terebrandum, alias nunquam scopum tangeres. Carie separatâ atque ab hoste liberatâ, ulcus more solito curatur.

Spina Ventosa, ut vocatur, à carie gradu differre videtur: nam est etiam ossium corruptio, maximè circa articulos, & ut plurimum in Junioribus; & magis in corruptione ossis consistit, quam in carnis ulceratione, quamvis ejus mali sit pedisequa.

Causa etiam in acido consistit. particulis viscosis involuto, quibus pori obstruuntur, atque sic tandem acriores fiunt, hinc ossium corrosio, atque in hoc malo particulæ, quam in Carie acriores sunt. Si caries sese in principio manifestat, facilius curabitur. In spina porro ventosa malum ab interiore ossis parte principium habet, & antequam cognoscitur, tota capitum cartilago, quâ membrum vertitur, ut & os durum perforatum est.

Spina Ventosa.

In principio non facile cognoscitur, & signa ita intricata sunt, ut vel peritissimus possit eludi: ast malo accrescente, satis ad oculum è se prodit. In initio ægrè cognoscitur, ob ossium duritiem, & earum partium insen-

insensibiltatem: deinde quia ab interiori causâ originem sumit, ideoque symptomata prius non indicantur, nisi cum viribus prævaluerit, ipsumque os perterebratum sit: ast postea cum malum invaserit periosteum, cærerasque partes os cingentes, tunc omnia symptomata simul ingruunt, & cognitu facilia, ægerque ab acri & pungente dolore conqueritur.

Intumescentia interdum mollis est, inflata, figurâ ovali, interdum quidem planâ & depressâ; color cum parte æqualis, & dolor membri motu non parum augetur: febris nunc molestior, si adsit, nunc remissior. Malo porro ulterius radices agente, fistulæ fiunt, corrosis nempe membranis, ligamentis, musculis, cæterisque partibus os cingentibus, ex quibus tenue, & acerrimum pus funditur, quo specillum omnem suum nitorem deperdit. Denique ægri emaciuntur & cacochymiam incidunt, unde nihil boni expectandum.

Si locus cognitus necdum sit apertus, aperiendus; cæterum scalpris sive raspatoriis, uti & cauteriis candentibus per cannulam adductis, ut in carie dictum, incedendum est.

Refert *Henr. Roonhuise*, de virgine cui magnum ossis femoris frustum carie erat consumptum, exemptum, & locum callo impletum, ita ut nulla claudicatio remanserat: sed memini alicujus patientis cui os humeri carie ferè putrefactum erat ita ut frustum spithamæ longitudine serrâ ablatum sit; sed is locus iterum ita callo concretus, ut brachium illud ferè æquè bene movere possit ac alterum. Historia.

In carie tam ossium, quam dentium aliquando videmus ossa in latitudinem magis extendi & incrassari, quia salia in ossium poris manent, eorumque fibras obstruunt & ab invicem discedere faciunt; quod in conchiliis manifestum; est mihi enim concha ex repositorio Ducis magnæ Hetruriæ missa, quæ constat ex plurimis lamellis, ab invicem ob materiem insinuatam, leviter separatis. Sic quoque ossa lamellatim secedunt. Intra lamellas & poros aliæ particulæ se insinuant, & lamellas ab invicem recedere faciunt, quemadmodum lignum, interveniente cuneo, dilatatur. In Carie ossa in latitudinem crescunt.

In carie ex lue vereneâ ossa, ob exesionem continuam tam levia redduntur, ut aquis innatent.

Absque vulnere externo fungi sæpe sub cute ex ipso osse excrescunt, qui sensim accrescunt, indolores, molles, cum cute ejusdem coloris, postea per se erumpentes, qui, si auferuntur intra paucas horas immensum usque iterum excrescunt, & si ablatio quotidie fit, quotidie quoque renascuntur], serum, ichorem & nonnunquam sanguinem fundunt.

Causa externa aliquando provenit à lapsu, casu, contorsione, contusione, illisione in rem duram &c. hinc sæpe vascula lymphatica, aliave rumpuntur succumque exstillant, qui acris & acidus factus cariem ossibus adducit; sic tandem arteriolæ minimæ aliaque vascula periosteum perrumpentia corroduntur, quorum extremitates à succis affluentibus, (quoniam per venas reduces reduci nequeunt) elongantur, & brevi temporis spatio Fungi ex carie.

in magnam molem excrefcunt, præfertim fi denudantur, tunc enim nullum repagulum eft.

Ob mollitiem à vulgari abfceffu tangentibus non videntur differre, facculum puris æmulantes: ideoque Chirurgi hac in re fæpe folliciti funt, ancipites num pus, num fungus fit, figna enim externa eadem funt. Si aperiatur citius crefcit, & fungo ablato, iterum refurgit.

Fungo infperguntur pulveres corrofivi, & fi non abeant, candens ferrum eft aplicandum, quod eft remedium proximum. Ex palati offe tales excrefcentias ferro candente ablatas novi.

Fungi ex cerebro &c. Cranio vulnerato, fracturaque ablatâ, ex cerebri fubftantia aut meningibus interdum fungos propullulare vidimus: fed in hifce cavendum à medicamentis corrofivis aut ferro ignito, fed temperatioribus incedendum, ex quibus pulvis *Fabr. Hildani* conftat, cujus ingredientia funt *Radices Angelicæ*, *Calami Aromatici*, *Ariftolochiæ Rotundæ*; *Iridis Florentinæ*; *lignum Guajacum*; *Flores Salviæ*, *majorana* & *Rofmarinus*.

Oculis. Quæ de cerebro dixi, idem de oculis teftatur experientia, fungos quoque orire fine prægreffâ offis carie.

IX. Caput.

DE ULCERIBUS CUM SUPERFLUA CARNE, SEU FUNGOSA.

Ulcera cum cum fuperflua carne. SÆpe ob Mecicamenta per fe vel alias fupra modum caro quædam fungofa & fpongiofa vulneribus increfcit, idque brevi temporis fpatio: melius enim eft, tardius crefcat, quia tunc folidior evadit. Quomodo illa producitur *in Inftitutionibus meis docui.*

Senfus interdum eft dolorofus, fi attingatur, & facile fanguinem emittens, cum fungofitate: interdum color eft lividus, plumbeus & lardo fimilis. Emanat plerumque tenax & vifcidus humor, non bene olens.

Raro curationem admittunt, imo maligna fiunt & cancrofa.

Spongiofa caro eft amovenda, ut optima de novo fuperincrefcat: ideoque conveniunt cauftica quædam: ut

Præcipitatum Rubrum, *Alumen Uftum*, *Cortices Granatorum*, *Colcothar Vitrioli*, *Ærugo*, *Oleum Vitrioli*, *unguentum Fufcum Felicis Wurtz*, *Ægyptiacum.* *Aqua Mercurialis*, *Divina Fernelii*, *Lapis Alchymiæ*, &c ex hifce pulveres & unguenta fieri poffunt: Carne illâ confumptâ vulgaria medicamenta ufu veniant.

X. CAPUT.

DE OZÆNA, SIVE NARIUM ULCERE FOETENTE.

Quando ab acribus quibusdam humiditatibus membranæ nares intus investientes corroduntur, ulcera veniunt cum fœtore & difficultate quasi cerebri, ut in coryza, cujus nomen OZÆNA. Ozena.

Curatio non tantum admodum est difficilis, sed, decidentibus ossiculis, nasus non parum defœdatur. Præter interna, externè adhibeantur detergentia & suppurantia. Laudat quam maximè *H. Mercurialis* attractionem urinæ asininæ in nares, quod etiam propriâ urinâ fieri potest. Idem præstant succus scarleæ cum melle. Vel *Hartmanni* aqua viridi utuntur, quâ ope penicilli nares intus sæpe lavantur: & turunda ex linteo carpto intruditur. vel

Recipe Thuris,
Aluminis,
Minii,
Mercurii dulcis;
Corticum Granatorum, *ana drachmas duas.*
Coquantur ex vino ad uncias sex.
Misce fiat lavamentum.

Fumigationes etiam præstant; ut

Recipe Mastiches,
Benzoin,
Santali citrini, *ana drachmam unam & semis.*
Cinnabaris factitiæ, *semunciam.*
Misce fiat pulvis.

Conveniunt etiam unguentum fuscum F. Wurtz. Ægyptiacum, mel Rosarum, &c. Si hisce nihil profeceris, ad cauterium actuale veniendum. Si veniat ex lue venereâ, sæpe ossiculâ decidunt cum vehementi fœtore, atque tunc etiam non tantum supra præscripta sunt adhibenda, sed & mercurialia.

XI. Caput.

DE PAPILLARUM RIMIS, EJUSQUE ULCERIBUS.

Rimæ circa prapillas.

Lactantibus mulieribus non raro contingit mammarum papillas cuticulâ denudari, atque in rimas finiri, sive ab inflammatione, acri infantis salivâ aut eorum aphthis, aut aciditate, &c. lactis. Unde inter sugendum ingens dolor. A salivâ acri, vesiculæ papillis adveniunt, ac si à cantharidibus essent excitatæ, quibus apertis suctio non nisi cum dolore peragitur: sic etiam à fortiori suctu vesiculæ fiunt. A salivâ acri eodem fiunt vesiculæ, ac aliquando à nimiâ qti, aut à febribus erysipelata circum labia fiunt.

Si infantis fiat culpâ, is restituendus *ut in Praxi nostra edoctum*: verum sugant per corniculas, uberum ovillorum papillas, aut ubera cerea. Quam primum infantes lacte saturati sugut, papillæ sugnt abluendæ spiritu vini, tunc quidquid acre abluitur. Pro fissuris sequentia sunto.

Recipe Seminis pshyllii,
Cydoniorum, *ana drachmas duas.*
Aquæ rosarum, *quantum sufficit.*
Fiat mucilago ad uncias tres, colaturæ adde
Caphoræ, *scrupulum semis.*
Misce. vel

Recipe Gummi arabici,
Tragacanthi, *ana drachmam unam.*
Aquæ plantaginis, *quantum sufficit.*
Fiat mucilago, ad uncias tres, colaturæ adde,
Cerussæ, *drachmas duas.*
Misce. vel

Recipe Mucilaginis seminis malvæ,
Pshyllii, *ana unciam unam.*
Salis saturni, *grana octo.*
Misce. vel.

Recipe Cremoris lactis dulcis, *uncias duas.*
Cretæ allæ, *semunciam.*
Misce.

In exulcerationibus rimarum valent summo perè balsamum sulphuris & de peru, ut & recens oleum myrrhæ: in ipsis rimis spargitur pulvis gummi arabici cum nonnihil tutiæ. vel

Recipe

Recipe Florum recentium calendulæ, *uncias quatuor*.
Butyri recentis, *libram unam*.
Coquantur ad ſucci conſumptionem.
Fiat unguentum.

Sic etiam lardi pinguedo quæ candenti forcipe exprimitur; item oleum ex juglandibus oleoſis eodem modo expreſſum, multum ad præcavendas fiſſuras juvant. Item in papillarum Eryſipelate conveniunt lactis recens cremor cum ceruſſâ aut cretâ; ut & aqua ſambuci cum caphorâ, aqua calcis vivæ. Solutio vitrioli albi non eſt minoris commatis, ſi papillæ ſæpius eâ laventur. *Balſamum Lucatelli* etiam ſummarum virium eſt. Si ex lactis aciditate, unguento albo camphorato aut aquâ calcis, aut oleo ceræ; &c.

XII. Caput.

DE MAMMILLARUM ULCERIBUS.

QUando lac in Mammarum glanduloſâ ſubſtantiâ coagulatur, oritur durities, renitentia, tumor, inflammatio, exulceratio & interdum cancer.

Coagulatur è frigore contracto, quando lactis curſus inhibetur: vel quando ſuo tempore non exſugitur: accedit contuſio, vulnus, Terror, menſium ſuppreſſio, &c.

Facile curantur, modo ritè tractentur, & nullus ſcirrhus aut cancer adſit: ſed ob tenſionem, partes membranoſas, & nervos curatio ſæpe non niſi cum dolore peragi ſolet.

Ante ulcus factum, adhibentur cataplaſmata emollientia ex *Foliis Althææ*, *Malvæ*; *Floribus Meliloti*, *Camomillæ*, *Pane Albo*, vel pro exigentiâ adde *Farinam Fabarum*, *Lini*, *Secalis*. Si pus factum altius jaceat, per cutim ſectio ad puris locum uſque eſt inſtituenda, quo evacuato, ulcus unguento baſilico tractandum & ſanandum, ut in aliis ulceribus fieri ſolet. Si Mammæ nimis pendulæ, magnæ & graves ſint, faſciâ de collo ſuſpenſoriâ ſuſtinendæ.

Caſus.

DE MAMMÆ TUMORE, ET LACTE SALSO, CUM PURE ET SANGUINE.

ANte annos viginti quatuor Fœminæ nobilis Norvagicæ Mamma dextra tumore fuit obſeſſa: & tredecim annos poſt hæc aliud accidebat ſymptoma, finito nempe puerperio, lac profundebat ſalſum, cum admixtâ

tâ aquâ & pure, ex papillâ poftea per multos annos ftillans; aderat interdum nonnihil fanguinis. Poftea fæpe minabatur in Mammâ tumor, quem femper Emplaftro de Meliloto fuperabat: fed ante quinque annos abhinc malum ita prævalebat, ut fub papillâ tumor per fe aperireatur, ex cujus apertura tunc humores cum pure evacuabantur, quemadmodum ex papillâ profluere folebant, quæ interdum etiam tumebat, fed dicto emplaftro interdum imminuebatur. Verum ante annum nunc elapfum ita invaluit, ut juxta priorem aperturam etiam alia aperrieatur, quæ tandem unum ulcus conftituebant, cujus magnitudo digiti articulum æquat: tunc ulterius intumefcere defiit, dolor quoque & compunctio evanefcebant, quos antea nonnunquam, aft non femper fentiebat, verum nunc pus cruentum emanat, imo interdum fanguis fincerus, & non raro lacteus, aft fine fœtore: accedebat nodus fupra ulcus, qui refolvi nequibat Meliloti Emplaftro, aft cum Emplaftrum attractivum (ut dici folet) impofitum fuerat, ex Mamma multum fanginis profluebat. Chirurgus nofter judicat nodum oportere aperiri.

Lac procul omni dubio primo fuit coagulatum unde Mammarum diftenfio & dolor, unde glandulæ lac fundentes fuppuratæ fuerunt, quia cum papillis correfpondebant, ferofum quid & falfum una cum fanguine ftillabant.

Poftea erofis vafis fanguineis, infecutus fuit fanguis. Materia, interim internè quoque rodebat, unam alteramque aperturam faciebat. Porro nodus is, erat glandula adhuc particulis cafeofis obftructa: quæ facile in cancrum potuit degenerare.

Primo applicui cataplafmata ex *Malvâ*, *Althæâ*, *Ficubus*, *Farinâ Secaliceâ*, *Gummi Ammoniaco &c.* Hifce nodum ad fuppurationem perduxi: Turundæ intrudebantur cum unguento fuppurativo, & fuper imponebatur Emplaftrum de mucilaginibus & de meliloto; poftea aperturis ab omni immunditie detcrfis, cicatrifantibus finem impofuimus.

XIII. Caput.

DE PHAGEDÆNA.

Phagedæna. PHAGEDÆNA eft ulcus malignum, & continuo proferpens, hinc Belgis *de Wolf*, & *de Vret*.

A Cancro gradibus differt, quamdiu cancer non proferpit, illud nomen non habet. In ore nobis dicitur *noma* & *Water-Kanker*, de quo ftatim, ideoque non nifi loco ferè differt.

Videtur etiam caufa confiftere, in acri acida, ut de cancro dictum; remedia enim quæ hic applicantur, omne acidum corrigunt. In ipfo cancro acrimonia acida, non tanta abundat copia, quam in hoc cafu. Cancer eft malum quietum, & tantum in glandulofis partibus obftructis; aft in

in Phagedæna tantâ acrimoniâ colligitur, ut etiam viciniæ partes rodantur.

Circumjacentes rodit partes non ſine magno dolore, & cum putatur malum eſſe ſuperatum, brevi poſt recrudeſcit; hinc facile intelligitur, remedia interna æque ac externa eſſe adhibenda, nam internis, hoſtis inſidias parans, vincitur, ſuperatur. 2. Ulcera quoque ſunt faſtidioſa, cum pluribus ſinibus, & labia arroſa, inæqualia. 3. Interdum adeſt albedo fungoſa, lardi colore. 4. Humidum quod emanat tenues eſt & acre.

Ulcera ejuſmodi non ſine periculo ſunt, quia continuo rodunt, proſerpunt, quæ vix compeſcuntur: vaſa quoque magna, tendines, nervi, &c. conſumuntur, corrumpuntur, unde ad functiones actiones & motus peragendos membra inepta evadunt & mutilantur. Quo majora eo pejora, præſertim ſi plurima ſymptomata adjunguntur.

Ad *Curationem* pertinet bona *Diæta*, & uſus ſalſæ parillæ & chinæ quotidianus. Maximè coërcentur ejuſmodi ulcera *Spiritibus Penetrantibus*, *Alcohol Vini*, & *Spiritu Matricali*: hiſce enim dulceſcit acidum, ut in conficiendo ſpiritu nitri dulci apparet. Conveniunt quoque *Oleum Petræ*, *de Lateribus*, *Origani*, *Tabaci*, *Caphoræ*, *Oleaque* cætera, quæ valde penetrant. Si ætas ſit mediocris, tunc aliquando ſublimatum dulce præcipitatum ſumant. In ipſo ulcere externè inſpergitur ſal ſaturni, ſublimatum, alumen, ex quibus lavamenta parantur & pulveres, unguenta; &c. ut

Recipe Aquæ vitæ, *uncias decem.*
Salis ſaturni, *drachmas duas.*
Aluminis, *unciam unam*
Miſce.

Loco aquæ vitæ, aqua quidem ſumitur pluvialis, aut plantaginis: ſic etiam ex lapide alchymiæ lavamenta parantur vel inſpergatur ſequens pulvis:

Recipe Ariſtolochiæ rotundæ,
Antimonii crudi,
Thuris, *ana drachmas duas.*
Æruginis, *drachmam unam.*
Miſce fiat pulvis.

Ipſi ulceri inditur ſequens:

Recipe Unguenti diapompholigos,
Ægyptiaci, *ana partes æquales.*
Miſce.

Additur interdum ſal ſaturni; ut Roſio impediantur; circumferentia,

 ſi opus

si opus sit, illini potest *Butyro Antimonii*. Alii *Amalgama* applicant *ex Mercurio*. Hisce similibusve si nihil efficiatur, ad cauteria candentia deveniendum, & tunc eschara separatur, cutisque &c. inducitur.

XIV. Caput.

DE NOMA, ULCERE ORIS FOETENTE.

Noma. NOMA, est putrescens & depascens ulcus; ut plurimum in glandulis oris sæpe cavum, durum, dolens, nigricans & fœtens.

Causa non raro ortum habet ex salivâ acidâ & scorbuticâ, quâ gingivæ roduntur & graveolentes fiunt. Scorbuticis enim os fœtens satis familiare est, & gingivas, sanguiolentas, præsertim matutino tempore, quod pro emore aquâ sæpe eluitur. Fœtor iste aliam non agnoscit causam quam salivam acrem, salsam & rodentem, quâ gingivæ roduntur, & magis vel minus putrescunt; si oris purgatio & elutio deinde negligatur, saliva fit acrior, unde tandem non tantum ginvivæ, sed & tota bucca labia, palatum corroduntur, & ipsum os carie consumitur. Producitur ex perversâ sæpe victus ratione, ex fructibus horariis, saccharo aliisque dulcibus, acidis, salsis & rodentibus. Per contagii speciem, in alios non raro transfertur; nempe quando ejusmodi patientes simul comedunt, & salivam fœtidam mutuo communicant, vel in uno cubili decumbunt, tunc sanus inspirat fœtidum oris halitum. Infantes & minus adulti hoc malo maximè afficiuntur. quia teneriores sunt adultis texturâ, hinc acri salivâ magis & facilius roduntur, præsertim si mala victus ratio accedat.

Quia continuò proserpit etiam nervi & membranæ læduntur, unde sæpe dolor: adest ut plurimum nigredo, putredo, fœtor, cum inæqualitete marginum, & ossium carie; parres circumpositæ sunt rubicundæ atque maximè induratæ. Pus non apparet, sed fœtens ac tenuis sanies. Ut plurimum infantibus advenit in ore, aliisque partibus fungosis.

Prognosis hic non est admodum favorabilis, nisi in incipientibus: & si cito non coerceatur, patiens sæpe vitam in mortem commutat. Ex contagio major spes est.

Os aquâ calcis sæpe eluendum, vel aquâ sublimatâ & melle rosaceo. Ut hujus mali progressus inhibeatur, inter principialia habebuntur volatilia, ut *Spiritus Cochleariæ*, *Matricalis*, *Olea Stillatitia*, &c. illa quippe vinciunt spicula acida & acria: decocta etiam fiunt ex rebns optimis, ut

Recipe Foliorum Absinthii latifolii,
Scordii, *ana manipulum semis*.
Rutæ,
Phelladnrii, *ana pugillos tres*.

Co-

Coquantur ex Spiritu vini ad uncias decem, colaturæ admisce
Unguenti ægyptiaci, *semunciam*.
Misce fiat collutio. vel

Recipe Spiritus vini, *uncias quinque*.
Caphoræ, *drachmas duas*.
Zingiberis pulverisati, *drachmam unam*.
Misce. vel

Recipe Aluminis, *drachmas duas*.
Mellis Rosati, *unciam unam*.
Unguenti Ægyptiaci, *semunciam*.
Vini Rubri astringentis, *uncias sex*.
Misce fiat collutio.

Deinde ex carpto linteo conficiuntur penicilli, quibus os sæpe eluitur post hanc collutionem spiritu cochleariæ, aut matricali os denuo abluitur, idque quo frequentius, eo melius. Externè cataplasmata calidè sunt applicanda; calor enim penetrat, atque seperationem procurat, ac mortificationem inhibet, quæ aliquando evenit.

Altiores si radices egerit, ad cultrum, & forficem deveniendum, & si penicilli commodè inferri nequeant, injectio est adhibenda. Sæpe cogimur *Oleo Vitrioli* uti, aut *Aquâ Divinâ Fernelii*. Os si carie infectum, *Tulpius* commendat *Cinamomi oleum*, cum oleo sublimati admixtum. Nonnunquam ad cauteria actualia deveniendum, quod commodè per cannulam fit. Factâ separatione, quotidie opus est collutione astringenti. In adultioribus mercurialia in parva quantitate, ne excitetur salivatio, internè dantur, ut & decocta ex lignis, &c.

XV. CAPUT.

DE AMBUSTIONE.

AMBUSTIO, quid sit lippis atque tonsoribus notum: est que triplex, primus gradus, quando cuticula est ambusta, & à cute separata. Deinde cum cutis ipsa ab igne est læsa, & tertia, si partes subjectæ: ut caro, tendo &c. ambustæ sunt. Ambustio.

Causæ sunt res omnes comburentes, ut ignis, aqua fervida, omnia metalla ignita, oleum fervidum, pulvis pyrius accensus, & porro omnia quæ comburere possunt.

Quo profundior ambustio, eo periculosior, tunc enim magna vasa, tendines, nervi summoperè corrumpuntur; hinc gangræna, sphacelus; membra mutila; in oculis cæcitas, &c. Vesiculæ quomodo excitentur.

 Si

Si cuticula rebus urentibus nimis proximè accedat, ignis particulæ non resiliunt, ast in succum ei proximè accumbentem penetrant, in quibus tam vehemens agitatio & motus concitatur, ut vascula cutis lymphatica à cuticula rumpantur, frangantur. Hinc fractis hisce vasculis, humor nequit periodum solitam absolvere, ideoque intra cuticulam necdum ambustam & cutim stillat, atque sic cutis elevatur in bullas seu vesiculas lympha plenas.

Ignis ex quibus constet particulis. Si porro ignis particulæ cuti subjectæ fortius appropinquent, non tantum fibrillæ & vascula epidermidis afficiuntur, (ignis enim constat ex aliquot myriadibus particulis, ensis ac cultri in modum acutis, quæ in more culicum infinitâ celeritate inter se moventur, uti in *tractatu nostro de fermentatione* dictum.) Sed & cutanea textura planè conscinditur, atque secando depopulatur; illa porro dissectio atque destructio, nobis ustam seu escharam relinquit. Et si illa conscissio profundius penetret etiam musculi, nervi, tendines, atque cæteræ partes subjectæ eodem devastantur modo.

Ambusta solummodo epidermide, non procul ab igne pars læsa tenetur, ne motus celerrimus, primo ab igne introductus, nimis citò cesset, frangatque omnes, ab celerem exitum, fibrillas: ast si igni appropinquet, motus ille continuatur, atque tardius evanescit; hinc cuticula ob tardiodiorem refluxum non tam facile à cute abrumpitur, atque vascula minus franguntur: fit eodem modo ac vitra, si subitò refrigerantur, facile dissiliunt, ast si tardissimè ignis motus evanescat, integra manent.

Aut loco læso imponuntur cepæ sub cineribus coctæ, aut sapo niger, sed hujusmodi non sunt vultui, præsertim oculis applicanda, sapo enim nimis rodit; illa, ob particulas activas, perservant quoque motum in partibus læsis, ne derepentè cesset. Hisce adustum à sano separatur, si adustio fuerit nimium profunda: eandem ob causam convenit quoque aqua calcis, ut & muria: hisce præcavetur etiam acor succi stagnantis, quæ præcautio ad curationem facilem multum contribuere potest.

Si eschara sit inducta, sive in ipsa tantum cute, sive etiam in subjectis partibus, tunc ea sunt imponenda, quibus crusta est separanda: conficitur ex cæpis & sapone cataplasma: aut imponitur calx viva cum oleo raparum: alii cretam albam eidem oleo admiscent. Aut componunt *Unguentum ex Butyro*, *Stercore Gallinæ*, *Fuligine Camini*, *Cortibus Sambuci*, *Salvia* &c. quo crusta profundior, eo sint remedia penetrantiora.

Hisce itaque crusta separatur: ratio est, quia constant ex particulis, quæ à subtili materiâ facile moventur, unde & cuti & carni ambustæ talis etiam motus communicatur; & quia in sano alius longè motus est, ideo ambo illi contrarii motus causa sunt, quare demortuum à sano separatur; hoc enim motu fibræ sensim abumpuntur, & illa abruptio & separatio postulatur.

Cuti ambustæ applicetur sequens cataplasma, ut separatio procedat: ut

Recipe Ceparum coctarum, *uncias octo.*
Saponis vulgaris, *unciam semis.*
Misce. vel

Re-

Recipe Ceparum coctarum, *uncias octo.*
Mellis *uncias quatuor*
Misce. vel

Recipe Axungiæ porci, *unciam unam.*
Præcipitati rubri, *drachmam unam & semis.*
Misce. vel

Recipe Olei olivarum, *uncias sex.*
Calcis vivæ, *uncias tres.*
Misce. vel

Recipe Olei raparum, *uncias tres.*
Cretæ albæ, *uncias tres.*
Camphoræ, *drachmas duas.*
Misce.

Conficiatur quoque unguentum ex *foliis lauris & lardi pinguedine.* Conveniunt item *ceparum succus*: decoctio *foliorum Hederæ arborescentis.* Si altius quam cutim ambustio penetraverit, tunc crusta est scarificanda, & sequens admoveatur ad crustam seperandam:

Recipe Butyri recentis, *uncias quatuor.*
Fuliginis camini, *uncias duas.*
Terebinthinæ, *unciam unam & semis.*
Vitellorum ovorum, *numero quatuor.*
Misce fiat Unguentum. vel

Recipe Corticum Sambuci, *maniupulos duos.*
Foliorum plantaginis,
Salviæ, *ana manipulum unum.*
Coquantur ex aqua ad uncias viginti, colaturæ adde.
Fuliginis,
Unguenti basiliconis,
Saponis vulgaris, *ana uncias duas.*
Butyri non saliti, *uncias sex.*
Stercoris gallinæ recentis & albæ, *uncias tres.*
Misce fiat unguentum.

Seperata eschara, procede, ut in aliis ulceribus.

STEPH. BLANCARDI PRAXEOS CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superstructæ,

PARS V.

De Ulceribus.

I. CAPUT.

DE VULNERIBUS IN GENERE.

Vulnera. Quid VULNERA, omni populo notum: definimus esse *vulnus solutionem* in partibus mollibus æque ac duris recens factam & à rebus extra nos productam.

Vulnerum diversitas consistit, 1. quod facta sunt in carne, osse, tendine, ligamento, vasis, &c. 2. sunt vel externa, vel quæ ad interiora penetrant. 3. In capite thorace, ventre infimo, aut artibus. 4. Differunt figurâ, sunt enim recta, obliqua, profunda, vel superficie tenus. 5. A sclopeto, morsu, cum contusione, punctione, casu, sectione &c. 6. Sunt simplicia, cum vel sine ossis læsione 7. Venenata.

Causæ sunt omnia, quæ scindunt, secant, pungunt, serrant, contundunt, &c. ut cultri, forfices, enses, gladii, vitrum, glacies, crystallum, &c. 2. Pungentes ut acus, aciculæ, piscium spinæ, dentes, tela, subulæ, &c. 3. Quæ perterebrant, ut globuli plumbei, grandines plumbeæ minimæ, contractum ferrum (vulgo *schroot*. 4. Contundentia, ut casus, lapsus, verbera, elevatio ponderis gravis, lapidum jactus, &c. 5. Illisus aut casus in rem duram.

Per se externa cognoscuntur satis; sed obscerius vulnera interna ideoque exacta anatomica cognitio requiritur, & usus partium: etiam porro ad symp-

ſymptomata, quæ ex vulnere ſequuntur, eſt attendendum probè, ut & ad ea quæ ex vulneribus educuntur. Sciendum num ſanari poſſint nec ne, aut lethalia ſint.

Periculoſa ſunt vulnera capitis, præſertim cerebri, nervorum, vaſorum majorum, medullæ ſpinalis, pulmonis, cordis, tendinoſæ diaphragmatis partis, inteſtinorum præcipuè tenuium, veſicæ urinariæ, hepatis, lienis &c. Vulnera magna ſæpe lethalia.

Cerebri ac medullæ ſpinalis non raro mortem prænunciant, quia ex eorum vulneribus, apoplexia, carus, paralyſis &c. ſequuntur, nam ſucci nervoſi ex ii debitè radiare nequeunt.

Vulnera cordis, facile mortem inferunt, quia ab his ſanguinis periodus impeditur; præſertim ſi ad ventriculos penetrent, alias interdum evadunt. Idem fit in pulmonis, hepatis, &c. Vulneribus.

Si in nervoſis ac membranoſis partibus accidat, ut in veſicâ inteſtinis, nervis &c. vitam facile cum morte commutant, nempe convulſiones, ex quibus totum ſyſtema nervoſum in anomalias graves irritatur: idem quoque ex venenatis vulneribus expectandum.

Magna vaſa vulnerata, ut vaſa ſub axillis, in feminibus, jugularibus, &c. magnam ſanguinis copiam effundunt, quæ difficillimè ſiſtitur. atque ſic corpus inanimatum relinquunt.

Quando cartilagines, nervi, genæ, præputium, &c. ſauciata ſint, vix denuo conjunguntur, ſed oſſa per callum ad invicem iterum ſæpe connaſcuntur. Inteſtina tenuia, ſi non conſuantur, non conſolidantur. Convulſiones, aut dejectiones nigræ in vulneribus, θανάσιμον. Si magnis & parvis vulneribus nulla intumeſcentia superveniat, malum.

Vulnera cum figura rotunda, difficilius curantur, quam alia figura. Si ſint ſecundum fibrarum ductum, membra rarius mutilantur quam alias. Æſtate curatio promptius ſuccedit, quam hyeme, frigus enim vulneribus noxium, ideoque frequens deligatio non eſt ſuadenda. Ventris vulnera anguſta amplis ſunt periculoſiora. In veſicâ, ſæpe fiſtulam relinquunt cum urinæ ſtillicidio.

Inter vulnerum & ulcerum ſigna mortis prognoſtica, obſervatum à noſocomii lotricibus, quod maculæ ſanguineæ & purulentæ ex faſciis aliiſque linteamentis nolint expurgari, ſi quis ſit moriturus. Et ratio plana eſt, ſi conſideres, ſanguinem, ſuccosque alios eorum quibus mors inſtat, abundare particulis valde acribus & corroſivis, quibus linteum corroditur & quaſi comburitur: in aliis ſanguinem bene conſtitutum habentibus non evenit. Prognoſticum lethale ex linteis ſanguine & pure ſordidis.

De curatione in ſequentibus particulatim.

II. CAPUT.

DE SIMPLICI VULNERE IN CARNOSIS PARTIBUS, CUM QUIBUSDAM SYMPTOMATIBUS.

VULNERA SIMPLICIA in partibus carnosis sunt, quando musculi, sanguinea vasa, nervi aut tendines sauciati sunt.

Differunt profunditate, magnitudine, longitudine, deperditione aut conservatione substantiæ.

Omnia vulnera mala, quid semper mali ominis symptomata sunt expectanda: musculosa parte tantum vulnerata, non adeo timendum.

In *Curatione* nimius sanguinis fluxus sistendus. 2. Inflammationes anticipandæ aut profligendæ. 3 Vulneris labia ad invicem conjungenda. 4. Atque sic retinendæ. 5. Impediendum nequid alieni incidat. 6. Substantia sauciatæ partis in sanitate conseruanda.

Hæmorrhagia si non sit admodum magna, tunc simpliciter linteo carpto, Gossypio, aranearum tela, linteo adusto, &c. sistitur. Ast si potentiora requirantur, tunc ea sumenda, quæ in *capite de extirpatione* diximus. Intus datur nonnihil *Caphoræ*, *Opii*, *cum Aquâ Plantaginis*.

Vulneribus accedunt interdum inflammationes, quando ob fibras abscissas succorum periodus impeditur, nam tunc in vulnus stillant, vel in labiis subsistunt, qui, si incalescant inflammatio & dolor concitantur.

Intus datur *Sperma ceti*, *Oculi Cancri*; & si sudoriferum propinetur, eo melius. Media hic convenientia ex penetrantibus constent particulis, quibus pariter stagnantes succi attenuantur ac lubricantur. Exterius applicatur ovi albumen cum alumine & caphorâ. Aut decoctio ex *Verbena*, *Veronica*, *Alchimilla*, *Bursa Pastoris*, &c. quæ coquuntur in vino rubro rhenano. Aut fit mixtura ex *Spiritu Vini*, & *Bolo*, cui nonnihil *Colcotharis Vitrioli* addi potest. Pellitur quoque inflammatio litu *Unguenti Nutriti*, *Albi Camphorati*, &c. si accedat dolor, utere sequenti:

Recipe Olei Papaveris, *uncias duas.*
Ovum *unum.*
Croci, *grana sexdecim.*
Boli, *drachmas duas.*
Caphoræ, *drachmam semis.*
Misce.

Spasmi, *convulsiones*, cum parum boni portendant, quam primum sunt sistendi: quid propriè sint, *in Praxi Nostra & institutionibus Invenies*, ast qui vulnera sequuntur, differunt nonnihil ab aliis. Hic, in vulnera stillantur succi quidam, quibus membranosæ, tendinosæ ac nervosæ partes irritantur; aut alienum quid vulneri incidit, quoad molestiam parit & motus

tus inordinatos. Hic itaque conveniunt interna ac externa: Interna *in Praxi* habentur. Sed externa sunt ea quæ ex penetrantibus volatilibus & oleosis particulis constant. ut:

Oleum Lumbricorum, *Vulpinum*, *Laurinum*, *Camomillæ*, *Hyperici*, *Terebinthinæ*, *Juniperi*, *Laterum*, *Rutæ*, *Majoranæ*, *Succini*, *Castorei*, *Spicæ*, *Salviæ*, *Ceræ*, *Amygdalarum*, *Petræ*, *Rorismarini*.

Unguentum Nervinum, *Agrippæ*, *Althææ*, *Martiatum*.

Balsamum Sulphuris, *Copayvæ*, *Peruvianum*.

Pinguedo Hominis, *Vulpis*, *Anseris*; *Castoris*, *vulpis*, *Arietis*, *Butyrum*.

Spiritus Vini, *Matricalis* &c.

Hæc & similia calidè vulneri instillantur, quo deligato, pars sauciata est quietè servanda. vel

Recipe Unguenti nervini, *uncias duas*.
Olei petræ,
Rorismarini,
Balsami peruviani, *ana drachmas duas*.
Misce.

Recipe Olei hyperici, *unciam semis*.
Lauri, *unciam unam*.
Spiritus vini, *drachmas duas*.
Terebinthinæ, *drachmas tres*.
Misce.

Barbettus maximè *Oleum Rorismarini* laudat, tam internè quam externè.

Cum alibi de *Hyposarcosi*, *Gangrænâ* & *Sphacelo* locuti simus, de hisce hic loci supersedebimus. Modum quo vulnera per suturam connectuntur, etiam antea dictum: Huc etiam connectuntur, ligatio cum laqueis.

Si quid alieni vulneri inhæreat, ut pili, arenulæ, spinæ, ossicula, festucæ, vitrum &c. illa debent volsella eximi. Vino arenulæ elui queunt. Si volsellâ nihil efficitur, utimur iis quæ *attrahentia* vulgo vocantur: (licet quidem cum vulgo loqui sed non sentire.) ut

Farina lini, *secalicea*, *aristolochia rotunda*, *valeriana*, *beta rubra*, *dictammus*, *ammoniacum*, *galbanum*, *sagapenum*, *resina pini*, *terebinthina*, *pix*, *unguentum basilicum*, *fermentum*, *stercus anseris*, *capri*, *columbæ*, &c.

Vulnera interim curantur *Digestivis Sarcoticis* & *Epuloticis*: ast alii, iis rejectis, absque suppuratione, solis balsamis incedunt: ut est *Balsamum Italicum* antea descriptum, ut & *Copaibæ*, illa tantum calidè vulneri instillantur. Sanat etiam optimè *Succus Chelidoniæ Croceus*.

Aſt *Digeſtiva* locum habent potius in contuſionibus, quam in ſimplicibus vulneribus: ſequentia itaqve *digeſtiva* appellantur: ut

Radices ariſtolochiæ rotundæ, cucumeris aſinini, gentianæ.

Mel, fuligo, vitella ovorum, butyrum recens, farina hordei, tritici, fœnigræci.

Oleum maſtichinum, olivarum, raparum.

Thus, reſina pini, terebinthina, pix, Maſtix, gummi elemni.

Unguentum, aureum, althææ. &c.

Recipe Butyri majalis, *uncias quatuor.*
Reſinæ pini, *uncias duas.*
Thuris,
Ariſtolochiæ rotundæ, *ana drachmas tres.*
Olei hyperici,
Terebinthinæ, *ana unciam unam.*
Miſce.

Quæ carnem generant, ſequentia ſunto:

Radices ſymphyti majoris, iridis florentinæ, ariſtolochiæ rotundæ.

Folia ſaniculæ, pyrolæ, verbenæ, betonicæ, vincæ pervincæ, agrimoniæ, veronicæ, hyperici, virgæ aureæ, conſolidæ ſaracenicæ, equiſeti, conſolidæ majoris, ſabinæ.

Semen lini, fœnigræci, Hyperici.

Aloës, myrrha, balſamum, peruvianum, copayvæ, ſulphuris, ſarcocolla, colophonia, reſina pini, pix, maſtix, gummi elemni.

Bolus, terra ſigillata, ceruſſa, tutia, lapis calaminaris, plumbum uſtum, lapis hæmatites, ſanguis draconis.

Oleum myrrhæ, hyperici, trifolii odorati.

Unguentum deſiccativum, aureum, baſilicum. Balſamum hiſpanicum Aquapendentis, italicum.

Emplaſtrum opodeldoch F. Wurtz. diaſulphuris Rulandi, de betonica, &c.

Recipe Aquæ vitæ rectificatæ, *libras ſex.*
Foliorum hyperici,
Chelidoniæ majoris,
Solidaginis ſaracenicæ, *ana manipulos duos.*
Thuris,
Myrrhæ, *ana uncias tres.*
Infundantur ac deſtillentur, & deſtillatum ſerva: vel

Recipe Olei Hyperici,
Trifolii odorati, *ana libras quinque.*
Reſinæ pini,
Terebinthinæ,

Ceræ,

Ceræ, *ana uncias duas:*
Hyperici,
Rorismarini,
Chelidoniæ majoris, *ana manipulum semis.*
Croci, *drachmam unam.*
Pinguedinis porci recentis, *uncias sex.*

Coquantur & colentur. Hoc oleo sanantur omnis generis vulnera simplicia. vel

Recipe spiritus vini rectificati, *uncias tres.*
Myrrhæ,
Caphoræ,
Mastichis,
Styracis liquidæ, *ana drachmas duas.*
Misce. vel

Recipe Ceræ citrinæ, *uncias quatuor.*
Olei hyperici,
Trifolii odorati, *ana uncias quinque.*
Vini canarini, *unciis tres.*

Omnia lente coquantur, donec omnis humiditas sit evaporata, colaturæ adde

Terebinthinæ venetæ, *uncias tres.*
Balsami Copayvæ,
Peruviani, *ana semunciam.*
Styracis liquidæ, *drachmas sex.*
Santali rubri, *unciam unam.*
Boli rubræ, *uncias duas.*
Misce fiat unguentum.

Valet in omni vulnere, cephalalgiâ, lateris dolore, morsu canis rabidi, peste, cancro, vorialis, morbillis, ventriculi morbis, arthritide, Erysipelate, phlegmone, catharris sic dictis, tussi, pulmonum morbis, phthisi, lapsu, podagrâ, &c. internè ad drachmas duas. Etiam externè applicari potest.

Sequentia dicuntur *Cicatrizantia*, seu *Epulotica*: ut
Radices aristolochiæ Rotundæ, symphyti majoris.
Folia nummulariæ, hyperici, veronicæ, betonicæ, saniculæ.
Cortices granatorum, glandium calices.
Flores balaustiorum, Rosarum Rubrarum.
Cineres & usta, lana cremata, linteum ustum, gossypium ustum, spongia usta, pili leporis usti, testæ fornacum ustæ, plumbum ustum.

Corallia, *creta alba*, *Rubrica*, *bolus*, *terra sigillata*, *lapis hæmatites*, *tutia*, *pompholix*, *lapis calaminaris*, *minium*, *cerussa*, *lithargyrium*, *Gypsum*, *scoria ferri*, *alumen ustum & lotum*, *calx lota*, *plumbi pulvis crudus*, *æs ustum*, *sulphur*, *antimonium diaphoreticum*, *cornu cervi ustum*, *os sæpiæ*, *ebur ustum*, *amalgama mercurii*, *ostreæ testa*.

Sanguis draconis, *acacia*, *aloë*, *Myrrha*, *sarcolla*, *mastix*.

Unguentum album rhasis seu camphoratum, *nutritum*, *de lithargyrio*, *de cerussa*, *oculare*, *desiccativum rubrum*, *diapompholigos*.

Emplastrum opodeldoch F. Wurts, *de minio*, *barbarum gryseum*. &c.

Hæc omnia acidum temperant, quo vulnera læduntur: sequuntur quædam formulæ:

Recipe Boli armenæ, *uncias duas*.
Thuris,
Màstichis,
Amalgamatis mercurii,
Tutiæ, *ana unciam semis*.
Aloes, *drachmas duas*.
Camphoræ, *drachmam unam*.
Olei hyperici, *uncias quatuor*.
Ceræ, *quantum sufficit*.
Misce fiat Emplastrum. vel.

Recipe Boli armenæ,
Lithargyrii auri,
Plumbi usti, *ana drachmas duas*.
Minii, *drachmam unam*.
Terebinthinæ, *unciam semis*.
Ceræ, *quantum sufficit*.
Misce fiat Emplastrum. vel

Recipe Terebinthinæ, *unciam semis*.
Olei trifolii odorati,
Sevi castrati, *ana uncias duas*.
Lithargyrii,
Plumbi crudi, (*quod guttula una aut altera aquæ, in pulverem redigitur*.
Minii,
Cerussæ,
Boli *ana drachmas tres*.
Ceræ, *uncias quatuor*.
Misce fiat unguentum.

Sauciati interdum etiam internis utuntur: fiunt enim decocta ex *glycyrrhizâ majore*, *saniculâ*, *hyperico*, *pyrolâ*, *sanbiâ*, *centaurio minore*, *carduo bene-*

benedicto, *&c.* porro pulveres ex *oculis cancri*, *sabinâ*, *spermate ceti*, *hirci sanguine*, *&c.* potus quoque convenit Theæ vel coffeæ. quam citissimè vulnerum fieri debet deligatio, aër enim ea rodit, iisque nocet.

III. Caput.

DE SCLOPETORUM VULNERIBUS.

Sclopetorum Vulnera ab ulceribus & ordinariis vulneribus differunt, quod partes, sclopeto ictas non tantum lædant, ast etiam circumjacentes. Est enim carnis, ossis, vasorum &c. comminutio. Globuli introitus angustus est & rotundus, sed exitus amplus, sunt cavi, prodi, & fistulosi: primo ut plurimum sine sanguinis effusione; globulus enim fervidus, partes quas transit, urit: ast sunt, qui dicunt globulos non fieri tam calidos. Sclopetorum vulnera.

Globuli in corpore, si remanserint, instrumentis sunt extrahendi, & si ex quibusdam corporis partibus extrahi commodè nequeant, tunc vulnera incisione sunt dilatanda, si cum levamine fieri possit, & si nullam pariat molestiam incisione non est opus, & maneat globulus in suâ sede.

Vulnus ex contusione constans, ad suppurationem est perducendum:

Recipe Olei Rosati, *uncias octo.*
Ovorum,
Vitri subtilissimè triti, *ana uncias duas.*
Ceræ albæ, *unciam unam & semis.*
Corticis interioris sambuci, *manipulum unum.*

Bulliant omnia leniter secundum artem, & colatura erit ad ambusta egregium remedium. Quamvis hic nulla sit ambustio, quia globuli sclopeto emissi non comburunt, tempus enim non habent ut calidi fiant, nullominus comburentes, & si possent comburere, ab intenso calore liquefierent.

Recipe Olei hyperici, *libram unam.*
Terebinthinæ, *selibram.*
Gummi elemni, *uncias duas.*
Viridis æris,
Mastichis,
Succini, *ana drachmas duas.*
Misce fiat Unguentum. vel

Recipe Aristolochiæ rotundæ,
Galbani, *ana uncias duas.*

Re-

Resinæ Pini,
Picis, *ana uncias tres.*
Olei lini, *uncias duas.*
Camphoræ, *drachmas duas*
Terebinthinæ, *unciam semis.*
Misce.

Si adsint dolores, convulsiones, sphaceli, &c. tunc incedendum, ut alibi dictum.

IV. Caput.

DE PUNCTURA SEU VULNERE NERVORUM ET TENDINUM.

Punctura nervorum & tendinum.

INter Vulnera seu Puncturas Nervorum, etiam tendinum numerantur, ut & membranarum & ligamentorum, quæ oboriuntur ex sectione, punctione, contusione &c.

In sauciandi modo differunt. 1. Sunt enim planè abscissi: 2. Vel secundum longitudinem. 3. Aut compuncti, & tunc dicitur *nervorum punctura.*

Signa ex inspectione Anatomicâ sunt satis nota; ut quoque ex symptomatibus, nempe doloris, pulsationis, inflammationis, convulsionis, spasmi, &c. ast tendine aut nervo per longitudinem aut planè abscisso, rarius illa eveniunt.

Symptomata gravia sunt expectanda, imo febres, & non raro phrenitis, & mors. Nervi punctura periculosior longè quam tendinis aut ligamenti. Putredo non raro accedit. Sectio transversa periculosior quam secundum fibrarum ductum

Res alienæ si vulneri, quod aliquando fit, insint, educendæ. Nam quidquid ex fibris nervosis manat, acescit & irritat, unde symptomatum cohors. Atque tunc vulnus est dilatandum, apertèque servandum, ut illi succi, alias intus remanentes, nervosque pungentes, liberius exeant. Si dolor sit intolerabilis, anodyna & cataplasmata applicantur ex *Micâ Panis Albi*, *Croco*, *ovis*, *lacte*, &c. Si putredo accedat, cauteria sunt admovenda, aliaque de quibus in capite de Gangræna & sphacelo locuti sumus. Sic cætera quoque symptomata sunt tractanda, unaquæque pro suâ indole. Remedia debent esse balsamica: ut

Oleum Ceræ, *Terebinthinæ*, *Sabinæ*, *Lauri*, *Anethi*, *Castorei*, *Hyperici*, *Mastichinum*, *trifolii odoratii*, *rutæ*, *rorismarini*, *lavendulæ*, *camphoræ ex radicibus cinamomi.*

Balsamum Peruvianum, *Copaibæ*, *Sulphuris.*

Re-

Resinapini, Euphoribum, gummi elemui, mastich. caranna, tacamahaca, vinum adustum, lacryma abietis, aqua calcis, unguentum fuscum F. Wurtz, terebinthina &c.

Omnia illa acorem prohibent, temperant, eodem modo ac si spiritus terebinthinæ admisceas oleo vitrioli: hoc enim modo ambo dulcescunt: ex ejusmodi variæ parantur formulæ:

Recipe Olei terebinthinæ,
Hyperici, *ana unciam unam.*
Mastichis, *drachmas duas.*
Miscc. vel

Accipe Ceræ,
Picis Liquidæ,
Resinæ, *ana uncias tres.*
Euphorbii, *unciam unam.*
Terebinthinæ,
Olei hyperici, *ana unciam semis.*
Miscc.

Pix liquida in hoc medicamentum est penetrantissimum, hoc norunt illi, qui ex India orientali veniunt, nam si quando navis picabitur, tunc omnes arculas Theæ foliis consarcinatas, cistis recondunt, ne odor picis per capsulam plumbeam intret, saporemque adulteret: idque non ex uno ore sed ex diversis diverso tempore audivi. vel

Recipe Olei ex seminibus hyperici, *uncias sex,*
Florum hyperici, *quantum sufficit.*
Fiat infusio, deinde cola. vel

Recipe Olei terebinthinæ,
Ceræ,
Spiritus vini, *ana unciam unam.*
Euphorbii, *drachmas duas.*
Misce.

Hæc & similia calidè vulneri instillantur, & constringens pulvis inspergitur: ut

Recipe Boli armenæ,
Nucum cupressi,
Sanguinis draconis,
Seminis hyperici, *ana partes æquales.*
Misce fiat Pulvis.

Idem pulvis in continuo ſucci ſtillicidio magnoperè convenit: inſuper applicari poſſunt cataplaſmata vel emplaſtra. Vulnera ab aëris injuriis ſunt arcenda. Si ſtillicidium remanet, cauterio opus eſt actuali.

V. Caput.

DE PUNCTURA APUM, ET BOMBYLIORUM.

AB Apum & Bombyliorum Puncturis oriuntur graves dolores, rubedo, intumeſcentia, & interdum gangræna, aliaque ſymptomata, imo & ipſa mors. Eorum aculei uncos habent recurvos, qui extrahi nequeunt niſi fibrillæ quædam rumpantur; hinc ſucci exſtillatio, qui aceſcit, atque rodendo hæc ſymptomata parit. Si cauſa ab uncis recurvis non dependet, procul dubio ex aculeo venenum (quod amarum & acre guttui eſt) immittitur, nam ſymptomata quædam ſtatim poſt ictum apparent.

Pro medelâ applicatur *Theriaca*, cui ſpiritus vini admiſcetur. Præparantur quoque cataplaſmata ex cepis: vel litus fit ex oleo ſcorpionum, cui tamen non fido. Aut veſicatoria applicantur, quæ juvant intra horæ quadrantem, & veſiculas non excitant, ob breve temporis ſpatium, atque ſic, ut dicitur, venenum extrahitur. Quidam emplaſtrum apponunt ex ſemine lini, ſale & aceto. Aut ex rutâ, lacte, ficis, muriâ, piſce ſalito, halece ſalitâ, contuſis lauri foliis, althæâ, malvâ, farinâ hordei cum aceto. Lac ficulneum, cum eruca, ſtercore bubulino, meliſſa, Tymbrâ, Thymo &c. Si brevi ſymptomata non ceſſent, locus *Moxa* inuratur: aut aqua vel oleum fervidum inſtilletur.

VI. Caput.

DE VULNERIBUS VENENATIS.

Vulnera venenata.

VULNERA VENENO infecta, fiunt morſu quorundam animalium, aut à globulis ex ſclopeto miſſis, aut telis.

Primo adveniunt ſæpe gangræna aut ſphacelus; color lividus & niger, convulſiones, intolerabiles dolores, calor ingens, tremor, delirium, lipothymiæ, &c. Venena potiſſimum conſiſtunt in vehementi acrimoniâ, quæ ſtatim per vulnera diffunditur, omneſque ſuccos coagulat, quæ in circumferentiâ ſunt, unde ſtatim gangræna & ſphacelus.

Scorpionum ictus ſanantur illitu olei ſcorpionum; alii cyperum imponunt, alii cardamomum in vino coquunt, vel pro potu dant lauri baccas cum vino, aut

aut myrti ſuccum. Vel ſuperſtillant lac fici ipſum; ſcorpiones contuſi & impoſiti, præferendi ſunt.

De morſu canis rabidi, *in Praxi* locuti ſumus.

Contra Aſpidis ac viperarum morſus tam internè quam externè Theriaca datur: nam ſudatio hic præſtat. Scarificationes cum cucurbitulis loco affecto adhiberi poſſunt, ut omne venenum extrahatur, deinde cataplaſma imponendum ex theriacâ, cepis, ſtercore hominis, carne viperarum vel aſpidum, vini ſpiritu &c. locus morſu affectus, moxâ aut candenti ferro urendus.

VII. Caput.

DE VULNERIBUS CUM OSSIS LÆSIONE.

SI alicubi oſſium fracturæ ſint, illud ſpecillo vel alio modo detegitur.

Si oſſis fractura ſit tranſverſim facta, tunc partes vulneratæ ita conjungendæ, ac ſi erant in integro ſtatu, idque tam accuratè quam fieri poteſt; (quod tamen in capitis vulneribus locum non habet) & tunc deligatio conveniens eſt inſtituenda.

Quando fractura integra non eſt, ſecundum longitudinem vel alias, tunc oſſis fragmenta adſunt vel non.

Si nulla adſint, vulnus eſt curandum, & ambæ oſſis partes conjunctæ, quantum fieri poteſt, ſerventur, cavendo ab aëre, ut caries ac foliatio ſeu deſquammatio inhibeatur.

Si adſint oſſis fruſtula aut oſſicula parva, à perioſteo libera, illa ſunt eximenda, antequam vulnus clauditur, niſi adhuc cohæreant, aut hæmorrhagia nimis fuerit larga: nam poſtea, dum vulnus ſuppuratur, per ſe quidem exeunt.

Si quando fragmenta oſſi adhuc cohæreant, aut ipſius perioſteo, non ſunt eximenda, nam iterum oſſi conjungi poſſunt.

Quoad curationem in genere, eſt ut antea dictum: ſed ante omnia cavendum ne os pinguibus tangatur: quare ei pulveres ſuperinſperguntur ex *Myrrhâ*, *Ariſtolochiâ Rotundâ*, *Iride Florentinâ*, *Draconis Sanguine*, *Aloë*, *Maſtiche*, *Thure*, *Farinâ Orobi*, &c. Aſt quidam id haud neceſſarium putant, ut ſicci pulveres nudo inſpergantur oſſi, ſed tantum in oſſis carie locum habere; ideoque ei pulveri admiſcent terebinthinam aut ovi albumen.

VIII. Caput.

DE CAPITIS VULNERIBUS.

Capitis vulnera.

OMnia ferè Capitis Vulnera ſunt dubia. Parva quidem periculoſiora quam magna: imo & externa interdum tam dubia quam interna. Ut aliquid certi noſcamus, videndum num cranium, cerebrum aut ipſæ meninges læſa ſint. Vulnus penetrans, ex quo verſus exteriora pus fluit, minus periculi habet, quam anguſtum. Si læſum ſit cerebrum, idque ex adjacentium partium communione, & à parvis vulneribus, periculoſum. Spaſmi & convulſiones, lethiferi. Senſuum internorum abolitio peſſimum. Poſt capitis vulnera hepatis, meſenterii &c. ulcera ſequuntur. Vomitus ſuperveniens, malum portendit. Brevi omnia capitis vulnera periculoſa.

Antequam ad curationem deſcenditur, primo ſciendum quo ſe modo vulnera habent: itaque videndum num pericranium ſit læſum ſive ſectione, punctione, contuſione; num ſit prope ſuturam, aut longè ab ea, aut in muſculo temporali, aut in membranâ eum inveſtiente, &c.

Pericranium *ſectione* læſum, absque contuſione & longè à ſuturis, facile ſanatur: maneat os contectum, & fiat curatio ut ante.

Per *punctionem* aut *contuſionem*, vel *utramque* majus habet periculum, & plura ſymptomata concomitantur: totum enim caput intumeſcit & tuber fit, itaque vulnus ſectione dilatatur, ut humoribus extillantibus & irritantibus exitus concedatur: hoc enim modo plurima ſymptomata præcaventur.

Si Pericranium ſupra ipſas ſuturas ſit ſauciatum, quovis modo id factum, periculoſum, quia craſſa meninx fibras ſuas per eas emittit. Omnis putredo eſt arcenda, ulcus eſt detergendum, carne ſit os tegendum, & ſi nulla cranii fractura appareat, *Curatio*, ut in aliis vulneribus eſt inſtituenda.

Cranii ſi adſit fractura, non eſt absque magno periculo; tunc ſciendum qualis ſit fracturæ ſpecies, variæ enim ſunt. 1. Si os profundè ſit fractum, & exterius oculis non ſiſtatur, quod ſæpe ex contuſione palam fit; aut quando aliquid ſanguinis ex oſſis fractura erumpit, quo os corrumpitur, tunc trepano opus eſt. 2. Si fractura non ſit profunda, detergentibus utimur, ut impurum à ſpongioſo oſſe extrahatur; deinde ſuperinducitur caro, & os à pinguibus arcetur. 3. Eſt cum fracturâ, fiſſurâ, interdum cum nonnihil oſſis deperditione, atque tunc ad meningem uſque penetrat; aſt ſi ſolummodo in ſuperiore diploës lamina eſt, non tantum periculi habet, præſertim ſi fiſſura recta non eſt, ſed obliqua. 4. Adhuc fractura eſt cum variis fruſtulis, quæ tam altè depreſſa eſt, ut meninges comprimantur. 5. Alia adhuc invenitur cranii depreſſio, qua meninges & cerebrum læduntur. 6. Deinde depreſſio eſt in fornicis modum, abſque ullâ fragmentorum abruptione, cum elevatione in marginis circumferentiâ, & in

medio

medio cum concavitate, qua meninges deprimuntur: quæ si attractione restitui non possit, trepanum est adhibendum; in junioribus emplastra valde glutinantia, quibus depressum ad se trahitur, aut cucurbitulæ cæcæ. 7. Alia in infantibus reperitur depressio absque fracturâ eodem modo ac si plumbi lamina mallei ictu concava redderetur; estque tantum depressio absque fissura, quæque duplex est, aut qua tota cranii crassities deprimitur usque ad meninges; aut qua suprema cranii lamina solummodo deprimitur. Si certum sit nullam adesse fissuram aut rimam, nullum periculum expectandum. 8. Ultimo venit *contrafissura*: Sed illa fieri non potest: Sed si quis cadat in partem capitis sinistram, accidit ut relabatur in alteram, & tunc in secundo lapsu fissura fieri potest, illæsâ lævâ parte: si quis hanc fissuram velit nominare *contrafissuram*, subscribam; aliam enim non agnosco.

Fragmenta, quæ non cohærent, si adsint, cautè atque prudenter sunt eximenda: & si introsum vergant, meningesque pungant, trepanizandum.

Applicanda debent esse temperata: ut est *Emplastrum de betonicâ*, *Gratia Dei*, *diapalma*, *defensivum vigonis*, *de cumino &c.* vel

Recipe Fuliginis camini, *uncias tres.*
Thuris, *unciam unam.*
Farinæ tritici, *uncias quatuor.*
Albuminis ovi, *quantum sufficit.*
Misce fiat emplastrum.

EMPLASTRUM NURENBURGENSE.

Recipe Lithargyrii argentei, *libram semis.*
Aceti vini, *uncias viginti.*

Stent per tres dies, clarum decanta, adde

Minii, *libram semis.*
Aquæ sepermatis ranarum, *uncias duas.*

Iterum per totidem dies stent, interdum materiam agitando, subsideat; & clarum effunde, adde materiæ præcipitatæ

Olei olivarum, *unciam unam.*
Salis communis, *uncias tres.*
Caphoræ, *tantillum.*
Misce fiat Emplastrum.

Meninx si sit denudata, sindon applicatur cum melle rosaceo, aut digestivo bono cum terebinthinâ. Deinde vulnus linteo carpto impletur, idque modicè, ne siccatio fiat nimia.

Quando cerebrum diu denudatum fuit, materia quædam spumosa apparet, quæ cerebri videtur esse pars, ea removenda & mundanda, & cerebrum fotibus ex vino est roborandum. Interdum cerebrum cum meningibus extra vulnus prominet, & aliquando pro fungositate agnoscitur. Tunc plumaceolis spiritu vini impraegnatis sensim deprimendum.

Porro Temporalium musculorum vulnera non semper Lethalia sunt, contrarium enim observant authores; sed & ipse non semel musculum temporalem in canibus tranversim persecui, & omnes evaserunt.

Capitis vulnus cum cranii fractura ac depressione in puero septem annorum.

Henricus Smeeks vocatus apud filiolum septem annorum alicujus rustici (*Barent Barentse*) in Pago *Mastenbroek*. Is ab equi ungulâ inter oculos & frontem erat concussus. Puer intellectus ac sensus nullum indicium dabat, & tamquam alto somno correptus, continuò manum vulneri admovens, dentibus vehementer stridebat; immaniter vomebat; & convulsiones magnæ aderant.

Immodica Hæmorrhagia exquisitam inquisitionem impediebat; sed digitis tres fissuras inveniebat; prima à dextro latere ad lævum incedebat, longitudine quidem trium digitorum transversorum, & latitudine straminis; idque supra regionem ocularem, nempe per cavitatem illam osseam, quæ ibi est. Ex hac alia, recta sursum versus superiorem cranii partem procedebat: hanc insuper alia comitabatur usque ad musculum temporalem dextrum: harum longitudinem inquirere non poterat, sed latitudo erat ut prima.

Orbiculari fungo sanguinem primo sistebat, & circa margines linteum carptum applicabat, deinde *Defensivum Vigonis*, ne sanguis siccando, nimium glutinaret, super imposuit. Huic insuper alia tria vel quatuor emplastra ex diapalmâ & resinâ conflata; porro splenia inebriabat Gallico vino calido & vini spiritu, hæc omnia fascia, quæ cancer appellatur, deligabat.

Ruri cum esset, eo tempore in urbem ire non potuit, ideoque eâ nocte ibi pernoctabat: sed hora post somnum initum, excitatur, quia sanguis emanabat, non ex vulnere, sed ex naribus, primo guttatim, sed postea præter modum effluxit: quem fluxum sistebat alumine usto & granatorum corticibus: hunc pulverem albumine ovi irrorabat, & cum linteo carpto naribus quam altissimè intrudebat. Censante hoc fluxu, post semihoram ingentem copiam sanguinis vomebat: unde imminentis mortis, intra sextum aut septimum diem, Prognosin faciebat.

Prima die betonicam in vino gallico coquebat; quo decocto deligationem dissolvebat; sanguis quippe glutinis in modum firmiter erat conglutinatus: deinde fungum orbicularem forfice removebat, marginibus vulneris intactis. Vulnus eodem decocto eluebat. Cranio denudato & fissuris linteo carpto sicco prospiciebat, superimponendo vulgare digestivum. Circa vesperam prodibat sanguinolentum & flavum serum: & fungus à marginibus aliquantulum separabatur. Deinde deligatio, ut manè, ita vesperi instituebatur.

Secunda die immensum usque oculi protuberabant, magnitudine pilæ, quam pueri pro duobus obolis, emunt color erat summè lividus, idque ob stagnantem sanguinem & succos. Applicabat lintea, sequenti fotu saturata: ut

Recipe Vini Gallici, *uncias decem.*
Seminis cumini, *unciam semissem.*
Coquantur & colentur.

Die tertia, aquosum pus apparebat, ex puero nonnihil vocis incipiebat audiri: & fungus planè separatus.

Quinta, delirus loquebatur: ob alvum retentam, suppositorium applicuit, ex *melle*, *sapone Veneto*, & *sale Gemmæ.*

Sexta, cum meliori judicio loqui incipiebat. Sirius fervens, æque ac stridor, putrefactionem minabantur. Penicillo ex linteis filamentis facto aperturas lavabat, idque decocto ex *Scordio*, *Phellandrio*, *semine cumini*, *Myrrha*, *vino*, *ejusque spiritu.* Pus se bene habebat: cum de officulis dissolutis volebat inquirere, puer clamabat; quo pus ita premebatur, ut in ejus faciem prosiliret; causam inquirens, carnem supra nasum elevabat, & videbat superiorem futuram supra nasum sesqui straminis latitudine hiare, & frontis os latitudine quoque sesqui straminis depressum erat.

Deinde supernè in naso squamulam osseam inveniebat: qua remota, sanguinem coagulatum inveniebat, unde ex naso sanguis & aquosus humor profluebat: atque hoc fluxu continuante, puer à capitis dolore & vertigine liberabatur.

Plura officula cum soluta non essent, nulla amplius eximebat: vulnus diu apertum servabat. Carnem immoderate accrescentem sequenti pulvere refrænabat: erat compositus ex *Gentiana*, *Aristolochia*, & *corticibus granatorum*: interdum nonnihil torrebat, aliquando non. Postea *alumen ustum* cum *præcipitato rubro* aspergebat; nihilominus tamen meningibus consulebat.

Die vigesima quarta, pus iterum tenue profluebat, non sine fœtore, quod ab ossibus corruptis provenire judicabat. Jussit puellum Suollam deferri, quod navicula fiebat. Tunc tres incisiones à parte superiore faciebat, & sex officula eximebat inter quæ etiam depressum officulum erat.

Tandem puer in integram sanitatem restitutus est. A principio ad finem usque cancro usus & spleniis, in decocto vini gallici, betonicæ, & myrrhæ imprægnans usus fuit.

Vir nobilis *Gerardus van Haften*, Exconsul & scabinus regens Gorcomii, 1676. 20 Januarii, cum aliis sociis extra urbem supra glaciem exspatiatur; Vir infelix cecidit supra glaciem (non admodum lævam, nam superconge lavarat iterum, inque aliquod lignum casu incidebat, ita ut frustum ligneum, crassitiem & longitudinem fere minimi digiti adæquans, in oculum reciperet: hinc dolores querelæ &c. ast nemo non ignorabat ligneum frustum ab oculo receptum, ast quidem esse illum vulneratum, quod ex effusione sanguinis patebat. Frustum

Ligni frustum minimi digiti longitudine in oculum illatum.

tum illud per palpebram inter canthi interioris glandulam, & oculi bulbum erat adactum.

Domum redeunte & convocato Medico & chirurgo: erat palpebra duobus in locis pertusa, & oculus admodum inflammatus & tumefactus; ita ut per aliquot dies nihil videre potuerit, aderat quoque febricula.

Accuratâ circumspectione adhibita, res eo usque perducta, ut, 9 Februarii, ligni frustulum fabæ Turcicæ dimidiæ magnitudine eximeretur.

Tertio Martii, Chirurgus *Joannes van Lingen*, iterum ligni frustulum extraxit: hisce exemptis, oculus se plane ad curationem accommodabat, effluente quotidie pure.

Tertio & quarto Aprilis oculus & circa oculum patiens magnum sentiebat dolorem: ita ut Doctorem Medicum ac Chirurgum accersiri juberet; tunc intra oculi cavum & dictam glandulam nonnihil ligni prominebat, quod Chirurgus forfice extrahebat: atque illud erat permagnum, quod tempore fere undecim hebdomadarum ibi moram traxerat. Duobus aut tribus diebus post, adhuc quædam fragmenta eximebantur. Paulo post illud temporis sanari videbatur: Sostro utrique dato; nihil ominus tamen interdum quædam ligni fragmina prodiere. Post menses octo & novem dies, 29 Septembris primo in integrum restitutus fuit: erat enim sine dolore, inflammatione, tumescentiâ & febri. Remanebat tantum ingens raucedo, circa nasi radicem magni frigoris sensus, & olfactus abolitio.

Sed quod mirum & notatu dignum, tempore matutino inter quartam & quintam horam, postquam nonnihil adhuc dormitaverat, magnum dolorem derepente circa & in palato sentiebat, quam ingens faucium angustia comitabatur, ita ut se suffocari opinaretur. Tempestate illâ præteritâ, denique per tenue nasi & palati os vi quasi adactum ligni majoris frustum, crassitie & longitudine digiti minimi prosiliebat, idque post annos duos octo menses & tres dies. Post hæc nihil fere molesti amplius sensit.

Per duos annos frustrum fistulæ tabacariæ in naribus retentum.

Bibliopola quidam Amstelodamensis, nomine *Daniel van den Dale*, cum aliis amicis in Pago den Overtoom, prope Amstelodamum recreationis animi ergo, prandebat, post hæc, è mensâ surrectus, fistulam tabaci sugebat: interim dum alii currendo, &c. inter se ludebant, contigit, ut fit, quendam in suctorem illidi, atque sic ex improviso frustum istius fistulæ in nares protrusum fuit: hinc Hæmorhagia, quâ sublatâ, iterum domum redibat, & de cæteris nihil præterea querebatur.

Post duos annos digito nares nonnihil confodiebat, & tubuli tabacarii frustulum dimidium minimi digiti adæquans ex naribus sua sponte decidit: quod mirum, nescius quippe erat istius fistulæ fragmentum in naribus latuisse: deinde toto illo tempore nihil incommodi sentiebat. Hanc Historiam non tantum ex aliorum relatione habui: sed & ipse mihi retulit.

Trepanatio post inflictum capiti vulnus.

Anna van der Wal à vicina, qua cum quæstio de purgandâ plateâ erat, vulnus cochleari ferreo in caput accepit, cui simul fractura cranii cum depressione aderat: trepanum quidem institutum, tamen vigesimo die obiit. Suturâ coronali & sagittali unciæ latitudine distantem invenimus fracturam.

Tre-

Trepanum supra fracturam fuit institutum. Meninx inveniebatur rubicundi coloris & nonnihil inflammata, latitudine, ut conjectura erat, imperialis argentei, cum superficiaria incrustatione, & coagulato sanguine; fragmentum triangulare quoque meningi inhærebat, hoc sublato, supra tenuem meningem, nihil vel parum humidi inventum. Incisione ulterius facta, nonnihil de cerebro ablatum, nihil mali deinceps repertum.

Quæstio nunc est, num vulnus hoc à principio per se & necessario fuerit lethale & incurabile, num vero per accidens? an vero patiens sese neglexerit, an vero Chirurgi culpâ, cum trepanum septimo die primo sit institutum. Deinde vulnus à Chirurgi famulo, ut Vulgaria vulnera sit obligatum: accedit patiens Doctorum & Chirurgorum consilia abnuisse, deinde sese in viam per aliquot horas dedisse: interim continua febri affligebatur.

Respondendum, mortem per accidens insecutam esse; cum fragmentum primâ instantiâ eximi debuisset: deinde se neglexit, respuens omnia medicamenta & consilia fausta, sese in viam per totam urbem exponens. Symptomata enim ordinaria non aderant, neque vomitus, convulsiones, deliria, sopores &c. constabat memoria.

IX. CAPUT.

DE OCULORUM VULNERIBUS, & RESTITUTIONE HUMORIS AQUEI.

OCULI VULNERA sæpe sunt periculosa, præsertim, quia hoc modo non raro *cæcitas* inducitur. Pinguia in hoc casu sunt fugienda; imo uno oculo læso, & alter debet obligari; capitis positio sit erecta, & *curatio* eadem est, ac post remotam cataractam descripsimus.

Cum aqueus humor emanaverit, applicatur aqua chelidoniæ majoris per se ex foliis per balneum maris extracta, cui nonnihil camphoræ admiscetur: ast si cum toto destilletur, eo melius, (valetque in visu debilitato restituendo, quia penetrantium est partium. Alii decocto in hoc casu utuntur ex ossibus bovis, aquâ ex albumine ovi, viperarum pinguedine &c.) vel

Recipe Myrrhæ,
Boli armenæ, *ana drachmam semis.*
Lactis muliebris, *uncias quatuor.*
Misce.

Deligatio etiam fieri potest cum albumine ovi, caphurâ & alumine.

Si humor nimius effluxerit, tardè aut raro restituitur, quia fibræ fuerunt abruptæ. Si cæteri humores emanaverint, *cæcitas* manet perpetua.

Rusticum extra Roterodamum urbem ante aliquot annos vidi, qui ab alio Historia. sclopi

sclopi clava in caput ictus, ita, ut oculi juxta nasum extra cavum penderent; is pro mortuo domum latus, accersito quam primum ex urbe Chirurgo, oculorum cavis iterum restituit, & post aliquot dies æque ac antea vidit & pancratice vixit. Ejusmodi exemplum vide quoque apud *Henr. ab Heers. obs.* IV.

X. CAPUT.

DE VULNERIBUS CERVICIS, JUGULI, OESOPHAGI & ASPERÆ ARTERIÆ.

C*Ervicis* vulnera eodem ferè modo sanantur ut capitis, sed si altè non penetrent, vulgari tantum curantur modo.

Abscissâ *arteriâ carotide*, periculosum, quia sanguinis ascendentis effluxus raro sistitur: ibi enim locus non est proligatura applicanda: ideoque inferior abscissæ arteriæ pars, filo cerato est vincienda & firmiter constringenda; ex superiori enim parte nihil sanguinis stillabit & vulnus balsamo idoneo est deligandum, & quam citissimè sanandum. Sed quæritur, num satis sanguinis, pro cerebro irrigando, ex corde per alteram arteriam carotidem ferri potest? sed exempla docuerunt illæsam arteriam tum alterum tantum dilatari, sed satis larga copia etiam per vertebrales arterias ascendit, & quia omnes illæ arteriæ per anastomoses respondent, nullum est periculum expectandum. Consule Willisium, qui simile exemplum profert.

Ast *vena Jugularis* si fuerit abscissa, tunc superior ejus abscissa pars, & filo vincienda, quia è cerebro sanguis deorsum ruit.

Sed si ad dimidiam partem alterutra erat abscissa, ligatio non adhibetur, ast sanguis compressione præsertim per ministri manum, & astringentibus est sistendus, imo vulnus sutura claudi aliquando poterat. Et si hoc modo sisti nequeat, tum ligandum, nam ex duobus malis, quod tutissimum, est eligendum.

Asperâ arteriâ aut OEsophago planè abscissis spes restitutionis rara est, ast si tantum ex parte vulnerati fuerint, per suturam vulnus claudendum, & balsamo vulnerario vulnus sanandum.

OBSERVATIO DISSECTIONIS ASPERÆ ARTERIÆ.

Quidam nomine *Joan. de Moulyn*, 24 circiter annorum, vulnus accepit, incipiens supra sinistram, & finiens è directo supra dextram externam venam jugularem, ita ut aspera planè fuerit dissecta (nempe supra ejus caput) etiam œsophagus vulnere fuit læsus, ast vulnus parvum; æger erat ἄφωνος & sine voce. Hæmorrhagia ingens subsecuta. Chirurgus quatuor aut quinque acu puncturis & filo vulnus contraxit, deinde Emplastrum glutinans ac insuper splenium vino saturatum imposuit. Fasciâ quoque caput deli-

deligavit firmiter ad humeros, ita ut caput nequiret vertere. Postea tribus vel quatuor horis elapsis, vox ægro restituta, qui fontem indicebat. Post hæc injecti clysteres, ut deponeret alvum. Sorbilia ei in cibum erant. Quotidie digestivo cum myrrha, aloë, & balsamo peruviano vulnus deligatum, & intra triginta dies sine symptomatibus, præter spem omnium, restitutus fuit.

Sed pace Chirurgi, qui mihi hunc casum communicavit, non essem in ea opinione totam asperam arteriam fuisse dissectam, sed tantum partem, alias neque locutus fuisset, neque unquam restitutus: & an œsophagus fuerit vulneratus, dubitarem, quia ob angustum vulnus conspici non poterat, neque sorbilia statim assumpsisset sed Chirurgis id commune est, sesquipedalia verba divendere.

XI. Caput.

DE VASORUM LYMPHATICORUM VULNERIBUS.

Concomitantur, ut plurimum, imo semper vasa lymphatica sanguinea, quod autopsia apparet, præsertim circa majora vasa: quæ lymphatica, si ob sectionem venæ aut alias cæsim aut punctim fuerunt vulnerata, ingens sæpe effluit lympha.

Si hoc contingat brachio aut cruri, sciendum lympham ab extremitatibus versus superiora ferri, tunc vinculum infra vulnus est injiciendum, ne tantâ copiâ, aut saltem tardius versus vulneris aperturam fluat; tunc effluxus statim imminuetur.

Sed hoc tantum non sufficit, ast pulvis astringens vulneri est aspergendus, ex *corticibus granatorum*, *bolo armenâ*, *sanguine draconis*, *linteo usto*, *alumine*, *vitriolo &c.* mox linteum ter quaterve duplicatum in liquore quodam styptico tinctum cum fasciâ imponitur. Et si hoc non sufficit, cauterium actuale, ut alibi dixi, requiritur. Fieri potest, ut post venam sectam, vulnusculum Lympham emittat nonnunquam, quia inter secandum sæpe vas lymphaticum sauciatur.

In inguine si bubo aperiatur, non potest non vas lymphaticum unum aut alterum persecari, unde multum lymphæ exstillat. Tunc splenia ex linteis complicatis sunt applicanda, & fibula firmiter comprimenda; hoc modo vasa lymphatica ab inferioribus partibus lympham vehentia, comprimuntur.

XII. Caput.

DE THORACIS VULNERIBUS.

Pectoris Vulnera vel non penetrant, vel ad interiora penetrant; in penetrantibus viſcera interna læſa ſunt vel non.

Si ad interiora vulnus non pervadat, *Curatio* à communi vulnere non differt.

Aſt ſi thoracis cavitatem penetraverit, & ſanguis intus effuſus ſit, is eſt eximendus, uti capite de Empyemate dictum. Sed ſi parum aut nihil influxerit, vulnus erit conſolidandum, cavendo ne aër intret, quia concluſus aër eſſet læſæ reſpirationis cauſa. Ad ſymptomata, ut febris, doloris, &c. quoque attendendum.

Si vulnerati ſint pulmones, internè præſcribimus quædam vulneraria & bechica, ſic dicta. Quorum medicamentorum enumeratio in *Inſtitutionibus* habetur. Dantur etiam pulveres ex *oculis cancri*, *ſpermate ceti*, *&c.*

Cordis vulnera ſunt ut plurimum lethalia, præſertim, ſi ejus cavitates petraverint, tunc enim ſanguis continuo in thoracis cavitatem exprimitur & ſi in ſuperficie læſum ſit, ejus motus impeditur, à quo tota dependet ſanguinis circulatio.

XIII. Caput.

DE VULNERIBUS ABDOMINIS.

Abdominis Vulnera. Si abdominis vulnera externa ſint atque non penetrent, ita curanda ut in vulgari modo conſuetum eſt.

Si *Omentum* foras propendeat, ſtatim eſt introducendum: aſt ſi ab aëre ſphacelatum, & corruptum, abſcindendum, filum ſericum inter ſanum & corruptum circumducendum, ita ut magna pars propendeat, ut ſi omnia ritè non ſuccedant, poſſit foras extrahi, Si necdum corruptum, ſed parum tantum refrigeratum, tum in mulſo calido, vino hiſpanico, vel lacte calefaciendum, & deinde reducendum.

Inteſtina; ſi extra vulnus propendeant, difficilius reducuntur, quam omentum; ſi refrigerata, dulci lacte fovenda, atque reducenda. Si vulnus ſit anguſtum, aëre implentur inteſtina, ideoque neceſſario vulnus eſt dilatandum. Nonnulli inteſtina acu compungunt, ut flatus exeant. Si ſint vulnerata, conſuenda ut alibi dictum, quamvis rarius tenuia quam craſſa ſanantur, quia effunditur chylus, neque tam carnoſa ſunt, hiſce advenit febris, dolor, vomitus &c. Atque ex craſſis excrementa in abdomen elabuntur, ſi citiſſimè non conſuantur.

Vulnera illa balſamo copayvæ ſunt illinenda, ut ante ſæpius dictum.

Vul-

Vulnera ventriculi, hepatis, lienis, renum, veficæ & uteri, per fe & tempore reftitui debent, quia manu aut inftrumentis tractari nequeunt, neque emplaftra applicari; & externa applicata magni non funt momenti: ideoque interna potius præftant, quæ componuntur ex balfamo copayvæ, peruviano, terebinthinâ, oculis cancri, &c.

Veficæ collum per lithotomiam diffectum, primo digeftivo, deinde balfamis vulnerariis deligatur. Interim curandum vinculo conftingantur, ne motis cruribus, vulnus inflictum dilatetur. Porro ne urina ob acrimoniam vulneris labia lædat, bibatur lac dulce, amygdalinum, potus Theæ aut Coffeæ.

1675. Extra urbem Leovardiam apud fabrum lignarium vocatus cujus famulus de trabe quadam (quam ferrabat) in dorfum alicujus afferis ceciderat; unde penis glans ex contufione vulnerata fuit. Hinc ingens Hæmorrhagia, quam fiftere, Chirurgus vicinus nequibat: languebat ferè æger: juffi, (afperfo prius pulvere ftyptico) glans vefica porcina madida vel præputio tegeretur, atque conftringeretur digitis, nequid fanguinis emanaret: & fic poft aliquot horas fanguinis effluxus ceffabat. Vide fimilem obfervationem apud *Cl. Fr. Ruifchium in obfervationibus Anatomico Chirurgicis.* Glandis penis Hæmorrhagia.

XIV. CAPUT.

DE TENDINUM SUTURA.

Tendo pro parte eft abfciffus vel ex toto. Si ex toto non fequuntur tenfio, intumefcentia, &c. tendo trahitur verfus fuum ventrem, atque incraffefcit. Aft fi totus non abfciffus, tunc periculo non vacant fymptomata fupervenientia, nam quid fibrarum reliquum, quia ab abfciffis non fimantur, continuo abrumpuntur, unde dolor intolerabilis, convulfiones, lipothymiæ, vomitus, diarrhœa, febris, lethargus, imo interdum gangræna, nifi tendinis reliquum abfcindatur.

Non aliam *dolor* agnofcit caufam, quam fibrillarum abruptionem, atque fuccorum emanationem: fi planè efent abfciffæ, earum abruptio cefceffaret. Porro quia fpiritus tunc anomalè moventur, facile *convulfiones* pariuntur: fic cordis nervis etiam contractis, oriuntur *lipothymiæ*; ob eundem in nervis inordinatum motum, ventriculus afficitur, & *vomitus* producitur: & quia inteftina ei adhærent, iifdemque nervis gaudent, quidquid bilis, fucci pancreatici, fucci inteftinalis, &c. eft, quoque exprimitur, quorum irritatione &c. *diarrhœa* progignitur. Propter hunc motum inordinatum etiam fanguis turbatur, hinc *febris*. Cerebro à fpiritibus orbato, febri accedit *lethargus*, nam cerebrum tunc, ultra ordinarium foporem, obftruitur.

Hinc ut omnia hæc fymptomata evitentur, omnium optimè judicatur, ut tendo in totum abfcindatur, nifi vulnus effet non magni momenti, & fymp-

ſymptomata pauca, tunc quippe abſciſſio temerè non eſt inſtituenda. Sed antequam diſſectio fit, tendo prius eſt conſuendus; ſcopus enim eſt ne ambo fines tendinis ab invicem recedant, alias ab invicem contraherentur.

Si tendines nimium verſus carnem receſſerint, ita ut mediante forcipula ad invicem reduci nequeant; tunc eſt emolliendum oleo amygdalarum dulcium recenti, aut oleo ceræ, tunc facilius coalitio fiet: reductione hoc modo factâ, tunc quam optimè fieri poſſit ſutura eſt facienda; quia itaque tendines ex fibrillis facile diſrumpentibus, ſutura eſt facienda latitudine dimidii digiti à tendinum extremitatibus, ut ſutura partis motibus atque materiæ emanatione magis reſiſtat. Tendo ſi ſatis non eſt nudus, annitendum eſt ut ſutura fiat carnis remotione, quia caro ab omni alteratione prava præſervat.

Membro bene locato, miniſter, forcipulâ tendinis extremitatem prehendit, dum interim Chirurgus ſiniſtrâ manu alteram extremitatem cepit, tunc acu rectâ duobus filis cerâ litis, cum nodo in extremitate, perfodit ab exteriore parte verſus interiorem, & ab interiore verſus exteriorem, ut exactè appropinquent. Remotâ deinde acu, compreſſula lintea ſumitur, duobus in locis perforata, ut ambæ fili extremitates pertranſire poſſint, & ut ſimplex fiat nodus, cui alia compreſſula imponitur, quæ nodo Chirurgico ac nodo laxo firmatur. Sed compreſſulæ primo ſpiritu vini ſunt imprægnandæ, aut quovis balſamo; & loco lintei carpti, ſupra nodum cera eſt imponenda.

Peractâ ſuturâ oleo & ſpiritu vini primo die irroratur: poſtea utimur balſamo ex terebinthinâ, aut tincturâ ex hyperico. Applicantur quoque caplaſmata ex *ſcordio*, *abſinthio*, *rutâ*, *phellandrio*, *melle*. Pure facto, ſignum eſt incipientis coalitionis.

XV. Caput.

DE INFANTIUM INTERTRIGINE.

Intertrigo. Recens natis infantibus tenera admodum eſt cuticula, & quoniam circa collum, axillas, inguina, &c. Sive ob linteamenta nimis rudia, ſive à ſudore aut urina, cuticula ſæpe abraditur vel roditur, & cutis à cuticulâ orbatur, tunc dolor cum rubedine infantibus accedit, & *Intertrigo* dicitur.

Dolor venit, quia papillæ cutis nerveæ immediatè tanguntur, quæ alias epidermide erant tectæ.

Rubedo oritur, quia contino in cuticulam motu, vaſcula ſanguinea majori ſanguinis copiâ implentur, imo & magis denudantur.

Pars læſa ab aëre eſt arcenda, quod variis remediis fieri debet. Quidam ſumunt ſevum hircinum, cum pauco oleo olivarum, cerâ albâ & ceruſſâ, his liquefactis, fit unguentum, quo inungitur locus læſus. Alii candelam

delam ſebaceam ante ignem nonnihil liquefaciunt, eaque linunt. Nonnulli ſumunt oleum raparum, aut unguentum roſaceum. Ego tantum ceruſſam ſumo, qua partem læſam aſpergo, quod aliquoties, ſi neceſſe ſit, repetere jubeo. Cretæ pulvis etiam valet, ut & lithargyrium &c. quibus acrimonia temperatur, quæ ex cutis canaliculis emanat: ſi enim illa non domaretur, corroſio profunda fieret.

Idem adultis, præſertim pinguibus & corpulentis, nimia ambulatione, aut equitatione fit, quibus eadem remedia præſcribere ſoleo.

VULNERATORUM QUÆDAM SEQUUNTUR OBSERVATIONES.

Famulus cujusdam centurionis inter bellandum Sclopetari globulo læditur. Globulus ſub ſterno prope xyphoidem cartilaginem ingreſſus, carnoſam diaphragmatis partem perforat, qui intra quintam & ſextam ſiniſtri lateris coſtam exitum habebat.

Curabatur à dextris Chirurgis Vulnus quidem externum, ſed ventriculi debilitatem cum dolore retinebat, adeo ut à cœna ſe temperare cogeretur. Menſibus octo elapſis, in immenſum abdominis incidit dolorem, colicum mentientem; & quamvis à quibuſdam remediis, nonnihil opis ſentiebat, dedit tamen animam. Vulnus Diaphragmatis.

Abdomine aperto, maxima coli flatibus diſtenti pars, per Vulneris olim diaphragmati inflicti foramen in Thoracis cavitatem penetraverat: mirum tamen, quia vulnus vix minimum digitum admittebat.

Æger noſter de dolore ventriculi querebatur, quia continuis exſpirationibus, coli pars, per vulnus diaphragmati inflictum, ſurſum preſſa erat; hinc exitus ex ilio in colon, & per conſequens ex ventriculo in duodenum denegabatur; unde flatuum diſtentio, quia aër libere ἄνω aut κάτω tranſire nequibat. Porro ex diſtenſione & ciborum & flatuum non tantum dolor ortus, ſed ipſe ventriculus ex dolore cibos ferre non potuit, atqui exinde debilitas orta. Hoc etiam accedit, quod colon per exiguum foramen delatum, admodum anguſtabatur, & excrementa non niſi difficulter per arctum vulnus, perque inteſtinum inde coarctatum aſcendebant; hinc, quia inteſtini iſtius latera continuo abradebantur, dolor ortus eſt.

Fabri cujusdam famulus cultro per Diaphagmatis nervoſum centrum perforatur, qui & tertio die obiit.

In abdomine aperto, nullus ventriculus inveniebatur, ſed per foramen ſepti transverſi inflictum, pollicis craſſitiem adæquans, totus ventriculus ſurſum in thoracen delatus erat, adeo ut à parte abdominis conſpici haud poterat. Aliud.

Idem

Idem casus ferè est ac præcedens, ubi colon respirando per vulnus diaphragmatis in Thoracis cavitatem ascenderat: sic etiam in hoc fabro ventriculus exspirando per illud foramen sursum ferebatur, adeo ut in abdomine neutiquam inveniri potuerit. Dico hoc factum fuisse per exspirationem, quia inter exspirandum abdominis musculi intus tracti, intestina cum ventriculo diaphragmati affricant; hinc per foramen huic illatum, potuerunt facile vel intestina vel ventriculus sursum trudi, & ordinarium locum relinquere.

Nobilis gallus per brachium sinistrum pugione perforatur; accommodato secundum artem vulnere, per alvum & urinam purulenta excernebat nonpauca; ast si vulnus ipsum multum puris evomebat, per anum & vesicam istius ejectio minuebatur. Tandem obiit.

Post brachii vulnus materiæ purulentæ per alvum & urinam excretio.

PAllida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres
Post mortem viscera omnia sana.

Læso brachio, plurimæ etiam fibræ non tantum carneæ sed & ductus, succum lacteum adducentes, læsi sunt; isti ductus lactei quicquid effundunt leviter coagulatur, quia moram trahi debet: istudque coagulum *Pus* vocatur. Si illud pus à ductibus succum nutritium revehentibus absorbeatur, una cum sanguine tandem ad glandulas intestiorum, nec non ad renes ducitur, qui & pus in intestina & vesicam ejiciunt, atqui sic per anum & vesicam fuit puris ejectio. Et illud pus, in vulnere jam restitans si non absorbeatur, vel saltem illud necdum effusum, & in vicinis partibus degens, circulando ad intestina & renes duci potest.

Plurimi Spectatores *hujus artis Chirurgicæ* in dubium quasi illam puris mictionem trahere videntur: Historiam narrabo, alicujus bajuli, ubi ipse cum domino Doctore *Joh. van der Poll* (olim in arte pharmaceutica præceptore meo) sæpius adfui. Cecidit igitur onus grave in pectus bajuli, eumque adeo læsit, ut pro mortuo domum à sociis portaretur. Incidit primo in Hæmoptysin, deinde in pyoptysin sive puris sputum non tantum sed cum minus spuebat, copiosum purulentum per lotium reddebat, quod alio modo fieri non potuit, nisi quod pus necdum effusum, nec spissè coagulatum per vasa reducentia absorbeatur, & per ductus urinæ excretorios excernatur.

Sed cur Gallus noster minus per urinam puris ejecit, cum vulnus multum dabat? id fieri potest, cum quis multum biberit, tum major puris quantitas potu hoc absorpto ex vulneris vicinis partibus solvitur & per urinam redditur: cum alias, pus refluere impotens (deficiente nempe liquore) in vulnus effundi cogitur.

Miles generosus ab alio adpugnandum irritatus, sub mammilla sinistra usque in substantiam cordis digladiatur; à pugnando tamen non cessabat, sed hostem fugientem ducentis passibus insequebatur, tandemque animam eodem in loco dabat.

Thora-

Thorace post obitum dissecto, vulnus digitum indicem admittebat, ac plurimum sanguinis effusi supra diaphragma visebatur. Cordis vulnus lethale.

Cor dissectum habere, præsertim si vulnus in ventriculos penetret, lethale, quia sanguinis circumductioni fons est cor. Læso quippe corde, effunditur Sanguis in thoracis cavitatem, quem alias per arteriam magnam in universum corpus vehi oportuerit: & effuso sanguine, convulsoque corde, vita desistit. sed fugientem Hostem aliquot passibus insecutus est, quia pauco tempore omnis sanguis ex vulnere effundi non potuit.

Ante aliquot annos, generosi Juvenes, post enata jurgia, (ob vindictæ scil. gloriam) singulari certamine decertabant, factumque est, ut alter alterum sub imam sterni sedem, trium digitorum latitudine à cartilagine ensiformi versus dextrum latus, gladio perfoderet. Nempe, cum ille, inclinato paulum antrorsum pectore, dextrum latus aliquantulum obverteret; mucro pectus ipsum haud altè penetrans mox deorsum in abdomen, & sinistrum versus ad spinam usque adactus est. Idem ictus duas sterni cartilagines, in dextro latere discidit; & deorsum vergens, diaphragmatis ambitum perforavit; indeque, rectà tendens, gibbum cavumque hepatis, & ventriculum juxta pylorum, iterum atque iterum perforavit; tandemque ensis mucro spinæ dorsi, paulo subter diaphragma, illisus est. Iuvenis quidem primum animo defectus, mox quæ in ventriculo erant, sed cruenti nihil, evomuit; & quod mireris magis, licet diebus septem superviveret, & interea quotidie eo tempore, per os ejecit: per sedem vero noctu atque interdiu ingentem coagulati sanguinis copiam, una cum alvi fæcibus profudit. Quinetiam enemata, quæ eum in finem crebrò injecta erant, eodem semper plurimum tingebantur. Mirati itaque vehementer sumus, undenam sanguis iste profluxerit. Vulnus Diaphragmatis, Hepatis & Ventriculi.

Dissecto autem post obitum corpore, nihil sanguinis in ventriculo ejus repertum est. Hujus igitur rei hanc causam fuisse nunc arbitror quod vulnera ventriculo inflicta, sanguinem omnem in abdomen deponerent, nullum autem in ventriculi cavitatem infunderent. Idque equidem credo libentius, quod aliter causa sontica afferri nequeat, cur nihil sanguinis in ventriculo repertum, aut per vomitionem ejectum fit; tum etiam, quod ventriculi venæ inter externas, non autem internas illius tunicas prorepant; unde saltem constat, fieri posse, ut vasa illa foras non autem in cavitatem ventriculi sanguinem suum effundant; denique, quod in cadavere, seri sanguinisque plurimæ libræ in abdomine repertæ fuerint, quorum pars aliqua è vulnere ventriculi (foras non intro stillantibus) promanare potuit.

Quid jam de intestinis dicendum, quæ sanguis gromosus implevit? credendum, quod sanguis in abdominis cavitatem effusus iterum per vulnus prope pylorum inflictum se exoneraverit, adeo ut non opus esset in ventriculum descendere: anne etiam ex hepate per ductus bilarios versus intestinalem fistulam, sanguis descenderit, facile dicendum esset.

Cui perfecta fuerit Vesica, aut Cerebrum, aut Cor, aut Septum tran-

transversum, aut tenue quoddam intestinum, aut Ventriculus, aut Jecur. Ic-thale est-

Senex rhedarius equo sternaci insidens, in plateam silicibus stratam excutitur. Læditur vulnere frons. Mox vomitus, & cruenta nares insequebantur. Vulnus vix cutim perforabat; Obligato vulnere, die sequenti, omnia pejus habuerunt. Febris cum lethargo alto inciepiebat. Vulnus chirurgicâ manu dilatatum, nihil mali indicabat, cum os denudatum integrum esset, paucis horis post, vitam cum morte mutavit, praeuntibus pluribus convulsionibus.

Vulneris Frontis & capitis post obitum apertio.

PArcæ enim nec formæ, nec opibus, nec ætati, imo nec imperatoribus parcunt.

Post obitum serrâ cranio aperto, in opposita parte, nempe in occipite rima seu *Contrafissura* inventa est. Meninges & sanguine & sanie conspurcatæ erant.

Propter plagam in capite acceptam stupor aut Lethargus, aut desipientia, malum. Imo, quibus divisum est cerebrum, his febrem & biliosum vomitum supervenire necesse est. Ita quoque in sene nostro, postquam ex jactu plagam acceperit, statim vomitus subsequebatur: quia concusso cerebro, spiritibusque deficientibus, convulsio, præsertim paris vagi, orta fuit, atque sic ventriculi cum cerebro societas, ast non ventriculi tantum, sed ob connexionem cum Duodeno, cui ductus biliarius inseritur, quoque & bilis elutriari debet, perque vomitum ejici.

Deficientibus igitur spiritibus, sanguis quodammodo stagnare cogitur, unde, ut antea sæpe dixi, febris. Et à concusso cerebro lethargus, partim, propter sanguinem extravasatum; partim ob disruptas cerebri fibras.

Sed *Contrafissura* unde? nisi quod illisione in frontem aër internus ita concussus & adactus sit, ut aër cerebrum pervadens, nullibique éxitum habens, vi per oppositam partem eruperit: occipitisque fissuram concitaverit, Eodem ferè modo fit cum malum aut pila coriacea in pavimentum illidatur. non semper læditur ea parte qua pavimentum attigit, sed sæpe opposita. Nec dicendum cranium ita esse durum, ut vix ea accidere possint; sed considerandum est, aliud esse cranium arefactum, aliud vivum. Et quamvis hæc ita esse possint, crederem potius, ut alibi dixi, hominem si prolabatur in hoc latus, facile in oppositum posse revolvi, præsertim si quis de gradibus pluribus decidat.

Porro si tempestivè Trepanum fuisset adhibitum, sine dubio supervixisset, tunc enim per aperturam arte factam, sanguis, pus, &c. exitum invenisset.

Ju-

Juvenis Vulnus accepit in regione bregmatis sinistri, usque ad os ipsum, quod transversim rimam conspicuam habebat, prope quam de substantia cerebri portiuncula nucis avellanæ minoris quantitate eximebatur: In altera parte versus posteriora contusio aderat, osse bregmatis dextro versus interiora compresso: hinc vomitus, ingens Hæmorrhagia, ἀναισθησία & affectus soporosus; interdum in dextro latere motus convulsivi, in sinistro totalis paralysis. Deligato vulnere, sensus aliquis per clamorem apparebat, tandem vitam cum morte commutavit.

DEmortuo cranium apertum fuit, ubi vulnus dextræ partis tantum cutaneum, usque ad os cranii deprehendebatur: at contusio sinistræ partis admiratione omnino dignam erat, ut animæ facultates eo usque constiterint; tota enim regio bregmatis dextri contusa erat, ut remotâ cute sua spontè octo ossa separarentur, quorum unum acutius in ipsam substantiam cerebri, per utramque meningem impressum inveniebatur: ab hac contusione rima sub vulnere prædicto suam originem habebat, & ad auris usque os petrosum in latere sinistro progrediebatur. Capitis Vulnus cum contusione Cranii lethale.

Ob consensum cerebri, mediantibus nervis, cum ventriculo, convulsio, sive vomitus ortum traxit. A concusso cerebro, vasisque disruptis, Hæmorrhagia. Ob cerebrum læsum, succi cerebrales per nervos fluere non potuerunt, hinc obmutescentia, sopor, paralysis, convulsiones cæteraque Symptomata. Omnem tamen sensum non amisit, quia nonnulli succi in cerebro segregabantur: Verum postea, viribus decrescentibus, cerebroque paralysi tacto, obiit.

Amstelodamensium nympha nuptias celebrando, saltu incaluit; cum per gradus aliquot descendere debuit, a reliquâ pompâ protrusa, cecidit capite in postem, adeo ut leve vulnusculum in vertice acceperit: & quia prima & secundâ die nihil momenti videbatur, planè neglectum fuit. tertio die dolere incipiebat. Abrasis crinibus, vix cutis læsa. Quarto, caput grave, cum febricula. Quinto & sexto à casu die omnia exacerbata: delirabat, oculos cum facie inflammatos habebat; vitam finivit.

POst obitum fractura nulla, sub cranio plurimum sanguinis effusi cum meningum inflammatione. Post casum cranii elevatio.

Sanguis intra calvariam effusus, nisi trepano eximatur, lethale. primo Symptomata quidem sopita; postea vero putrescente sanguine, membranæ corrumpuntur, unde convulsiones leves, deliria, febris. ex casu quædam vascula sanguinem effuderunt. Facies & oculi rubicundi, idque ex Meningum inflammamatione, & febre comitante: ex viciniâ & omnium partium communi cohæsione id facile fieri potuit. Exinde satis liquet vulnera capitis parva, neglectu is non esse habenda.

Quidam ictus à baculo, in occipite, foris vix læsus, incidit illico in febrim, ac graves convulsiones. Trepano cranium perforatum; multum sanguinis extractum est, sexto tamen die obiit.

Anatome icti à baculo.

APerta calvaria foris illæsa, intus vero varias fissuras habuit. Porro in plagæ viciniâ meninx livida & flaccida, variisque in locis nigro sanguine spurcata. Cerebellum autem ex sphacelo livescens. Circa cerebri basin, variisque item in locis multum sanguinis concreti effusum.

Quibus cerebrum syderatum seu sphacelatum est, intra tres dies intereunt: si vero hos superaverint, sani fiunt. Ita in nostro ægro; à vasculis ruptis multum sanguinis, qui alias partes permeare debuit, effluxit, exinde, istæ partes ab hoc balsamico liquore frustratæ, periere, hoc est in sphacelum inciderunt. Imo sanguis intra ἐγκέφαλον extravasatus, vicinas partes ita compressit ut tubuli succum cerebralem ulterius ad nervos protrudere nequiverint; quibus hoc modo obstructis, corruptio invasit. Sanguis item concretus ex morâ corruptus, non parum Sphacelo ansam præbuit.

Rusticus phalange in palpebram superiorem oculi sinistri vulneratur, primo vulnus negligens, sed postero die Chirurgos consuluit præ dolore. Septimo die comate vigili corripitur, verum postea sensim in somnolentum incidit: nonoque die obiit.

Orbitæ Oculi Vulnus lethale.

CRanio aperto, interius orbita oculi in superiori parte punctim ita læsa conspiciebatur, ut una etiam officulum in duram meningem laceratam imprimeretur; separatâ vero crassâ meninge, tenuis meninx etiam in eodem loco foramen, instar fonticuli, saniem expellentis, habebat, sub quo tantus abscessus purulentus latitabat, ut superior cerebri substantia omnino in pus conversa videretur, quo undique cerebri ventriculi, superius & inferius, replebantur.

Statim quidem in soporem totalem incidisset, verum ob dolorem vehementem non potuit, ideoque vigili primo comate laboravit: verum postea, ob puris ingruentis copiam cerebrum ita oppressum, ut functionibus suis fungi non potuerit, hinc ex Apoplexia Mors.

Revaliensis quidam, cum Melancholia, tentationibusque variis vexaretur; res tandem eò rediit, ut sibi stricto gladio mense Septembri latus hauriret infra quartam costam in thoracem adacto, & sub nona costa exeunte. Quod vulnus tamen intra menses duos sanatum est. Verum accidit, ut, post menses aliquot, iterum de absurdis cogitationibus conquereretur, & postea exeunte Aprili malè haberet, & se-

ſequentibus diebus primo aquam, & quidquid cibi aſſumpſiſſet, poſt viridia, tandem ineunte Majo, nigra quater, eaque magnâ copiâ rejiceret vomitu, cum ſudoribus frigidis & lipothymiâ, ac deinde poſt ultimum vomitum expiraret.

CORpus apertum eſt, deprehenſumque vulnus per pulmones & diaphragma penetraſſe, & quidem diaphragma transfoſſum fuiſſe in parte media tendinoſa. Pulmonis ferè nihil repertum eſt in ſiniſtro latere confoſſo, cum procul dubio cum pure exierit, exigua porticuncula erat coſtis adnata. Ventriculus totus aſcendebat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſulâ de ſede ſua depulerat in dextrum latus, ubi & vivus ille jubebat obſervari cordis pulſum. Cor arefactum erat; copioſa citrina aqua in capſulâ. Omentum & pancreas totum etiam ferè circa ventriculum computruerat. Vulnus in pectore, cum Diaphragmatis dilaceratione, & Ventriculi ſuo loco amotione.

Cauſam alibi explicuimus. Vomitus interim fiebat, quia ex ventriculo cibis per pylorum denegabatur exitus. Palpitatio fiebat ob compreſſum cor, nam ſanguis ritè circulari nequibat per ejus ventriculos. Sic & omentum & pancreas, ob vaſa compreſſa, ſphacelum contraxere, unde earum partium putredo.

Miles è regione Hepatis gladio percuſſus fuit, ex quo vulnere ſanguis ad deliquium uſque effluxerat. Siſtitur Hæmorrhagia; poſtea Hepatis fruſtum forcipe extrahitur; poſt tamen ſæviſſima ſymptomata, optimè convaluit. Poſt tres annos febre continua tandem occubuit.

CAdavere inciſo; deerat portiuncula quædam infimi lobi Hepatis, quæ gladio erat abſciſſa. Cætera viſcera nihil culpabile repræſentabant. Vulnus abdominis cum abſciſſione cujusdam portionis Hepatis.

Vulnera Hepatis, raro ſanantur, idque ob vaſorum ſanguiferorum copiam, præſertim ſi vaſa magna fuerint læſa, tunc enim omnis ſanguis in ventrem effluit, & mors inſequitur.

STEPH. BLANCARDI PRAXEOS CHIRURGICÆ,

Verioribus fundamentis superstructæ,

PARS VI.

De Ossibus Fractis.

I. CAPUT.

DE OSSIBUS FRACTIS IN GENERE.

QUid ossium fracturæ sint, omnibus notum, nempe alicujus ossis aut cartilaginis solutio continui, sive hoc fiat casu, lapsu, verberibus aut alias.

Loco differunt, sive in osse humeri radii, cubiti, digitorum, femoris, fibulæ, tibiæ, costarum, claviculæ, &c. 2. Sic Figura differunt, sive sit transversim, quæ communis est. (vulgo *Raphanoides* sive *een Radys breuk*) secundum longitudinem, & *Fissura* vocatur, aut contritione. 3. Ubi unicum aut plura ossa simul sunt fracta, uti ossis radii & cubiti, ossis Tibiæ & suræ, Vel ubi unum tantum fractum est. 4. Fiunt cum inflammatione, gangrænâ, &c. 5. Cum vel sine fragmentis 6. In medio ossis, vel in loco superiori aut inferiori. 7. Habent unam fracturam, duas vel plures.

Quando ossa transversim vel obliquè fracta sunt, inæqualitas erit minimimi momenti: ast æger illud membrum debitè movere nequit, quamvis ei videtur posse ejus usum capere: membrum sæpe longius oppositi lateris: si crus aut tibia frangantur, raro iis insistere stando possumus, multò minus ambulare, & si luxatio adfuerit, dolor adest: ut & quando fragmenta acuta adsunt aut ossis contritio. Fissuræ cognoscuntur ex crassitie,

ſitie, inæqualitate & dolore: verum hæc fiunt magis conjecturâ, quam judicio aut tactu.

Si tântum ſimplex fractura tranſverſa aut obliqua ſit, abſque ullâ contritione, aut fruſtulis, &c. nullum adeſt periculum. Ubi tantum unicum ſit fractum os, melius eſt quam duo juxta invicem poſita; quo in ætate juniori, eo melius. Etiam cura melius in medio, ſi fractura ibi ſit, peragitur, ubi os eſt ſolidiſſium, quam circa extremitates, ubi magis ſpongioſum eſt, & ferulæ minus commodè applicari poſſunt. Si fractura oſſis ad ſeptem dies differtur, corruptionis periculum eſt, ut & ſi faſciæ nimis ſtrictè circumducantur. Gravidis dicunt quidam curationem tardiſſimè procedere.

Fractura cum vulnere parvi non eſt facienda, inquit *Cl. Joan. Muis*; ſic ubi, *inquit*, in noſocomio, Roterodamenſi aderam cum aliis quotidie per totos fermè dies curandis plurimis vulneratis, qui ex obſidione urbis *de Graaf* appulerant, omnes, qui fractura tibiæ cum vulnere laborabant, è vita abreptos eſſe novi.

Reſtitutio quatuor ut plurimum peragitur modis: ut *Extenſione Coadptatione*, *Deligatione* & in ſitum debitum *Collocatione*, quibus quædam medicamenta externa accedunt. *Extenſio* raro abſque doloris ſenſatione fit, præſertim, ſi fragmenta quædam acuta adſint; eſt tamen tolerabilis, ſi membrum hac figurâ extenditur, in qua ſe muſculi non movent, hoc eſt, ut membrum ita teneatur, ac cum erat in ſanitatis ſtatu, & minus delaſſatur. Oſſe debitè extenſo, oſſa *Conjungenda* ſunt, ita ut muſculi debitum ſervent ſitum, absque contorſione ac perverſione. Poſt conjunctionem ſequitur *Deligatio*, quæ duobus faſciis peragitur: primam ſupra fracturam ter circumvolvendo, deinde ſurſum aſcendendo. Secunda eſt alterum tantum longa, quæ ſemel ſupra fracturam volvitur, deinde deorſum deſcenditur, & deinde ſurſum, ubi finitur. Inter faſciandum continuò ferulæ ex charta ferulacea ſeu craſſa (vulgo *Bort-papier*) aut ligneis aſſerculis, &c. adaptantur, ne fracta oſſa ab invicem recedant. Antequam faſciæ applicantur, fracturæ imponitur oxycratum, vinum rubrum, acetum, ſed meo judicio, præſtantius ſpiritus vini, defenſivum aliquod, Emplaſtrum de cumino, de baccis lauri, ocycroceum, &c. Omnia enim in hoc caſu quæ ex aceto fiunt, approbare nequeo: melius eſt vini ſpiritus cum caphorâ; ne ſit deligatio nimis ſtricta, quia dolorem infert. Poſt deligationem membrum debito modo oportet locari, ita ut tempore ſanitatis commodiſſimum erat; huic rei inſerviunt laquei, præſertim ut in eo ſuſpendatur brachium. Quando os fractum ab omni parte æqualitatem habet, atque membra utriuſque lateris ejuſdem longitudinis, tunc extenſio bene eſt peracta. Si adſit dolor, ſignum eſt nimis fortis deligationis. Quam primum deligatio eſt peracta, ſi dolor fuit tolerabilis, qui proximâ veſperâ augetur, & tertia extra deligationem intumeſcentia, bonum eſt. Si ſecunda deligatione oſſa æqualem habeant ſuperficiem, non malum. Si vulnus adſit, primo os reſtituendum, idque leniter, alias ingens dolor parti infertur, deinde attenditur ad vulnus: & ſi fragmenta adſint, primo eximenda. Inſpice ulterius

terius caput de vulneribus. Interim bona victus ratio non est negligenda, ne symptomatibus ansa detur. Quietus sit æger, ne ossa restituta dissolvantur, & circulatio sanguinis nimis acceleretur.

Calli generatio *Ossa callo coalescunt*; quod hoc modo fieri solet. Restitutis ossibus, sanguinis aliorumque circulus quoque restituitur; tum enim particulæ quædam ex poris arteriarum, aliorumque canaliculorum egressæ, transeunt per tubulos ossis, & cum perveniant ad extremitatem ossis diffracti, ulterius & amplius pergere nequeunt per lineam rectam ob tubulos fracturâ interruptos, ideoque deflectunt ad latera, ubi ossi & sibi invicem adhærentes constituunt tandem callum, qui ossa iterum conjungit.

Sed callus hic in senibus & debilibus tardius generatur ob sanguinem viscosum & crassum, qui per angustos ossium tubulos parca manu pertransiunt.

Meningum induratio. Fabri ferrarii uxor habitabat in pago, nisi fallor, Jutfaas, in medio ferè inter Utrajectum ad Rhenum & Leccam fluvium prope Vianam. Ei à juventute adfuit tuberculum supra oculum dextrum; quo ablato, sive scalpendo aut alias, cranium occupavit caries (fortasse tuberculum illud in ipso cranii meditullio radices egerat) non tantum eo loci, sed proserpsit ad superiora, ita ut ad volæ manus ferè magnitudinem cranium ad Meningem exteriorem usque cauteriis candentibus, &c. ablatum fuerit. Sed quod maximè hic notandum volo; Meninx denudata, (quia cranio amplius tegi nequibat) instar cartilaginis erat incrassata, & indurata: imo indolens si tangebatur.

II Caput.

DE OSSIUM FRACTURIS IN SPECIE.

CRanii fracturæ sunt sextuplices. 1. Est Fissura. 3. Contusio. 3. Fractura. 4. Sectio. 5. Punctio. 6. Contrafissura.

Fissura. *Fissura* venit ab instrumentis duris ac hebetibus; interdum per duplicem tabulam seu διπλόην, aliquando per superiorem tantum.

Contusio. *Contusio* dicitur esse, quandò cranium ita est læsum, ut externè appareat integrum, ubi tamen versus interiora disunitum sit. Verum hoc in infantibus absque fractura facile fit.

Fractura. *Fractura* est quando pars cranii prorsus est disunitum.

Secti. *Sectio* fit instrumentis scindentibus & secantibus, ut cultris, acinacibus, &c. atque hoc sæpe fit ossis deperditione aut saltem dependentia frusti instar panni: aut ossi adest simplex crena.

Punctio. *Punctio* fit ab omnibus acutis, quibus pungi potest, ut sunt enses, cultra, pugiones, styli, &c. atque illa raro ad inferiorem venit tabulam.

Contra fissura. *Contrafissura*, est quando pars cui casus accidit, integra manet & illæsa, ast in opposita partè fissura invenitur: sed illa hoc modo, uti veteres voluerunt

runt non datur, sed fit, quando post primam illisionem æger corpus circumvolvendo in oppositam partem relabitur, quod in superioribus dixi.

Signa sunt vertigo, cæcitas ante oculos, sanguinis vomitus, narium atque aurium hæmorrhagia. Manet patiens sine motu, atque brevi in terram prosternitur. Accedit delirium, paralysis, apoplexia, convulsio, spasmus, febris. Hic non respiciendum, numquis sit adultus, num ætate junior; sit enim ut sit, curandus est, idque citò atque tutissimis mediis.

Omnes cranii fracturæ periculosæ, & quo profundiores, eo periculosiores.

Si cutis remansit integra, aut vulnus non satis magnum, triangularis aut crucialis fit incisio, cutis elevatur & pericranium à cranio separatur; si tunc adsit fissura, nonnihil atramenti imponitur, & vulnus deligatur. Altero die cum sanguinis effluxus cessat, abraditur cranium, donec fissura non amplius conspicitur, & os fit sanguinolentum. Tunc nonnihil pulveris aristolochiæ rotundæ, iridis florentinæ & Myrrhæ inspergitur.

Si fissura ambas tabulas penetrat, tunc ad trepanum confugiendum, quo etiam in contusionibus, fissuris & sectionibus utimur. Ast in punctionibus, supra ipsam punctionem trepanum est ponendum.

Si diversæ sint fracturæ, omnia frustula sunt removenda: ast si adhuc connectionem cum solido habent, relinquenda; si fractura aliter accommodari possit & mundificari, trepano non erit opus.

In *fractura ossium nasi*, deprimendum quod elevatum nimis: & quod depressum spatula aliove instrumento est elevandum. Deinde cannula seu fistula naso intruditur, & externè optimum defensivum imponitur, & si nulla accedat caries, curatio intra decem aut duodecim dies erit absoluta. Fractura ossium nasi.

Maxillæ inferioris os fractum digito tam internè quam externè admoto restituitur. si digitus nimis fuerit debilis, aliquis à tergo caput teneat, & alter antrorsum trahat, atque sic restituitur: & *curatio* intra viginti dies absolvitur. Sed quia maxillæ inferius fractura neque fascias patitur, neque quietem, ut in aliis fracturis, tunc instrumentum plumbeum, stanneum aut eburneum cogitandum, ita flexum, ut ab eo in ore dentes excipi queant, ut maxilla tanquam in arculâ, quoad fieri possit, conservetur. Maxillæ inferioris.

Scapula fracta, ubi se ossi humeri conjungit, ut plurimum non sanatur. Scapulæ. Si frangatur, ubi se elevat, quod facile tactu animadvertitur, tunc humerus vel brachium manu aut vinculo deorsum trahitur, & interim in locum debitum ducitur quando diversas habet fracturas, incisione est apertura facienda, ut fragmenta eleventur, nisi carni adhæreant, nam tunc omnia sibi sunt relinquenda, quæ tunc vel per se excidunt, aut coadunantur; & restitutio intra quadraginta dies fit.

Si os sternum sit fractum, inæqualitas habetur, quæ digitis cedit, cum stridore; aut deprimitur, & tunc depressio sentitur, unde dolor, læsa respiratio, tussis, sanguinis sputum, &c. patiens magno lapidi imponitur, Sterni.

& ambo humeri deorsum premuntur ; hoc faciendo singuli humeri horsum vorsum moventur, donec omnia in locum sint restituta.

Costæ, Simplex costæ fractura absque magna contusione aut inflammatione partium vicinarum, intra viginti dies restituitur, imponendo tantum *Emplastrum ad fracturas.* Ast si costa cutim perforaverat, manu iterum restituitur: si introrsum vergat, forti inspiratione extrorsum est ducendum, interim manibus faciendum, quidquid fieri potest. Si non succedat, glutinans admodum emplastrum imponitur, quo trahendo costa restituitur.

Vertebrarum. Simplex *vertebrarum fractura*, digitis reponitur, & intra viginti dies restituta est. Ast medullâ spinali compressâ aut alias læsâ, ita ut brachia aut crura paralytica dependeant, & absque sensu sint, atque nec vesica nec alvus respondeat, θανάσιμον, omnia tamen molienda, ut quod comprimit sive sectione aut alias removeatur.

Coccygis, sacri, Idem faciendum in *ossis coccygis* & *sacri fracturis* : hoc peculiariter observandum, ut digitis ano immissis, restitutio fieri possit.

Coxæ, *Coxæ fractura* sine morâ est restituenda, quæ intra viginti quatuor dies curatur, at si citò satis non restituitur, symptomatum caterva expectatur : Si plures sint fracturæ, sectione frustula sunt eximenda, & quæ restitui possunt in locum reducuntur. Sed si sine sectione fieri queat non est instituenda, idque ob plurimos tendines, vasa, & musculos.

Humeri, *Os humeri* versus pectus flectitur, atque extenditur, & extremitates conjunguntur : tunc restitutio intra triginta vel quadraginta dies absolvitur, sed maturius in uno quam in alio

Cubiti. *Ossa cubiti* duo cum sint radius nempe & ulna, si ambo sunt fracta, difficilius curantur, quam unum : restitutio fit extensione, & intra triginta dies restituitur.

Carpi. *Carpi ossicula*, sæpe post annum tertium necdum fuisse ferruminata vidimus in cadavere alicujus patibuli candidati : etiam extensione & digitorum contrectatione debent reduci.

Ossis femoris *Os femoris* vel in medio frangitur vel circa capita; hic requiritur, ob plurimos musculos, extensio valida, idque secundum lineam rectam, ne in hoc aut illud latus vertatur. Ut valida extensio instituatur ; primo æger in dorsum incumbat, deinde manibus validis, vel Habenis, aliisve machinis extensio instituitur: hic sunt vires adhidendæ, quia validissimi musculi statim, post fractum os contrahuntur. Ossi reposito, adhibentur ferulæ, fascia ascialis, & arcula oblonga, ne os repositum ullo modo moveatur. Ideoque fascia circa lumbos & inguina quoque accommodari debet, & arcula debet esse longissima, non tantum femur comprehendens sed & partem suræ.

Suræ. Eodem modo ac radius & ulna, restituuntur tibiæ & suræ os restituti: grallatorio seu testudineo gradu incedunt, sed postea iterum, Mercurio velociores fiunt.

Si Velimus scire num crus sit bene repositum, tunc pollex pedis è directo patientis genu respondere debet, alias semper claudicabit.

Et patellæ. Veteres *patellæ* fracturam negarunt ob duritiem, quia sceleta inspexerunt tantum, in quibus durissima est, ast in vivis aut recenti cadavere mollis admo-

modum: ideoque facile frangitur. Si ergo transversim fuerit fracta, claudicationem inducit sæpe: ast secundum longitudinem, non raro à musculis sursum trahentibus in locum debitum absque manuum auxilio reducitur, & intra viginti quatuor dies *curatio* absolvitur.

Quod per longitudinem fractam, patellæ os, non tam facile coalescat, est, quia ad minimi motus momentum frusta separata, iterum dissiliant, & ἐπὶ τὸ πλεῖστον claudunt, quia callus ab utroque frusto coalitus, ad invicem coalescere nequeat.

Verum si transversim fractum, major claudicationis difficultas est.

Si os male sit restitutum, iterum callus est frangendus; sed prius callus per octo dies columbino fimo & lacte caprillo est fovendus, ut emolliat & dissolvatur: quod fit si non nimium vetus fuerit.

Mirum est, quod à *Rob. Knox Anglo* de ossibus consolidandis scribitur. Ceilonensis quidam (inquit) jactabat, se Tibiæ aut Humeri ossa restituere posse, impositione tantum quarundam herbarum in Sylvis crescentium. Porro pergebat dicere, se posse os fractum, si bene repositum erat, tempore duarum horarum, iterum, ut coalescat, efficere. Novi hominem, qui mihi asserebat, hoc modo fuisse restitutum. Huc usque *Knox*.

Cum hic de ossibus læsis agitur, adjungam modum, quo infantium crania depressa restitui possunt. Locus, ubi depressio est facta, à capillis rasorio orbetur: tunc linteo ab omni humiditate detergetur; deinde applicetur emplastrum glutinans, quod minus esse debet quam depressionis locus exhibet: fiat quoque ex corio; porro impressio si in longum fuerit, Emplastrum pro re natâ est accommodandum. Ante applicationem cingulum coriaceum debet esse adsutum. Patiens porro vel minister Caput firmiter immobile teneat; deinde os & nasus ab ægro, vel ab adstantibus est claudendus, & venter extrorsum urgendus: hoc facto, cingulo trahatur vel vi, & subitò sursum applicatum Emplastrum: dum hoc fiunt, minister ab utraque parte caput comprimat, ut eo melius restitutio fiat. Cranii depressio.

Emplastrum fit ex drachmis quatuor *Farinæ Siliginis*, coquantur in *aqua communi* ad pultis consistentiam, cui sub finem adde, *picis navalis*, uncias decem, *Masticbis*, drachmas duas. Fiat Emplastrum. Emplastrum glutinans.

Illa restitutio aliquando fit mediantibus cucurbitulis cæcis & ventricosis, ut alibi dictum. Tales cucurbitulæ fiunt ex stanno, habentes duas ansulas utrinque unam, quibus fascia ex corio aut tænia alligatur, ut cucurbita applicata & frigefacta facili & celeri vi per rectam lineam sursum abstrahatur. Per cucurbitulas cæcas.

Si porro per Emplastra, aut cucurbitas nihil efficitur, fiat incisio vel triangularis, quæ fit duabus incisuris, vel crucialis, quæ tres incisiones requirit: atque hoc fit pro magnitudine aut parvitate depressionis. Hisce peractis trepanum instituitur deinde instrumento elevatorio cranium depressum elevatur. Vel trepanum.

Juris consultus de tumore dextri genu querebatur, cum dolore ingenti: hocce morbo octo mensibus affligitur. Ad se interim doctissimos Medicos

dicos ac Chirurgos vocat, sed nihil auxilii attulerunt. Postea cum lecto decumbebat, ac de latere in aliud se vertebat, os femoris in duas partes prope genu diffractum est, & brevi post obiit.

Ossis Femoris caries, ac Fractura

POst mortem femur aperiebatur, ejusque os in duas partes circa genuum apophyses diruptum cum carie inventum fuit.

Prudentissimus vir circa genu ex obstructione vasculorum quorundam tumorem habuit; liquor obstruens acidus factus periosteum corrosit, unde gravissimus dolor; corrodendo tandem, ipsum os invasit, idemque totum carie usque ad intima consumpsit; cum jam consultissimus vir se de latere in latus volvebat, non difficile fuit concipere, id præ corporis onere, quod sæpe femori innititur, in partes duas rupisse.

Ebrius quidam sexagenarius ex lapsu ab alto amplissimum vulnus in cranio contraxit. Vertigine, vomitu ac stupore ilico correptus: hisce, postridie ad se rediens, nullum insequebatur symptoma. Quarto die, postquam multa purulenta excreverat, ab inopinat apoplexiâ, esse desiit,

Ossis sphænoidis Fractura.

APertâ calvariâ, multum lymphæ effusæ ventriculos replentis, inventum. Continuatâ serie rima per frontem, oculique foramen usque ad sellam turcicam excurrebat, propè ossis sphænoidis mediam partem ingens fragmentum sejunctum à reliquo osse erat. Multum effusi sanguinis in cerebri recessibus delitescebat.

Ex lapsu lymphæ aut sanguinis effusio, hinc cerebri compressio, convulsio & stupor.

Nobilis quidam per os brachii scolpetari globulo ictus: Vulnere accommodato, sine dolore, tumore aut inflammatione se primis viginti diebus bene habuit. Postea febre vehementissima correptus, trigesimo die obiit.

Fractura brachii à globulo sclopetari.

EXenterato cadavere, pulmones putridi, & scirrhositatibus duris pleni. Ren dexter ulceratus, cujus purulenta in vesicam depotata. Liquet in hoc nobili, morbi causam lincæis oculis latitare, non enim à vulnere obiit, sed à malo interno. Multa sacro involucro tecta jacent, neque ullis mortalibus omnia scire fas est. Inest namque sæpe in incredibili verum & in verisimili mendacium.

STEPH. BLANCARDI PRAXEOS CHIRURGICÆ, Verioribus fundamentis superstructæ,

PARS VII.

De Ossium Luxationibus.

I. CAPUT.

DE OSSIUM LUXATIONIBUS IN GENERE.

LUXATIO est, quando os ex suo proprio loco in alium recedit, qua ordinarii motus impediuntur. Luxatio.

Differentiæ sumuntur à *forma*; nam aliquando integrum os è sinu prolapsum est, & tunc propriè *Luxatio* vocatur: vel loco sæpe recedit & *Dislocatio* appellatur. Interdum tantum parum è loco dimotum, & tunc *Subluxatio* nomen est, sive *Elongatio*. Causæ quædam sunt externæ, ut ictus, luctatio, casus, saltatio, cursus &c. Aliæ sunt internæ, quando circa articulos quidam humores restitant, ut in ischiatico dolore, puerperio, &c. Dislocatio & subluxatio.

Causæ itaque sunt duplices, *externæ* ut casus, verbera, cursus, luctatio, extensiones magnæ, circum ductiones & flexus articulorum. Vel *internæ* sunt ut supra diximus.

In corporibus macilentis & minimè torosis signa sunt manifesta. Os est flexuosum, & in loco ubi excidit prominens; sed in loco ubi excidit, cavitatem relinquit. Si luxatio sit absoluta, membrum fit brevius & altius trahitur. Ast si contingat ex ligamentorum relaxatione, membrum elongatur, dolore afficitur, & ad voluntatem liberam moveri nequit. In subluxa-

 tionibus

tionibus pauciora sunt symptomata : sed raro omnia simul in uno casu oboriuntur.

Restituuntur facilius in macilentis & admodum junioribus, ast difficilius in loco debito conservantur : contrarium habetur in pinguioribus ac senibus. Capitis luxatio est lethalis, in vertebris periculosa; est inveterata difficilis : à causis internis, tarda curatio, sed facilius restituuntur.

Os è cavitate elapsum, manibus, vinculis aut instrumentis in locum debitum reducitur : ex hisce tribus mediis eligendum quod præstantissimum est. Chirurgia hic etiam est quadruplex, ut de fractura ossium dictum, nempe *Extensio*, *Restitutio*, *Deligatio* & debita *Locatio*. Quamdiu membrum extenditur, donec inter os quod in loco remansit, & inter os quod è loco decidit, cavitas reperitur, cavendum ne ossis caput cum ciliis contra cavitatem, inter reponendum, nimium illidat, quia periculosa imo insanabilia symptomata exinde essent expectanda. Insuper cavendum, ut neque os neque musculi nimium torqueantur, sed communem dispositionem servent. Antequam ad deligationem deveniatur. Si dolor non urgeat, ante quintum, sextum vel septimum diem necesse non est, ut deligatio solvatur : & quantum possibile, membrum ab omni motu excusandum ; atque tunc ponitur membrum ita, ne facile excidat. Si accedat inflammatio, tunc membrum non est extendendum, antequam cessaverit, quod emollientibus fit & antenuantibus.

II. CAPUT.

DE LUXATIONIBUS IN SPECIE.

Maxillæ luxatio.

MAxilla rarius quam versus anteriora luxatur, nisi in valde junioribus. Interdum ab uno latere, & facilius restituitur; ast ab utroque latere difficilius admodum, imo & periculosissimum & interdum Lethale.

Raro maxilla luxatur à musculorum debilitate, sed interdum à debilitatis ligamentis, imo & aliquando à nimio oris rictu : si luxatio ab uno latere, obliquè ad partem læsam vergit : processus acutus sive corone prominet, neque inferiores cum superioribus dentibus conveniunt. Maxillam versus oppositam partem duc, atque sic in locum ducito, quod facile fit. Aliquando restituitur, modo alapam impingas.

Si luxatio sit ab utraque parte tota maxilla antrorsum prominet, atque os totum apertum manet : processus acutus in utroque latere altius prominet : temporales musculi utrinque expansi.* Teneatur à ministro caput, aut in parietem innitatur. Trahatur tunc maxilla, pollicibus ambobus in os immissis, primo deorsum, deinde retrorsum, & tandem sursum, atque tunc quamprimum erit restituta.

Scapulæ,

Scapula raro luxatur, & raro ita reponitur, quin nonnihil extuberet, ita ut patiens manum sæpe ori aut capiti adducere nequeat. Ad bene restituendum

dum in dorſum decumbat æger, atque infra humerum lapis aut aliud quid ponitur, tunc humerus antroſum extenditur, nempe in eo latere ubi luxatio eſt, atque ſic ſcapula debito loco reſtituitur.

Os humeri nunquam retrorſum luxatur, raro ſurſum atque antrorſum, ſed maximè deorſum. Certiſſimum ſignum eſt, quando ſub axillis globoſa durities ſentitur, & in ſuperiore parte cavitas: Bronchia longitudine differunt, & patiens nequit manum ori adducere. Patiens ſupra juncturam humeri alicujus fortis viri decumbat, atque ſic teneatur: atque alter brachium deorſum flectat, deinde reponit Chirurgus ſuperiorem partem in acetabulum, ſicque reſtituitur. Alii ſcala utuntur, Gloſſocomio aut ambe Hippocratis &c. Os humeri.

Quando *cervicis vertebræ* luxantur, tunc patiens in humili ſede ſedeat, deprimatur deinde humerus, & caput ambabus manibus ſurſum trahatur, atque, hinc & inde commoveatur, abſque tamen ullâ violentiâ, quo motu vertebræ reducuntur: hoc facto, iterum patiens caput, ut ante, movebit. Vertebrarum colli.

Dorſi Vertebris luxatis, patiens in ventrem decumbat, atque duo miniſtri eum, omnibus viribus, quantum fieri poteſt, extendunt, idque mediante vinculo, quorum unum ſub axillis, eſt, & alterum ſupra femora, quibus, vertebræ iterum reducuntur. Si introſum luxatæ ſint, ſæpe lethale eſt. Dorſi.

Oſſis Sacri luxatio reſtituitur digitis ano immittendo, quod tunc tam externè quam internè in locum reducitur. Oſſis ſacri.

Os Coccygys luxatur etiam introrſum, cui intolerabilis dolor, convulſio febris, &c. ſuperveniunt. Reſtituitur digiti in anum intromiſſione, quo una cum alterius manus digitis externè applicatis brevi reponitur. Coccygis.

Coſtæ luxantur, quæ ob gravia ſymptomata brevi expectanda, ſtatim ſunt reducendæ. Si ſurſum extra vertebras promineant, tunc, patiens brachiis ſuis de janua pendeat, atque ſic coſtas repones. Aſt ſi deorſum vergant, tunc patiens ſeſe deorſum curvando genubus imponat manus, atque coſtæ loco reſtituuntur. Si introrſum vergant, emplaſtro conglutinante in locum trahendo reponuntur, quod ſæpe bene ſucceſſit; & ſi voto non reſpondeat, lethiferum eſt ſignum, quia manibus reductio fieri nequit. Coſtarum.

Cubitus antrorſum ac retrorſum, extrorſum aut introrſum luxatur, & interdum ſequitur radius aut manet, quod palpando cognoſcitur. Si antrorſum luxatio ſit facta, brachium evadit brevius, & cubitus flecti nequit; antrorſum prominet, atque retrorſum cavitas ſentitur: reſtitutio quam primum fieri debet, alias inflammatio, dolor, febris, vomitus, imo & ipſa mors expectanda. Brachium obliquè & tamdiu extenditur, ne oſſa inter reponendum ſe mutuo lædant: ſi vires manibus deficiant, tunc vinculum accipe, atque brachium circum columnam ducito, extende, & os retrorſum preme, donec in locum reducatur. Cubiti.

Si luxatio retrorſum ſit facta, antrorſum inſueta cavitas animadvertitur, atque retrorſum prominentia; brachium eſt brevius, & flecti nequit. Si in-

introrſum aut extrorſum, eadem ſunt ſigna, aſt prominentia in eodem eſt loco, quo os adactum eſt, atque cavitas ubi excidit. Poſt debitam extenſionem, etiam reſtituuntur, ſi luxatio ſit recens facta. Idem *Radio* accidit.

Radii.

Femoris.

Os femoris, ut plurimum luxatur introrſum, interdum extrorſum, antrorſum, ſed raro retrorſum. Si introrſum, crus alterum altero longius, & flecti poteſt; genu extrorſum protuberat, atque caput oſſis femoris ad inguina latum, ibi clarè quoque conſpicitur. Tam difficile ac reſtituitur, tam facile iterum excidit, unde cruris tabes, atque claudicatio.

Ut iterum reponatur, patiens ſupra medium tabulæ aut ſcamni ponitur, & inter ipſius crura ligneum cylindrum, firmiſſimum, linteo circumvolutum, ut os femoris contra illud fortiter extendatur, & interim manu Chirurgicâ reſtituatur.

Si luxatio ſit extrorſum facta, crus brevius eſt, atque introrſum torquetur. Patiens illud quidem movet, aſt vix cum eo terram tangere poteſt. Quamvis non reſtituitur, nihilominus omnis ſenſim perit dolor, & patiens ſive ſubalari incedit fulcro. Reſtitutio eadem eſt ac ſtatim dictum.

Si os femoris antrorſum prominet, inguen tumet, atque nates rugoſæ ſine carne. Crus ejuſdem longitudinis cum altero eſt, aſt vix flectitur, cui urinæ mictio denegata accedit. Quamvis non reſtituitur, tamen patiens per aliquod tempus quidem incedit, aſt interdum crus ad ſe trahere cogitur. Quando reſtituetur, debet patiens in latus ſanum decumbere, atque tunc extenditur & reſtituitur. Si manus vires non ſufficiant, genu Chirurgi eſt reducendum.

Si verſus poſteriora luxatio ſit, patiens nequit crus extendere, flectere, terræ incedere aut ambulare, quin in dorſum ſupinus labatur; imo & altero brevius eſt. In inguine cavitas eſt, & in natibus inſuetâ prominentia. Quamvis non reponatur, nihilominus dolor ſenſim evaneſcit, atque crus flectitur, aſt brevius manet & rectum, neque tortum eſt introrſum aut extrorſum. Decumbat in ventrem æger, crus fortiter extendatur, præhendendo interim crus ſupra genu, quod trahitur à crure integro extrorſum, atque ſic crus in acetabulum reducitur, in quo tamen non manebit, niſi æger ſe ab omni motu abſtineat.

Tibiæ, ſuræ, & patellæ.

Tibiæ oſſis ac *ſuræ* luxatio reſtituitur, ut de cubito dictum.

Patella ſi extra debitum locum ſit adactum, debet patiens erectus ſtare, atque ſic in locum reducitur, ligaturaque tam firmiter conſtringenda, ne genu flecti queat. Atque ſic primo formicinum movebit gradum, ſed poſtea cum tempore, incedendo audacior evadet.

Sic tandem illud opus ad umbilicum perduximus; quod ſine præjudicio eſt examinandum: Theſaurus quippe ſtultis in lingua ſitus eſt, ut quæſtui habeant, malè loqui de Melioribus: ut poëta

Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.

Chirurgiæ finis.

APHO-

APHORISMI
AD
PRAXIN MEDICAM
ET
CHIRURGICAM
Spectantes.

Cicero 12. Phil. 5.

Cujusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis perseverare in errore.

Dii laboribus omnia vendunt.

APHO-

APHORISMI
AD
PRAXIN MEDICAM
ET
CHIRURGICAM
Spectantes.

1 SAnitas ab optimo ſanguinis & ſuccorum circuitu dependet.
2 Animum quietum ac hilarem in corpore ſive ſano ſive ægroto, eſſe, optimum.
3 Quæ in Medicina efficiuntur, prudenter fiant, & finis eſt reſpiciendus,
4 Quemadmodum ex uno teſte, in jure, nihil recti determinatur, ita in Medicinâ unico ſigno nimis non eſt fidendum.
5 Scroti in infantibus corrugatio, bona, non item in morbis diuturnis.
6 Somno aluntur infantes.
7 Infantes, ſi à ſomno ſæpe intertur bantur, interdum morbo & macie corripiuntur.
8 Optimum, ut infantes matres ſuas ſugant.
9 Vinum, acetaria, fructus crudi, ſalſa, infumata, ac omnia ſaccharata infantibus nocent.
10 Infantes, ob epilepſiæ metus, non ſunt terrefaciendi.
11 Infantium riſus ante menſem tertium elapſum, motus epileptici prodromus eſt.
12 Caloris mediocritas, neque ſenibus, neque juniori ætati nocet.
13 Vigor in juventute, totius ſanitatis & reliquæ vitæ, fundamentum eſt.
14 Nocturno tempore, & jejuno ſtomacho bibere, nocet.
15 Conſuetudini multum concedendum.
16 Inſueti poſt paſtum ſe à nimiis exercitiis temperent.

17 In alterutro latere dormire, præſtat, quam ſupinus, aut pronus decumbere.
18 Somnus meridianus, non planè eſt comtemnendus.
19 Vini mediocris uſus ſenibus ſalubris.
20 Inter præſtantiſſima alimenta lac eſt.
21 Omnes in corpore repentinæ mutationes, nocent.
22 Si diaphoreſis in corporibus noſtris non ritè procedat, ſanguis noſter inſpiſſatur, & valetudinarii ſumus, vel ægrotamus.
23 Regiones paludoſæ, ſcorbutum inducunt.
24 Ignis aërem purgat, hinc expellit peſtem, malignoſque morbos.
25 Cum cibis multum panis ſumere, præſtat.
26 Panis αὐτόπυρος, caſtrato melior.
27 Cibi, multo ſale volatili pollentes, optimi.
28 Cibi cocti, crudis, præferendi.
29 Sanis non purgare aut venam ſecare melius, quia his adhibitis non raro in morbos incidunt.
30 Doſis mediocris, in Medicamentis propinandis, ſemper largiore, præſtat.
31 Quod paucis fieri poteſt, multis non eſt tentandum.
32 Quod unica vice fieri nequit, iteratis vicibus eſt faciendum.
33 Omnia ſanguinis circulum promoventia, tam ægris quam ſanis, proficua.
34 Ex duobus malis, minimum eligendum.
35 Sanis, omnia mediocriter ſumpta, ſana.
36 Ætas non ab annis, ſed à viribus dimetienda.
37 Macres, minorem habent ſanguinis copiam, quam obeſi.
38 Chirurgus ægros molliter tractans, ſemper non eſt vilipendendus.
39 Menſtrua pellentia, fœtum quoque ſunt pellentia.
40 Diuretica, etiam menſtrua pellunt.
41 Omnia in corpore noſtro, acidum domantia, in omnibus morbis convenit.
42 Omnes morbi oriuntur ab obſtructionibus & humoribus incraſſatis.
43 Flatus diſcutientia, pituitam etiam expellunt, menſtruaque promovent.
44 Omnia cephalica, ſic dicta, etiam antarthritica & ſtomachica ſunt.
45 Omne acidum ab alcali domatur.
46 Omnes morbi oriuntur ab acidò vel viſcido.
37 Veſica vel alvus, ſi plus juſto excrementa deponant, diaphoreſis imminuta erit.
48 In largâ diaphoreſi, alvus & veſica aſtricta eſſe ſolet.
49 Qui plus mingunt, quam bibunt, iis diaphoreſis imminuta eſt.
50 Diarrhœa ceſſat, promotâ perſpiratione,
51 Melius eſt paucis medicamentis uti, quam nimiis.
52 Bilis & ſanguis non quantitate, ſed qualitate peccant.

53 Hye-

53 Hyeme & æstate alvus est astricta magis, quo tempore remedia vehementer operantia non sunt sumenda,
54 Pingues acido non abundant.
55 Valetudinarii & macilenti acido abundant, & sanguinem crassum habent.
56 Phlebotomia sæpius iterata, ad Hydropem disponit, ut & Tabem, Scorbutum diuturnum, & tandem ad mortem.
57 Ut medicatio tutò peragatur & promptè, optimum, si Medicus sua medicamenta præparet.
58 Quælibet Regio Medicamenta profert, medendis morbis, qui in illis producuntur.
59 Medicatio si Medicamentis simplicibus fieri possit, ad composita non est confugiendum.
60 Qui Medicamentis abhorrent, difficilè curantur.
61 Signa, ex solâ urinâ petita, incerta.
62 Alvum strictam habentes, non raro Veneri plus justo indigent.
63 Tabaci suctus famem protrahit.
64 Membra à frigore intenso constricta, frigidis non calidis, sunt dissolvenda.
65 Fœminæ æstatis tempore, si per pavimenta lapidea nudis pedibus incedant, menstruo fluxui nocet.
66 Si Medicamenta bene operentur, spes est.
67 Morbi, omnia medicamenta respuentes, ptyalismo sæpe curantur.
68 In declinatione morbi, nemo moritur.
69 Qui ante pubertatem eunuchi facti, nunquam barbam alunt.
70. Urina, brevi post prandium aut cænam, reddita, non ita salsa, quam ea, quæ longè post ea mingitur, nisi plurimum potetur.
17. Fœminæ delicatulæ, sæpe pluribus morbis, obnoxiæ.
72. Homines plurimâ pinguedine divites, & fortissimi videntur, cum ægrotent, non sine periculo ægrotant.
73. Qui se nimium medicamentis indulgent, non sanantur: hinc *Celsus* inquit, quod illi, qui sanari volunt, scopum non attingant.
74. Optima & tutissima medicamina per sudationem fiunt.
75. Post somnum, si morbus imminuatur, bonum.
76. Cum ægri, post morbum, iterum cibos sumere cum appetitu incipiant, bonum.
77. Melius est ægrum relinquere, quam eum inanibus verbis protelare, & adulari, & non sanare.
78. Medicum accersire melius in principio.
79. Post exercitia, ambulationes &c. Si quis nimium incaluerit, melius spiritum vini, aut vini haustum largiorem sumere, quam cerevisiam frigidam.
80. Spiritus vini sitim solvit.
81. Morbi diuturni ex morbis pituitosis orti, repetito emetico sanantur,

82. Pueri, dum laborant febri, in longitudinem crefcunt.
83. Remedia, quæ opem attulerunt, meliora, quam ea, quæ funt probanda.
84. Vafa vulnerata, quo majora, eo periculofiora.
85. Omnia vulnera, ex quibus fanguis omnis profluit, vel circuitum fanguinis impediunt, Lethalia.
86. Pauci horarii fructus, pauci quoque morbi, nifi aër corpufculis fanguinis crafin invertentibus abundet.
87. Æftates fervidæ in autumno plurimos morbos pariunt, fed temperatæ, paucos.
88. Quo hyems frigidior, eo morbi minus graffantur.
89. Eurus, Cæcias, Africus, paucos producunt morbos.
90. Aquilo, Zephyrus, Aufter plerumque morbos pariunt.
91. Circa folftitium & dies æquinoctiales, plurimi morbi nonnunquam recrudefcunt.
92. Calore ferventes & fudore madentes è lecto furgentes, feque derepentè frigido aëri exponentes, peffimum & fæpe lethale, nifi optimè veftibus fint muniti.
93. Nunquam quis in morbum incidit, fi mediocritatem in omni re fibi affuefcat, & fingulis diebus nonnihil falis volatilis utatur: hoc faciendo fenectutis annos numerabit.
94. Ufus fructuum horariorum copiofus, parit dyfenteriam, quartanam & fanguinem acido abundantem.
95. Morbi altas radices agentes, non femper Medicamentis vehementibus expelluntur.
96 Palati os, fi excidat, per nares loquuntur.
97 Tendines humorem ftillantes ferro candente curantur.
98 Pectoris vulnera, multum puris, ut plurimum, eructare folent.
99 Omne acidum & frigidum pectori inimicum.
100 Omnia vulnera & ulcera ab aëre defendenda.
101 Quibus in corpore multum acidi ineft, difficile purgantur.
102 Æftas & Zephyrus ulcera fœtida excitant.
103 Tempus hyemale ut & boreas. Caufa exiftunt vulnera & ulcera ægre fanari.
104 Tophi non curantur, nifi interdum ptyalifmo.
105 Infantes, qui fæpe brachiis circumferuntur, rectius iis, qui femper nutricum gremio infident.
106 Multus & vehemens infantium ejulatus, facile herniam parit.
107 Experientia, commodè rationi conjungitur.
108 Qui ingeniofe curare vult, Philofophus orthodoxus fit oportet.
109 Sefquipedalia blaterantes, Arcana, & libri non nimium fidendi.
110 Qui purgatur, ei licitum nonnihil ambulare.
111 Somnus, quies, frigus, ciborum affumptio, catharfin retardant.
112 Debiles funt roborandi.
113 Ut fpiritus funt, ita quoque vires.

114 Mof-

114 Moschus nulli fœminæ convenit, nisi castoreum sit admixtum: similiter aliquando in nonnullis se habet cinamomum, & omnia dulcia.
115 Ex pharmacopoliis nihil petendum, si in culina habeatur.
116 Medicamenta debent esse grata, & tam minori quantitate exhiberi debent, quam fieri possit.
117 Qui sæpe animo delinquuntur, diu ne maneant jejuni.
118 Prægnantes quarto & septimo mense purgare, periculosum est.
119 Ultimo mense utero habentes sæpe mingunt, sed alvum habent adstrictam, cum respirandi difficultate.
120 In partu difficili, vomitus & sternutatoria multum prosunt.
121 Signa ingravidationis sunt ventris intumescentia, animadeliquia.
122 Si scire velis num fœtus in utero adhuc vivat, Fœmina nonnihil vini Hispanici Malvatici, aut mulsi sumat, cum dormitum ibit, tunc fœtus sese movebit.
123 Qui prima vice difficile pariunt, postea facilius, ut plurimum, enituntur.
124 Fœminæ valetudinariæ, non raro facile fœtum emittunt.
125 Quod gravidis proficuum aut nocuum, etiam fœtibus vel nocet vel prodest.
126 Quod gravidæ fastidiunt aut appetunt, idem plerumque infantes vel aversantur vel delectant.
127 Prægnantes se caveant oportet à menstrua pellentibus, & pravis alimentis.
128 Hystericis passionibus obnoxiæ, ut & Hypochondriacis, se à dulcibus moderentur oportet.
129 Aromatica & spirituosa prægnantibus earumque fœtui utilia.
130 Motus insoliti, ira, terror, &c. facile abortum concitant.
131 Vita sedentaria, eaque continua, partum difficilem sæpe reddunt, tam quoad fœtum, quam secundinas.
132 Coitus, uterum gerentibus, haud noxius.
133 Aquâ (ex amnio nempe) defluxâ, si statim non sequatur fœtus, partum reddit tardum.
134 Venam secare gravidis aut alvum purgare, non oportet.
135 Ad parturiendi nixus fœminæ nimis maturè non sunt sollicitandæ.
136 Brevi post partum mulier concipere potest, quamvis menstrua non apparuerint.
137 Colostrum recens natis non nocet.
138 In fœminarum affectibus, semper respiciendus uterus.
139 In deliquiis pauca medicamenta quidem danda, sed sæpe reiteranda.
140 Auris arteria usta, certum dicitur adversus odontalgiam, remedium.
141 Cum purgatur, neque bibere oportet, neque edere, antequam purgatio cessat.

142 Febrim quotidianam ſæpe concomitantur obſtructiones.
143 Quotidiana febris non tam facile profligatur ac tertiana, ſive per ſe ſubſiſtat, ſive ab aliis morbis dependeat.
144 Quotidiana facile in tertianam mutatur, & vice verſâ.
145 Hyemes ſeveræ, quartanas diu perſeverantes & pertinaces producunt: benignæ vero è contra.
146 Ante febris adventum ſudare, eandem pellit.
147 Si quartana longæ ſit durationis, in ſcorbutum altè radicatum mutatur, & interdum in Hydropem vel Tabem.
148 Quartana ſi autumnali tempore non ceſſet, per totam hyemem ad verem uſque graſſatur; & ſi tunc non profligetur, adhuc per integrum annum perſeverat.
249 Sæpius reiterata phlebotomia viam magis ſternit ad febres & ſcorbutum. Hinc illud proverbium, quod ſi cui ſemel vena fuerit ſecta, coactus ſit ſingulis annis reiterare.
150 In variolis & febribus cum maculis advenientibus, venæ ſectio non tantum periculoſa ſed & Lethifera.
151 Sudorifera in febribus optima.
152 Lethargo, ſi adſint Febris maligna, convulſiones, ſpaſmi, tremores, cephalalgia, furores, imi ventris dolores, ætas provecta, & ſcorbutus radicata, malum.
153 Lethargus cum ſtertore, malum portendit.
154 Lethargus ab ebriete, vel poſt ſumpta narcotica, vel ab exigua capitis læſione, præſertim in corpore alias ſano, periculo vacat.
155 Poſt Lethargum, puris ſputum, bonum.
156 Pulſus celer & continuus, febrim indicat.
157 Quo puerperæ ſerius febri corripiuntur, eo melius.
158 In pleuritide intermittens febris, item in febribus malignis, ſcorbuto, cordis palpitatione, ſenibus, &c. ſæpius adveniens, non ſemper periculoſas.
159 Audiendi difficultas in febribus continuis, bona.
160 In febribus, quaſi floccos quærere, & oculos rabidos habere, malum.
161 Stertere in pleuritide, Empyemate, Hydrope, &c. θανάσιμον.
162 Sputum cruentum in febribus malignis & pleuritide, bonum.
163 In febribus malignis, ſi ſitis non moleſta, malum ſignum.
164 Menſtrua in febribus præter modum fluentia, idque in prægnantibus, ſæpe abortum pronuntiant; ſed in variolis vel alias, niſi vires ſatis fortes, periculoſa.
165 Quo vires fortiores, eo febris tutior.
166 Poſt corporis & ſuccorum magnam incaleſcentiam cerevifiam vel aquam frigidam ſubito & largiter bibere, ſæpe pleuritidis cauſa eſt.
167 Phthiſi laborantes, ἄνω per vomitum non ſunt purgandi.
168 Evacuatio immodica, ſæpe febrim inducit.

169 Ante febris acceſſum, cibos ſumere, eam auget non tantum ſed paroxyſmum maturat.
170 Abſtinentia à cibis, febres pellit.
171 Puſtulas aut Eryſipelatodem ſcabritiem circa labia habere, non raro febrim depulſam pronunciat.
172 Acceſſus febrium tardius advenientes, bonum.
173 Caro, ejuſque jus ſæpe febres augent
174 Vinum, vini ſpiritus & Lac, febricitantibus non nocet.
175 Aqua calida, Tinctura Theæ vel ſalviæ largiter ſorpta, febricitantibus proficua.
176 Singultus & convulſiones in febribus, periculo non vacant; ſudor frigidus in febribus Lethiferum.
177 Poſt febres intermittentes plures ſenes & debiles moriuntur, quam juniores & fortes.
178 Poſt febres ardentes ſæpe capilli decidunt, & cuticulam exuunt.
179 Exacto puerperio non raro capitis pili decidunt.
180 Urina, in febribus, nigra, mortem pronuntiat.
181 Variolis laborantes, ſe in calido loco ſervent, oportet, vel vitæ diſcrimen incurrunt.
182 Sitis immodica, finis eſt purgationis.
183 Poſt purgationem, convulſiones, mortiferum.
184 Purgatio jejuno ſtomacho ſumenda.
185 Poſt ſumptam purgationem, non dormiendum, niſi nimium purgetur.
186 Enemata, ſemper calidè, injicienda.
187 Pus album in ulceribus, optimum.
188 In morbis, bono eſſe animo, curationis dimidium.
189 Poſt ſudationem, horror, non bonum.
190 Conſultum magis ſudorifera veſpertino tempore ſumere.
191 Scabie laborantes, ſeſeque ungentes, mutare induſium non debent.
192 Poſt ſudationem, interula non mutanda, niſi prius ſudatio planè ceſſaverit.
193 Inter ſudandum, ſeſe ſubitò frigori non eſt exponendum.
194 Morbi Hæreditarii, raro curantur.
195 Soporoſo morbo laborans, ſi cum difficultate evigilet, malum.
196 Lethargici, intra ſeptimum diem moriuntur; ſed ſi ſuperaverint, incolumes ſunt.
197 Apoplexiæ in ſenibus, ut plurimum, lethales.
198 In Lethargo tumor pone aures, vel pus ex auribus, naribus, aliiſque locis fluens; cum ſymptomatum levamine, bonum.
199 Apoplectici intra ſeptem dies moriuntur, niſi febri corripiantur.
200 Si Apoplecticus in ſudorem incidat, malum.
201 Delirium in comate vigili, convulſionem parit.
202 Febris maligna cum Lethargo, ſpaſmum inducit, ut & Tremores, convulſiones, cephalalgiam, delirium, furorem, &c.

203 Vertigo in anteriori capitis parte præstat, quam in posteriore.
204 Ab apoplexia demortui, non nisi post tertium diem sepeliendi.
205 Apoplecticis, si accedat stertor, actum ut plurimum.
206 Si Paralysi febris superveniat, bonum.
207 Lac simul & menstrua in prægnantibus fluentia; debilem fœtum indicant.
208 Os si fœtum gerentibus frangatur, raro nisi post partum sanatur.
209 Morbi intermittentes, continuis, tutiores.
210 In dubiis morbis, sudorifera tutiora.
211 Variolis evanescentibus, non raro in aliis partibus ulcera exoriuntur.
212 Qui bene medicinam facere vult, optimus debet esse philosofohus.
213 Plurimi morbi diuturni, qui vel scorbutus est altè radicatus, vel arthritis, sæpe nonnihil de Lue venereâ participant.
214 Venerea Lues raro, nisi Mercurialibus, sanatur.
215 Paralysis post annum affligens, rarissimè profligatur.
216 Ustio cum Moxa dolores levat, imo & arthritim sæpe sanat.
217 In Apoplecticis, spuma circa os, Lethale.
218 In peste, variolis, febribus cum maculis, venæ sectio vitanda, quippe mortem plerumque inducit, sed sudoriferis potius insistendum.
219 Omnia enemata frigidè injecta, multum nocent, imo mortem ipsam accersunt.
220 Sanguinis & succorum incalescentiæ nimiæ, sudando, pelluntur.
221 Sudatio cum εὐφορίᾳ, bona.
222 Frigidus sudor tantum circa caput, faciem & cervicem, malum, & in acutissimis morbis θανάσιμον, sed in tutiori morbo, longitudinem denotat.
223 Nihil sanguinem & succos melius depurat, quam aqua & alcali.
224 Quæ feliciter parturire volunt, sanosque infantes habere, sese ab animi passionibus effusis abstineant, à nimio acido & frigore: bono enim animo esse non nocet.
225 Fœminæ lactantes, acidis utentes, infantibus nocent.
226 Capitis dolor ab unguiculis, raro aut nunquam sanatur.
227 Cephalalgia interdum sanatur, si caput aquæ frigidæ immergatur.
228 Apoplexiæ furor superveniens bonum.
229 Sudor in apoplecticis, malum portendit.
230 Paralysis cum partium frigore, malum; è contra, bonum.
231 Post Apoplexiam paralysis, raro curatur, sed non raro iterum in Apoplexiam mutatur.
232 Tremores, post paralysin venientes, optimum.
233 Si oculus in ea parte, ubi paralysis est, minor evadat, spes pauca est.
234 Subito terrore paralysim annosam vidimus curatam.
235 Alvi fluxus, post recens inductam paralysin, bonum.

236 Paralysis raro hyemali tempore sanatur, sed citius æstate & vere.
237 Senes raro à paralysi curantur.
238 Paralysis in cruribus & pedibus tardius curatur, quam in partibus superioribus.
239 In Tabe & imminutione membri paralytici, perpauca curationis spes est.
240 Venæ sectio in membro paralytico instituta, sæpe illud mori facit.
241 Paralysis in parvis laryngis musculis, & omnibus iis, qui respirationi inserviunt, lethalis.
242 Cordis paralysis, mortem accersit.
243 Convulsio post phrenitim, lethalis.
244 Post largam hæmorrhagiam, sive quovis modo excitata, convulsio, ut plurimum, lethale.
245 Convulsio cordis, & partium respirationi inservientium, morti inopinatæ, ansam præbet.
246 Epilepsiæ aliquando cessant, post utriusque sexus pubertatem.
247 Epilepsia, à teneris, ad vigesimum quintum annum & ulterius persistens, raro curationem admittit.
248 Quando vertigo recens sit, raro adveniens, & non nisi ab externis objectis, facile curatur: ast quæ sæpe invadit, cum vehementia, & inveterata sit, difficile curatur, imo in Apoplexiam vel Epilepsiam quidem mutatur.
249 Senes à vertigine rarius curantur, quam juniores.
250 A phrenitide pauci restituuntur.
251 Capitis dolor cum febri acuta, & tenui pellucida urina, malum.
252 Surditas cum susurro in aure, semper spem præbet.
253 Sternutatio in parturientibus, apoplecticis, aliisque acutis morbis, bonum.
254 Continua sternutatio, narium Hæmorrhagiam concitat.
255 Si Apoplecticus à sternutatorio non sternutat, malum.
256 Quando in Odontalgia malæ intumescunt, brevi dolor cessat.
257 Odontalgia sæpe curatur, ustâ arteriâ auriculari.
258 In angina, periculum est, si facies intumescat, & livescat.
259 Si Asthma non curetur, in hydropem vel tabem, vel in utrumque mutatur, quos mors insequitur.
260 Si Rachitis ante partum vel brevi post adveniat, periculosissima, & non raro lethalis evadit.
261 Quo Rhachitis citius post partum veniat, eo periculosior.
262 Quo à symptomatis Rachitis magis gravatur, nempe quando partium mala conformitatio modum excedit, cum ingenti macie, eo difficilius curatur.
263 Si Rhachitis, ante quintum à nativitate annum, non curatur, per totam vitam valetudinarii evadunt.
264 A rachitide claudi, per se ante quintum & sextum annum restitutos novi.

265 Si rachitidi ſcabies aut pruritus accedat, curationis ſpes eſt.
266 Qui ab unguiculis, quaſi ſcorbutici nati, reſtitutionis ſpem paucam habent; & curati, facile recidivum patiuntur.
267 Qui ſcorbuto valde mutabili laborant, difficile curantur, & non niſi lento gradu
268 Qui luem veneream & ſimul ſcorbuticam patiuntur, ſanantur quidem, ſed brevi priſtinum malum experiuntur.
269 Scorbutus cum ſymptomatis ſucci nervoſi & ipſis nervis, difficlie curatur.
270 Fœminæ à ſcorbuto, viris difficilius curantur.
271 Febres diuturnæ, multum ad ſcorbuti incrementum contribuunt.
272 Arthritis vaga in cervice, periculo non vocat.
273 Quando ungues liveſcunt aut nigreſcunt in morbis extremè magnis, ſæpe mors in propinquis eſt.
274 Semper dubium in gravidis & mera conjectura, num filium, num filiam ſit paritura.
275 Quo citius in pleuritide cruentum ſputum appareat; eo melius.
276 Sputum in pleuritide præter modum cruentum, malum.
277 Sputum album, viſcidum & rotundum in pleuritide, malum.
278 Pleuritis, quæ intra quatuordecim dies non curatur, ut plurimum in Empyema tranſit.
279 Recens natorum pulmones ſi in aquis demergatur, ſignum eſt, non reſpiraſſe, ni arte, prius fuiſſent inflati.
280 Si in Empyemate curatio nimis longè procraſtinetur, corrumpuntur pulmones, & extenuati moriuntur.
281 Primo incipiens phthiſis, quidem curatur, ſed inveterata raro.
282 In phthiſi, ſi ſputum fœteat, facies ſit flavi coloris, cum macie, & viribus exhauſtis, lethale.
283 Singultus in febribus acutis, malum
284 Inter vomendum ſi oculi rubeant, & ſingultus ſuperveniat, malum.
285 Purgantia ab invicem gradibus tantum differunt.
286 Febris cum ſtomachi dolore, malum.
287 Hydrops poſt Tabem, vel inveteratum ſcorbutum, raro curationem admittit.
288 In Hydrope & febribus ſe planè à potu abſtinere non eſt neceſſe, ſed hoc fieri cum diſtinctione debet.
289 Hydrops, incorruptis viſceribus, certe ſudatione & calore curatur.
290 In affectibus, qui lieni & utero adſcribuntur, raro illæ partes in cauſa eſſe ſolent.
291 Paſſiones (quæ in fœminis dicuntur Hyſtericæ) etiam in viris obſervantur.
292 Calculus veſicæ membranis adhærens, ob mortis ſequelam, non eſt ſecandus.
293 Urina recens reddita, & clara, ſi poſtea ſabulum rubrum deponat, vitri lateribus adhærens, certum nephritidis ſignum non eſt.

294 Longa

294 Longa urinæ retentio , poſtea ſæpe denegatam mictionem inducit, & deinde mortem.

295 Inteſtini recti procidentia, ſæpe reſtituitur, modo nates ex improviſo manu extenſâ verberes.

296 A fulmine icti, ut plurimum moriuntur.

297 Si vaſa magna in aliqua parte ſint uſta, compreſſa, vel diſſecta, non raro ſphacelus ſequitur.

298 Viſcerum vulnera, periculoſa.

299 Si cutis comburatur, cui pili increſcunt, calvities remanet.

300 Ulcera fiſtuloſa circa tendines, nervos, vaſa ſanguifera, oſſa, cartilagines, in viſceribus quibuſdam, ut veſica, inteſtinis, hepate, liene &c. raro curantur.

301 Vulnera & ulcera non ſanantur, ſi os ſubjectum corruptum ſit: & ſi ſanentur, poſtea iterum per ſe aperiuntur.

302 Omnia nervorum vulnera, ſunt periculoſa.

303 Nervorum vulnera periculoſiora, quam tendinum.

304 Si nervorum vulneri accedat convulſio, malum.

305 Appetitus in gravidis, non eſt nimium cohibendus.

306 A rebus, quæ ab eſu humano aliena ſunt, ægri ſubito non erunt abſtrahendi.

307 Qui poſt nimium tabaci ſuctum, vini aduſti &c. copioſum uſum, ægrotant, iis plane denegari non opportet, ſi deſiderent uti.

308 Qui potus ſpirituoſos aſſueti ſunt, & ſe abſtinere volunt, ſenſim deſueſcant, alias facile in morbos incidunt.

309 Si Gangræna non ſtatim ſiſtatur, in ſphacelum mutatur.

310 Sphacelus, cancer & caries ab invicem non differunt, niſi à diverſa parte læſa.

311 Struma, ſcirrhus, callus, clavus, ab invicem non differunt, niſi in parte diverſa.

312 Vulnera inteſtinorum majora non coaleſcunt.

313 Si mammarum cancer coſtis adhæreat, non eſt ſecandus.

314 Arthriticorum articuli, ſi à tophaceâ materia intumeſcant, raro ſanantur.

315 Podagricus nunquam ſanatur, ſi mala victus ratione utatur.

316 Scrophulæ tardè ſanantur.

317 Calculus renum vel veſicæ, ſemel in corpore cretus, internis Medicamentis neque emollitur, neque comminuitur, licet plerique plurimum inaniter jactitant.

318 Quo febris magis fervens, eo ſanguinis circulus tardior.

319 In febrium principio vertigo & urina aquoſa, pellucidaque, ut plurimum in delirium incidunt.

320 Si alvi fluxus non brevi ſiſtatur, facile in Dyſenteriam mutatur.

321 In febribus, ſi viſcera videantur uri, inflammationem in partibus internis denotat.

322 Bilioſi, qui dicuntur, & bilem evomunt, acido acri abundant.

323 Si æger cibos abhorreat, non eſt ad ſumendum ſollicitandus.

324 Hydropicis, ſi adveniat tuſſis, actum.

325 Omnia olea pinguia, ſurditati inimica.

326 Medicina non eſt conjectura, ut multi effutiunt, niſi ab artem ignorantibus, & majoris nominis ſint, quam rei: verum quod omnes morbi non curentur, eſt quia pertinaces obſtructiones & ſuccorum incraſſationes reſtitui nequeant, & ægri inobedientes ſint.

327 Melius eſt incertis remediis morbos dubios ſanare, quam ægrum ἀελπτως relinquere.

328 In Morbis gravibus, ſi manus & pedes frigeant, malum.

329 Melius unicum Medicum bene exercitatum accerſire, quam decem de morbo altercantes.

330 Cui animus eſt Medicinâ uti, non ab uno Medico ſtatim ad alium eſt eundum, quin corpus ſuum corrumpat.

331 Medicus decenter ſit veſtitus, & loquela ſeria, modeſta.

332 Si inteſtini recti caſus longè procraſtinetur, gangræna corripitur.

333 Inteſtina in ſcrotum delabentia, & alvus adſtricta, brevi ſi non reſtituantur, patiens moritur.

334 Inteſtina aliave viſcera, poſt inflictum vulnus, extra ſuas cavitates propendentia, frigore, deinde Gangræna & tandem ſphacelo corripiuntur.

335 Qui arthriticis doloribus affligi conſueverunt, verem & autumnum timeant oportet.

336 Qui à calculo ſecandus, Teſtamento de ſubſtantia ſua diſponat prius, deinde Deo animam commendet.

337 Mulieres ſanguinem è ventriculo vomentes, ſanantur, ſi menſtrua appareant.

338 Frigus, & acidum pectori inimica.

339 Si quis præter modum è naribus ſanguinem ſtillet, ei inopitato frigida cervici affundenda, tunc ſtatim ceſſabit.

340 In urinæ Hypoſtaſi pus craſſum, certum non eſt ſignum ulceris renum, aut veſicæ.

341 Sanguinis mictio, vas ſanguineum renum, ureterum vel veſicæ læſum ſignificat.

342 Qui poſt ſumpta venena, urinam nigram reddunt, in vitæ diſcrimine verſantur.

343 Signa ex ſolâ urinâ petita, planè incerta.

344 Propriè loquendo, non dantur febres continuæ.

345 Calculatio de anno climacterico, nugis annumeranda.

346 Ex faciei lineamentis, paſſiones animi, ut plurimum cognoſcuntur, præſertim ſi ejus converſationem vidimus

347 Judicium ex plantarum figurâ, planè incertum.

348 Chiromantia nullius eſt momenti.

349 Metallorum à planetis denominatio, & eorum ad Metalla ſympathiæ & influentiæ, chimeræ ſunt.

350 Æque facile eſt χρυσοποιεῖν, quam aurum deſtruere.

351 Si

351 Si febres aut morbi exorcismo quasi, verbis mussitando, aut alias fugantur, non Diabolo adscribendum, sed impressioni, quæ spirituum & succorum periodo imprimitur.
352 Curationes, quæ per figuras lapidibus prætiosis insculptas, fieri conantur, mera est superstitio.
353 Vulnera potius per se, quam à pulvere sympathetico curantur.
354 Collectio herbarum, radicum &c. sub hujus vel hujus planetæ signo, aut hora, valde incerta.
355 Vires magneticæ in humano corpore, nulla nituntur experientia, nisi inter alcali & acidum.
356 Morborum transplantatio, nullius est momenti,
357 Hyeme corpora nostra, æstate calidiora.
358 In febribus omnibus sanguis noster, propriè loquendo, frigidior, quam in sanis.
359 Quibus intestina sunt coarctata, vel nimium infarcta, sive quamvis de causa id factum, excrementa per vomitum ejiciunt.
360 Febres non indigent remediis refrigerantibus.
361 Purgantia omnia unius sunt operationis & effectus, omniaque gradibus tantum ab invicem differunt: hinc parum refert, quodcunque purgans exhibeatur.
362 Venæ sectio in paucis casibus tantum requiritur.
363 Idem est, ex qua vena sanguis mittatur.
364 Inter parturiendum, si perinæum laceretur, inauditum non est, præsertim primo partu.
365 Quibus caput est vapulatum, vel casu ab alto aut alias invisibiliter læsum & vomitus accedat, signum internæ læsionis est.
366 Non semper cephalalgia trepano tollitur.
367 Supra suturas, præsertim sagittalem, Trepanum instituere, absque necessitate, suadendum non est.
368 Si apoplecticus statim non levetur, actum erit.
369 Apoplexiâ obnoxii, abstineant à nimio potu.
370 Apoplecticis, si à phlebotomia, se melius habeant, servantur.
371 Hysterica passio in prægnantibus & puerperis, periculosa.
372 In Hystericis sternutationem ciere, præstat.
373 Uteri inflammationes periculo non vacant.
374 Fœtus gestatur novem quidem menses; sed computatio illa experientiæ quotidianæ non exactè respondet, quia sæpissimè ante vel post illud tempus enituntur.
375 Qui mense septimo pariuntur; enitendi labores, nimio motu concitant, & ut plurimum vivi, in lucem emittuntur.
376 Qui octavo mense veniunt, ut plurimum mortui sunt, quia à nimio motu non eniti solent, sed ob fœtum mortuum vel imbecillem.
377 Fœminæ nimium pinguescentes, sæpe non concipiunt.
378 Abortus non raro periculosior, quam verus & justus partus.
379 Nimia lochia, aliquando Hydropem producunt.

380 Post

380 Poſt abortum non raro vera conceptio ſequitur.
381 quibus primus partus difficilis fuerit, iis non raro ſecundus facilior erit.
382 Parturiendi labores ſi à poſtica parte veniant melius, quam à ventris regione.
383 Periculoſum admodum, ſi quid de ſecundinis in utero remaneat.
384 Variolæ hyemali tempore periculoſiores, quam æſtate.
395 Si fluxus albus & menſtruus crebrius ſolito adveniant, & longæ ſit durationis, periculoſus.
386 Si fœtus ſupra coxæ os collocetur, egredi nequit, ſed dexterrima manus operatione in locum debitum reſtitui debet, alias parturiendi conatus nihil promovent.
387 Menſtrua ex ſanguine viſcido, ejuſque defectu orta, difficile ſanantur.
388 Nec opium nec crocus ex Medicina exulari debent.
389 In hiſce regionibus, ferè omnes morbi de ſcorbuto participant.
390 Quod quartana febris non curetur, eſt à Medicorum imperitia, vel ab ægrorum inobedientia.
391 Dies critici in noſtris regionibus non obſervantur.
392 Conſuetudini aliquid concedendum.
393 Sani omnibus aſſueſcere debent.
394 Corpora impura, quo plus nutriveris, eo impuriora evadunt.
395 Paracentheſis non inſtituenda, niſi vires adſint, & viſcera inculpabilia,
396 Omnis aqua & pus, unica vice non eſt depromendum.
397 Quamvis cæſarea ſectio ſit periculoſa, poſſibilis tamen eſt.
398 Omne quod odorem ſpirat, partium tenuium eſt.
399 Omne acre, amarum, & ſalſum calorem in ſuccis noſtris concitant.
400 Conjecturæ optimum Medicum ſæpe fallunt.

Totius Operis

ΤΕ´ΛΟΣ.



INDEX RERUM

Quæ in secundo Tomo continentur.

A.

——— ran-

B.

Boyle.

D.

E.

F.

G.

H.

Lin-

N.

O.

P.

Phyge-

INDEX.

R.

S.

T.

ADDENDA & CORRIGENDA.

PAg. 2. l. 37. est ex. p. 3. l. 2. l. fibræ ventriculi circulares & rectæ ad motum peristalticum inversum. l. 17. & 18. *dele*. Et hoc potissimum infantibus accidit, præsertim si brachiis aliarum pectore & ventre incumbant. p. 8. l. 26. l. fibræ ventriculi sint resolutæ p. 9. l. 15. *dele* Emeticorum. l. 16. l. gratiam alibi. p. 12. l. 17. l. *Laudanum opiatum*. l. 24. *dele* Opiatum. p. 17. l. 11. l. Utatur & sanguis omnesque succi magis fluidi redduntur. p. 23. l. 33. l. ut & senes. p. 18. l. 11. l. intestinis alias. *pag.* 47. *lin.* 11. *lege*, Excrementorum acrimoniam colon erosum fuit & p. 56. l. 35. *dele* nimis lentus & acidus erat : lentor sive mucago obstruxit glandulas, adeo ut succus, alias fluidus per ductum pancreaticum. p. 118. l. 7. *dele*, ut mirum non sit *&c* : *usque ad l.* 9. *ad*, ut nasi &c. p. 121. l. 20. *pro* ἀφέρετις l. πύωσις. l. 20. l. sinistra pulmonum parte non non ex vena pag. 125. l. 11. l.

Recipe Pilulæ Aloëphanginæ, *drachmam semis*.
Olei Caryophyllorum, *guttas tres*.
Misce fiant pilulæ, *Numero octo.* vel

Recipe Succi Iridis nostratis, *uncias tres*.
Mannæ Calabrinæ, *sesquiunciam*.
Misce Fiat Haustus. vel

P 162. l. 31. pro Noluit l. Voluit. p. 191. l. 1. l. mensem sextum. p. 193. l. 7. l. processurum mortuo fœtu. *Signa*: p. 196. l. 27. l. existunt, & quia tantum duos, tresve dies continuantur, raro. p. 197. l. 40. l. obstetricibus imprudens læsio. Lochiis non respondentibus, p. 199. l. 39. l. quadrupedum. Vel p. 202. l. 6. & 7. l. Vermibus &c. vix aut nunquam curatur : Si Vomitus, Apoplexia, Paralysis Epilepsiæ &c l. 41. l. aliove liquore pro re nata. p. 206. l. 16. l. eum assiduo. l. 24. *dele* non. l. 45. *dele* Eundem ferè casum. p. 107. *dele* l. primam & secundam. l. 45. l. malum, quia p. 208. l. quia in l. 3. l. febrim l. 6. meditantibus l. 15. l. purgans. p. 209. l. 38. l.

Qui CONTINUA laborant SOMNOLENTIA *Antiscorbutica* sumant quotidie, ut *Raphanus, Sativus, Hispanicus, Cochlearia, Nasturtium Hortense, Sinapi. Martialia, oleosa volatilia*; sint Hilares; cerevisia sit bonæ notæ, vinum modicum. Tristitiam vitent, ut & acida, salsa, pinguia nisi modicâ quantitate,

His accedit COMA VIGIL; estque morbus in quo ægri ad somnum continuò proni sunt, tamen dormire non possunt, cum capitis gravitate, & sensuum torpore, & tardo partium exercitio, & corporis jactatio. Quibus aliquando delirium accedit. Coma Vigil.

Causa consistit in eo, quod quidam cerebri canaliculi materiâ viscidâ obsessi sunt, quâ sopor concitatur; verum quia aliæ à spiritibus accedunt, quæ acres & mobiles sunt, continuò præcedens materia etiam movetur: atque hoc modo ægri semper inter dormiendum & somniandum tenentur : Nam pungentes illæ particulæ acres, leves motus convulsivos concitant, quo motu à mente concepto, tales formantur cogitationes, quales mens per hos aut illos canaliculos solebat animadvertere Nam uti fides alicujus instrumenti musici nobis diversum tonum edunt, ita quoque illi motus diversas cudunt cogitationes. TORPOR & tarditas, nullam aliam habet originem, quam quod maxima cerebri canaliculorum pars lentum humorem percolent, quare membra non ad votum moventur, unde sequitur membrorum gravitas, & ad motum tarditas. Plurimis igitur in canaliculis cerebri motibus convulsivis existentibus etiam sensuum organa, aliquo modo delirio afficiuntur. Raro morbus per se est, sed potissimum symptoma

ſeu fructus alterius ſymptomatis, ideoque comitem ferè ſemper habet febrim, phrenitim, ſcorbutum &c. ſemper non eſt cum periculo, & ſi delirium augeatur, convulſio quidem ſequitur. *Curatio* eodem modo inſtituitur, ut in affectibus ſoporoſis eſt dictum, ut & in Phrenitide.

P. 210. l. 25. l. innumeris aliquando. p. 211, l. 44. l. meque ſuffocantem. p. 214. l. 3. l. ſedatur. In p. 218 l. 2. l. hinc unius aut. p. 219. l. 44. & 45. l. ſuperioribus, prius quam in inferioribus. p. 224. l. 23. l.

Olei Succini.
Juniperi, *ana ſcrupolos duos.*

L. 45. *dele*. p. 224. l. 1. 2. 3. *dele* p. 225. l. 15. l. Diaphoreſis ſiſtebatur p. 327. l. 36. l. ſanabam. l 21. l. detinebatur. p. 241. l. 17. & 18. *dele* ut in cerebro aperiuntur: hinc ſymptomata, p. l. 19. l. teria Venenata à materiâ ſubtili p. 242. l. 19. *dele* Sequitur. l. 23. t. Sequitur nunc. p. 249. l. 10. l. tamen quam à. p. 262. l. 21. l. os ſurculos. p. 266. l. 40. l. ne *pro* me. p. 276. l. legent *pro* legentur. 278. l. 1. & 2. l. ULCUSCULA: nam cutis in his locis inflammatur, p 281. l. 11. l. quam qui. p. 296. l. 20. l. & non tantum. p. 298. l. 38. l. imbeciiles. p. 331. l. 41 & 42 *dele* calore enim ſanguis magis tumeant. p. 334 l. 35. l. ſcarificatione ejuſmodi tendinibus, gangrænam, ſphacelum & mortem fuiſſe ſecutam, hinc ſcarificatio. p. 336. l. 15. l. colorem p. 401. l. 17. l. nudum turundulis. p. 404. l. 24. l. diverſitatem aliarum partium. p. 406. l. 2. l. primo fotus aut. p. 411. l. 29. l. extra vaſa ruperit. p. 412. l. 12. l. calorem huic. p. 413. l. arterialis. p. 414. l. 16. *dele* quam ſenibus calidis ſuccis præditis citius. l. 28. l. ſucculentis, ob pinguedinem non tam facile per cutim erumpunt, quam in macilentis. p. 421. l. 38. l. *quatuor & ſemis.* p. 438. l. 17. l. ſi *carie* ſit infectum. p. 446. l. 38. l. decedentium particularum effluxu, eo tempore ſcabie non afficiebantur, aſt æſtate aëre, p. 450. l. 34. l. omnes puſtulæ ſolitariæ & ab invicem ſeparatæ ſunt. p. 453. l. 30. l. ſeu *Herpes* capitis. p. 468. l. 42. *adde*, unguenti Agrippæ, *uncias duas*. p. 497. l. 37. l. ortum ex impuro. p. 498. l. 8. l. non quia ita ardet, ſed quia ob. p. 507. *ſex priores lineas dele, eaſque pone poſt lineam* 17. p. 510. l. 29. l. Fig. 43. p. 558. l. 13. l. nobis cruſtam ſeu. p. 560. l. 1. l. *Vulnus* ſeu *ſolutionem.*

TOTIUS OPERIS FINIS.

